HW 119

60

BIBLIOTHEK
der k.k. Sternwarte
WIEN
(Währing Türkenschanze.

No 708
A

VIII D 1118

JOANNIS KEPPLERI

Sac. Cæs. Majest. Mathematici

DE

STELLA NOVA

IN PEDE SERPENTARII, ET QUI SUB EJUS EXORTUM DE NOVO INIIT,

TRIGONO IGNEO.

LIBELLUS ASTRONOMICIS, PHYSICIS, METAphysicis, Meteorologicis & Astrologicis Disputationibus, ἐνδόξοις & παραδόξοις plenus.

ACCESSERUNT

I. *DE STELLA INCOGNITA CYGNI: Narratio Astronomica.*

II. *DE JESU CHRISTI SERVATORIS VERO Anno Natalitio, consideratio novissimæ sententiæ* LAURENTII SUSLIGÆ *Poloni, quatuor annos in usitata Epocha desiderantis.*

Cum Privilegio S. C. Majest. ad annos XV.



OBSERVATORIUM UNIVERSITATIS VINDOBONENSIS C. R.

PRAGAE

Ex Officina calcographica PAULI SESSII.

ANNO M. DC. VI.

OBSERVATORIUM
UNIVERSITATIS
VINDOBONENSIS

D. RUDOLPHO II.
ROMANORUM
IMPERATORI SEMPER AUGUSTO.
P. F. P. P.
GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, &c. REGI.
ARCHIDUCI AUSTRIAE, &c.

CUR hunc quoque libellum, CÆSAR AUGUSTISSIME, quem de NOVA STELLA scripsi, sacratissimo Majest. V.ræ Nomini potissimum dicaverim: ejus rei causam non opinor Majestati V.ræ pluribus explicandam.

Præterquam enim, quòd S. Cæs. Majestati V.ræ

à ſtudijs Mathematicis inſervio, & hoc nomine ſalario fruor liberali: acceſſit etiam Clementiſſimum Majeſtatis V.æ mandatum, ut in obſervandis & deſcribendis ſtupendi huius miraculi circumſtantijs, omnem operam, curam, diligentiam impenderem.

Quid igitur potius fuit mihi faciendum, quàm ut Libellum hunc, etſi pudibundus, & tenuitatis conſcientiâ trepidus, tamen ut fidum & probum miniſtrum decet, in Sac. Cæſ. Majeſtatis V.æ. conſpectum adducerem, auditurus, an quod Majeſtas V.a juſſiſſet, rectè effectum eſſe cenſeret.

Illud potius explicandum, quæ cauſa mihi moræ tam diuturnæ, ut cùm ſidus hoc menſe Octobri anni 1604. effulſerit, deſcriptio hæc nunc demum, exacto propemodum integro biennio, in publicum prodeat? Nam videri poteſt hujus rei explicatio novum argumentum continere; cur libellus iſte S. C. Majeſtati V.æ, uni mortalium, prætereaque nemini fuerit offerendus.

Potui quod res eſt, recenſere; ſtellæ finem non ante Februarium hujus anni certum fuiſſe; quæque prima hujus libelli parte de eâ ſcripta & diſputata ſunt aſtronomicè, phyſicè, metaphyſicè; ea ſic in parato fuiſſe, ut præteritis vernalibus nundinis Francofurtenſibus prodire potuerint, niſi me ſpes adventuri Typographi fefelliſſet.

De ſigni-

De ſignificationibus verò, quas alterâ parte complexus, huc uſque traxi, ſcribere, rem eſſe tædioſam, perplexam, multisque curis & anxietatibus exercitam; ut animus, demonſtrationibus Geometricis aſſuetus, conſideratâ fundamentorum vitioſitate, diutiſſimè inſtar jumenti pertinacis reſtitet: donec plagis & verborum probris adactus, pedem in hac lacunâ ponat. Verùm, non hoc jam obtendam, ſint illa ſuo loco: ad jucunda magis vertar.

Eloquar autem, an ſileam? Ignoſcat, quæſo, S.C. Majeſt. Vª, ſi cum Ejus negotijs graviſſimis & maximè ſerijs, ego minuta quædam comparo. Nullum unquam cœleſte Thema Genethliacum tam pulchrè adumbrare creditum eſt cujuſquam hominis fortunam; quàm ad S. C. Majeſt. Væ graviſſimarum occupationum ſucceſſus, ſtudiorum Aſtronomicorum curſus & fortuna ſeſe accommodavit hactenus. Nam quod eſt S. Cæſ. Majeſt. Vræ bellum ingens & diuturnum cum Othomannicis Turcarum Imperatoribus: hoc eſt, Aſtronomis perplexiſſima & variè impedita occupatio in Planetis, eorumque varijs & intricatiſſimis erroribus. Quemadmodum verò menſe Octobri anni 1604, præter conſuetum hoſtem, novæ in Ungariâ turbæ extiterunt, quæ animum & curas S. Cæſ. Majeſt. Vræ, in Turcis occupatas, nonnihil turbârunt, & in ſeſe tranſtulerunt: ſic eodem menſe, exorta Nova

hæc ſtella, novum in Aſtronomia peperit laborem, & ipſum per ſe lentum, ob ſtellæ diuturnitatem; & quo inveſtigatio motuum Planetariorum hactenus vehementer impedita fuit. Rurſum, quo maximè tempore S.C. Mtas Va compoſitioni rerum Ungaricarum operam dedit, expeditis & penſitatis medijs huic rei ſalutaribus: eodem ferè temporis tractu, Aſtronomi in deſcriptione Stellæ ſudârunt, egoque plurimus fui in adornando & excudendo hoc Libello. Adeoque multa hactenus particularia ſe accommodârunt; ut quoties ferè turbulenti rumores ad nos ex Ungaria perlati; toties nova aliqua remora huic editiunculæ interveniret: pacatis verò illis, & iſta ſuccederent: perſonarum denique & qualitatis rerum crebra eſſet alluſio.

Non quòd animum hac ſuperſtitione teneam inquinatum; ut credam, hæc ſic fatali lege cohærere; qui ne cœli quidem perennibus curſibus, rerum humanarum eventus annexos eſſe concedo: ſed quia, neſcio quo pacto, ut in foſſilibus rudimenta quædam perfectarum figurarum, magna cum hilaritate intuemur, inter pretioſa aſſervamus, cæloque & penicillo adjuvamus; ut id, cui eminus aſſimilantur, perfectiùs exprimant: ſic in his etiam, quamcunque caſus pulchritudinem & concinnitatem amamus & collaudamus unicè.

Quan-

Quanquam ſi quid etiam hujuſmodi fert naturæ ordo: ut Principum proſpera & adverſa omnia communicentur cum miniſtris, literarum & artium cultoribus, horumque fata quodammodo gubernentur ab illis: nullum dedecus fuerit, iſta commemorare, illis ſeſe jactare publicè. Conſpiratio enim hujuſmodi in utrâque fortunâ, quo exquiſitior fuerit; hoc certius in ſe teſtimonium habet fidelitatis in ſubdito.

Quare ô magnum Pacis, & quas hæc educat, Artium Augurium, Imperator Auguſtiſſime, hunc Libellum, hanc cum Stella Nova tranſactionem noviſſimam, quâ me labore hoc extraordinario exſolvo denique, fauſtus excipe; id quamvis ſerò, at rurſum opportunè; nimirum hoc ipſo tempore, quo Ungariam Tuam, mitiſſimi Patris inſtar complexus, ad patefactas gratiæ fores admittis; eâque ſpe omnium animos & vota impleviſti.

Deum Opt. Max. precabor ſupplex, ut S. C. Mti Vræ vitam, valetudinem, fœlicitatemque diutiſſimè proroget, omnesque Ejus actiones & Imperia, ad ſui Nominis gloriam, humani generis ſalutem, Reique publ. Chriſtianæ defenſionem, paternè dirigat; adeoque proſperet: ut ex ea proſperitate rurſum & Aſtronomi de ſtudijs ſuis benè ominari audeant: tandemque ubi S. C. Mtas Vra bellum hoc diuturnum,

cum infidelibus fœliciter confecerit; ipſe quoque de meo labore aſtronomico, cui à S.C.Mte Vra ſum præfectus, de Planetarum ſcil. reſtitutione, Ejuſdem Mtis Vræ ſubſidijs adjutus, triumphare denique poſſim.

S. Cæſ. Mti Vræ me ſubjectiſſimè commendo. PRAGÆ, poſtridie Nonas Septembres, anno à nato CHRISTO (ſecundùm uſitatum calculum) milleſimo, ſexcenteſimo ſexto.

S. C. Majeſt. Væ

ſubjectiſſimus Mathematicus

JOANNES KEPPLERVS.

INDEX

INDEX CAPITUM, IN QUÆ LIBELLUS ISTE DISTRIBUTUS EST.

CAPVT. PAGINA.

I. HISTORIA *Novi sideris, quod annis 1604. & 1605. fulsit in Serpentario, per circumstantias suas descripta.* 1.

II. *De Trigono Igneo, ac initio de primo significatu vocis* TRIGONVS. 10.

III. *De altero significatu vocis Trigonus, seu de Triangulatione signorum.* 12.

IV. *An divisio Zodiaci in duodecim partes æquales sit Naturalis, contra Astrologos.* 14.

V. *An nomina signorum sint arbitraria, an verò naturalia & significativa, contra Astrologos.* 18.

VI. *Denominationem Trigonorum ab elementis non esse ex rerum natura, sed ex arbitrio hominum, contra Astrologos.* 23.

VII. *Quæ causa naturalis signa Zodiaci trientibus circuli distantia in unam Triplicitatem copulet? ubi ordo periodorum Zodiaci.* 27.

VIII. *De Triplicitatis Igneæ viribus naturalibus; & primò de Conjunctionum efficacia contra Joannem Picum Mirandulæ Comitem.* 30.

IX. *De Aspectuum cæterorum, adeoq; & Trigoni efficaciâ, contra Eundem; ex doctrina harmonicâ, cujus hic fundamenta.* 37.

X. *Quatenus locis signiferi à Planetarum congressibus, qui sub iis fiunt, aliquid momenti accedat: ubi plura de facultate impressiva rerum sublunarium.* 42.

XI. *De*

XI. De tempore magnæ Conjunctionis, quæ principium fecit revolutæ Triplicitati igneæ; ubi observationes trium superiorum, annis 1603. 1604. habitæ. 44.

XII. Observationes Novæ stellæ, annis 1604. 1605. 57.

XIII. Inquisitio loci veri sub Zodiaco Novi sideris. 60.

XIV. De constellatione Serpentarij, Serpentis & Scorpionis. 66.
Typus æneus, in quo Summa Libri ocularis. 76.

XV. De loco hujus sideris in Mundi diametro, seu de immensa ejus à centro Terræ distantiâ, potissimum in hypothesibus Copernicanis. 77.

XVI. Excusatur immensitas fixarum in Copernicani hypothesibus; ostenditur motuum temperata commensuratio, quæ Ptolomaicæ sententiæ deest; item apud eundem origo & pulchritudo proportionis fixarum ad mobilia; ubi simul de Novi sideris magnitudine. 83.

XVII. Probatur à qualitate luminis, item à quiete, in Ptolemaica & Braheana hypothesium forma, stellam inter affixa sidera stetisse. 89.

XVIII. De puritate luminis, coloribus, & scintillatione Novi sideris, eorumq; causis. 92.

XIX. De materia Novi sideris. 97.

XX. An jam olim extiterit materia corpusq; Novi sideris. 100.

XXI. An motu recepta sit hæc stella in profundum ætheris, & comprobatio astronomica, quòd fixarum sphæra finita sit, etiam in hypothesibus Copernici. 104.

XXII. Materiam novi sideris fuisse cœlestem, & an ex via Lactea. 110.

XXIII. Cœli materiam esse alterabilem, documenta quinque astronomica, præsertim ab Eclipsi anni 1605. 112.

XXIV. De efficiente Novi sideris, ubi Mundus probabiliter facultate aliqua naturali instruitur. 121.

XXV. Comparatio hujus Novæ cum illa anni 1572. & cum Cometis; ubi, an caudam habuerit. 124.

XXVI. An

XXVI. An fortuitò concurrerit ſidus hoc cum tempore & loco Conjunctionis magnæ, an aliquo conſilio; ſententiæ hodiernæ quatuor. 129.

XXVII. Examen poſitarum opinionum; ubi de materiali neceſſitate, de Caſu, quid is poſſit, quid non; & de Spiritibus Mundo congenitis & naturalibus. 136.

Sequitur Narratio de Stella Cygni, ob ſimilitudinem argumenti. 149.

XXVIII. XXIX. XXX. PARS ALTERA quæ Francofurti prodit, eſt de Significationibus vel naturalibus, in Meteoris, in facultatibus rerum naturalium, adeoq; & Hominis; deniq; in ipſo homine ratione utente: vel etiam arbitrariis, ſi DEI vel ſublimis creaturæ miniſtrantis conſilio ſtella ponatur exhibita Mundo. 169.

De anno vero Natali CHRISTI diſputatio, quæ ſeorſim excuditur, occaſionem trahit ex pag. 135.

ERRATA HÆC OBITER OCCURrebant.

Pag. 33. lin. 20. ψηλαφῶντες. P. 49. l. 34. Horæ 36½. P. 112. in margine, 1596. P. 153. l. penult. juſtitium. P. 164. l. 15. 1601. P. 168. l. 13. iis.

Occurrent fortaſſis & alia leviuſcula, quæ lector ipſe facilè corriget.

EPIGRAMMA AUTHORIS IN EXORTUM NOVÆ STELLÆ.

MARTIS dum pario RUBENTIS orbes:
Natura en parit æmulum RUBOREM.
Dum minas pario RUBENTIS astri:
Uxor en parit AUREVM puellum.
Ite tristia, luminis RUBENTIS,
Fœta sidera BELLICI tumultus:
Vos salvete mei NIGELLA, verùm
BLANDA sidera LACTEI puelli.
Quòd natum est jubar, occidat vicissim:
Vos servet bonitas mihi Tonantis;
Donec Armipotentis Oviformes,
Quos pando, cerebro imprimatis Orbes.

3. Decem. anno 1604.

J. K.

HISTO-

HISTORIA NOVI SIDERIS, QUOD ANNIS M. DC. IV. ET M. DC. V. FULSIT IN SERpentario.

CAPUT PRIMUM.

ANNO ab æra Christianorum milleſimo ſexcenteſimo quarto: cujus initium Nativitate Domini noſtri IESV CHRISTI Dei & Hominis ex Maria Virgine aliquot annis poſterius eſſe Chronologi hodierni diſputant: *Circumſtantia temporis.*

Anno primo periodi aſtrologicæ octingentorum annorum, a Triplicitate ignea ſurgentis, à mundo condito octauæ: quam Saturni, Iovisque congreſſus in octavo gradu Sagittarij, ſuperioris anni 1603. die, $\frac{7}{17}$ Decembris jam inchoaverat, abſente tamen Marte:

Cùm extarent jam à multis annis variæ Aſtrologorum prædictiones de revolvente trigono igneo, & ingentibus prodigijs, rerumque publicarum motibus ex hoc anno 1604. conſecuturis; cumque ideò omnium animi in res novas eſſent erecti:

Jamque etiam Marte Saturnum prætergreſſo in 10. gradu Sagittarij, ad diem $\frac{16}{26}$ Septembris, & hinc paulatim ſequentibus diebus ad Jovem, qui jam per pauculos gradus Saturnum evaſerat, properante; quem ſi aſſequeretur, conjunctionis magnæ complementum, juſtumq; titulum ex Aſtrologorum doctrina confecturus erat:

Cùm omnium Aſtronomorum, qui gnáviter ſuam profeſsionem obeunt, oculi ad hoc naturæ ſpectaculum, continentium dierum veſperis diligenter eſſent intenti; alij corrigendorum motuum; alij delectationis; alij ſolennitatis, tot ſæculorum interjectu redeuntis; alij prædictionum ſtudio; quidam etiam exploraturi fidem ſuarum προσημασιῶν, ut qui ex Arabum doctrina diſertis verbis hoc tempore oriturum Cometam prædixerant:

Cùm ego Pragæ die $\frac{17}{27}$ Septemb. ſerenitate cum digreſſu Martis à

Saturno, ut fit, restituta, omnes tres Planetas superiores observassem diligenter:

Ad Martem & Jouem appropinquantes respexissem 23. Septemb. vel 3. Octob:

Idem fecissent Joannes Schuler amanuensis meus 27. Septem. vel 7. Octob. & Joannes Brunovvsky, minister Illustris D. Rodolphi Coraducij, Vicecancellarij Imperij, die 28. Sept. vel *8. Oct. cœlo vix dehiscente nubibus: Idem eodem die & Helisæus Rœslinus, medicus Haganöensis, in Alsatia: Et Dauid Fabricius in Ostfrisia: Idem Michael Mæstlinus Tubingæ, die festo Michaelis Archangeli, sive 29. Sept. Juliano stylo, 9. Octob. Gregoriano:

Nec quisquam horum novi quidquam in confinio trium superiorum Planetarum hucusque vidisset.

Conjunctio verò Jovis & Martis secundùm longitudinem, quæ complementum erat conjunctionis Magnæ; in hanc ultimam diem 29. Sept. vel 9. Octob. incidisset:

Statim sequente Dominica 30. Sept. vel 10. Oct. quæ prima fuit ab vltima conjunctione; cum post Occasum Solis nubes momento temporis aperirentur, supradictus Joannes Brunovvskius Bohemus, Meteoroscopus *Septembris primò omnium: impossibile & illud, quod Antonius Laurentinus Politianus, edito libro idiomatis Italici, affirmat:* Observatam esse die 8. Octobris circiter 18. Gr. Sagittarij, in quo signo, quasi in ipsissimo illo die, contigerit Jovem Marti conjungi, Saturno non longè absente, Luna per Arietem currente, quasi per diametrum opposita Soli. *Horum uterque si unam vocem* (ut puto) *vel* (ut opinor) *ad suam traditionem apposuisset, cavere potuisset acerbitatem dicendi in se concitatam hoc nudo affirmato. Causa enim quæ moverit utrumque, patet ex Ephemeridibus. Nam nocte ea, quæ præcessit* $\frac{17}{27}$ *Septembris, Maginus & Origanus ponunt conjunctionem Saturni & Martis. Visum igitur verisimile Pomerano illi, stellam ortam ea nocte, sub articulum conjunctionis, visamq; vespera sequenti. Sic conjunctio Jovis & Martis à Cypriano Leovitio reponitur in 25. Sept. vel 5. Octob. à Magino in 29. Sept. vel 9. Oct. Medium tenet Everhardus Belga, ex fide tabularum suarum, (quas proprias & ex annorum 40. observatis extructas asserit:) reponens illam in 28. Sept. vel 8. Oct. Visum igitur verisimile Laurentino, stellam incensam sub articulum hunc probabiliorem, conjunctionis Jovis & Martis. Itaque confidentia usus, affirmat* Observatam *die 8. Octob. Ubi fidem & candorem astronomicum in Philosopho jure desideres.*

Sanè

* *Si hæc vera sunt, uti sunt quidem verissima: impossibile est, vera esse, quæ Georgius Spate, presbyter Pomeranus, Herlicio dixit: Visam nimirum* $\frac{17}{27}$

coroſcopiæ unicè deditus, qui conſtellationum cœleſtium notitiam jam olim a Naucleris in mari Mediterraneo primùm hauſit, indéque librorum uſu, & exercitatione indies adauget: hic, inquam, Planetarum ſitum à ſuperioris diei congreſſu ſpeculaturus; ipſo loco congreſſus, pro duabus tres clariſsimas ſtellas animadvertit, ſimul nubes locum rurſum aſpectui eripuère. Verùm ille certus, ſe novi quippiam vidiſſe, mane ſequente me adit, & numquid novi viderim, quærit; cúmque negarem, nubes mihi cœli aſpectum ullum præbuiſſe, monerem verò, ne præcipiti credulitate, imperitior ipſe, ex clara Jovis ſtella Novam ridiculè faceret; admonens, etiam atque etiam videret; ipſe jam quidem nullum rumorem ſeminaturum dixit, donec ipſa clariſsima pronunciet experientia. Inde per continua ſex dierum nubila, extincta fuit apud me ipſa etiam denunciationis hujus memoria; Brunovvskio & Schulero meo tacitè advigilantibus, & per occultam æmulationem, primo ſideris, ſi quod eſſet, aſpectui inſidiantibus.

Interim die $\frac{2}{12}$ Octobris ſidus hoc etiam Joanni Antonio Magino Bononiæ apparuit, fefellitque initio, ut qui antiquus ille Jupiter eſt, novæ ſuam exiſtimationem traderet, ipſe nova crederetur.

Eodem $\frac{2}{12}$ Octobris eandem primùm eſt conſpicatus & Heliſæus Rœs-

ſanè & calculus & obſervatio docuerunt, conjunctionem illam fuiſſe circa meridiem noni Oct. An æmulatione ductus uno die prævenire voluit alium quendam Italum (puto Altobellum Veronenſem vicinum ſuum, ſi benè eorum memini, quæ mihi Franciſcus Ganſneb Tengnaglius S.C. Majeſt. Conſiliarius ex literis J. Antonij Magini retulit;) qui oculis forſan in eandem conjunctionem Jovis & Martis, quam Maginus ad 9. Octob. ponit, intentis, eo die nono Octobris primùm ortam affirmabat. Mæſtlinus quidem ea veſpera ſtellam nondum viderat. Et nihil impedit vtrumq; verum eſſe, ſcilicet non viſam in Suevia horâ primâ noctis; viſam vero in Italia noctis horâ ſecundâ. Subitò enim incenſam apparet. Sed pertexat nobis hiſtoriam ſuam Laurentinus: Et primùm, *inquit*, apparuit parva, & poſtea de die in diem creſcendo, apparuit magnitudine & lumine non multò inferior Venere, ſuperior Jove. *Cauſæ perditæ miſer fucus, ſcilicet Aſtronomi cæteri non viderunt illam, quia parva fuit. Solus Laurentinus, egregius ſcilicet Aſtronomus, etiam parvam adhuc animadvertit. Putidiſsimum vero commentum de incremento ſenſim capto, cum ſtatim initio, die 10. Octobris à noſtro Brunovvskyo, die 12. ab Antonio Magino, Heliſæo Rœslino, die 13. à Davide Fabricio, omninò cerneretur maxima.*

Rœslinus in Alsatia, inter equitandum; cùm primam illam serenam nactus esset vesperam, post diuturnas pluvias.

Die $\frac{3}{13}$ Octobris passim est animaduersa in VVirtenbergia.

Eodem $\frac{3}{13}$ Octobris David Fabricius in Frisia & vidit illam, & agnovit, & obseruavit hoc & sequenti die, instrumentis suis accuratis, ad leges Tychonicas conformatis.

Die $\frac{4}{14}$ Octobris per nubes fulgorem trajectum repræsentavit Mœstlino; sed novitatis illi nondum manifesta, ob nubium crebritatem.

Tandem hic Pragæ die $\frac{6}{16}$ Octobris depulsa fuere nubila, sed vix parum; cùm præstò fuêre Brunovvskius & Schulerus meus, ille confirmandæ suæ relationi, hic, si contingeret, refutandæ intentus. Monitus igitur à Schulero, dum locum conscendo idoneum, jam illa cœli pars ex visu abierat.

Eodem $\frac{6}{16}$ Octobris clarè visa est à Mæstlino Tubingæ.

Sequenti die $\frac{7}{17}$ Octobris cœlo clarissimo obseruavi illam pro loci & instrumentorum opportunitate.

Ex eo literis passim admoniti universi: refertque Bartholomæus Crestinus, Sabaudiæ Principis Mathematicus, die $\frac{7}{17}$ Novembris, jam affuisse literas ex Hispanijs ad suum Principem scriptas, quibus novi sideris exortus celebraretur.

Die $\frac{11}{21}$ Octobris obseruata est à Justo Byrgio per instrumentum à se paratum, eodem à Francisco Tengnaglio, & me; per Tychonicum Sextantem in Viridario Cæsariano.

Venus pro nova stella habita.

Interea dum vulgus passim ad novæ stellæ famam excitatur, re per crebras literas communicata: commodum accessit Veneris exortus matutinus; quæ cum esset terris proxima, distans ab ea vix quarta parte eius, quod Sol distat: sexta vero vel septima eius distantiæ, quam obtinet in exortu vespertino: conveniebat etiã, vt totuplo esset clarior, & aspectu major. Itaq; & umbrã circumscripsit corporibus, & ad multam diem cœlo sereno conspici potuit; à me etiam, qui debiliori utor visu.

Idem accidit hoc anno 1606. Aprili mẽse cum Venere; Iunio cum Marte Acronychio,

Dum igitur Astronomi, rerumque intelligentes, vesperi ad Occasum respiciunt; vulgus hominum, & ipsum negotiosum, & ipsum cœlestium curiosum, denique sapiens, alter alterum trahentes, matutinis horis in fora passim, Viennæ præcipuè, convolant, stellam ante Solem in summo æthere digitis designant attoniti, stultique in stulta Venere animum, oculosque tenent occupatos. Quæ adeò res in tabellas novorum ordinarias multa irrepsit; & cùm vulgi sedulitate quandóque euenisset, *cùm stella nova jampridem disparuisset.*

eveniſſet, ut hæc clariſsima Veneris ſtella, magis magisque è Solis radijs exiens cerneretur à primo Solis exortu, uſque dum ipſa paucis ante Solem horis occideret (in ſigno enim brevium deſcenſionum occidebant.) id exceptum diligenter, & præcipui prodigij loco celebratum fuit.

Cæterùm ex Aſtronomis, qui ſidus hoc novum vidiſſet interdiu, novi neminem. Neque enim Venerem æquabat magnitudine. Narrarunt tamen mihi quidam viri graves, mirabile neſcio quid inſtar trabis, de die viſum in æthere, quod poſt horas aliquot, diurnum motum ſequutum, poſt montes deſcenderit.

Species ſtellæ.

De ſpecie ſtellæ convenit omnibus, qui primo ejus exortui advigilarunt; fuiſſe exactè rotundam, nullo crine, nulla barba, vel ſyrmate in ullam partem projecto, quare nulli Crinitarum ſpeciei, neque Pogoniæ neque Cometis accenſendam; ſed ſtellis fixis ſimilimam, radijs vndiquaque ut fixarum, emicantibus; ſcintillatione clariſsima, coruſcatione ſeu vibratione tam rapida, ut negaverint quidam, ſibi dum viverent, unquam quicquam in cœlo viſum eſſe æquè pernici motu, ut ipſi loquebantur. Atq; hoc varijs ſimilitudinibus expreſsère diverſi; cum enim & colore eſſet tantò magis rutilo, quantò erat Occaſui vicinior, & in vaporibus profundior, ſpeciem dixère orientis in longinquo incendij: alij pulchriùs comparârunt illam faci, quæ à vento agitatur; propterea, quòd ut in illa ventorum impulſu, flammarum interrumpitur continuatio, primisque vix depulſis vel extinctis, novæ ſuccedunt: ſic hoc quoque ſidus radios jam porrigebat longiſsimè, dictoque citiùs eoſdem in ſe reſorbebat, ſimul novo orſu dilatabat, irrequietâ reciprocatione. Auſtriaci noſtri adhuc elegantiori idiotiſmo laborare illam dicebant vehementiſsimè: hoc verbo ad pulſum febrilem, ad agonem vel pugnantis, jam jamque oppreſsi, vel in aquas delapſi, vel animam agentis, alludente: Nam ut hi brachijs pedibusque micare ſolent; ſic hæc quoque ſtella tremulam quatiebat aciem.

Colores ſtellæ.

Mihi, qui potiſsimùm reſpiciebam ad colorum Iridis varietatem, quos pro ſcintillationis alio atque alio habitu evomuit; placuit uti exemplo Adamantis multanguli, qui Solis radios inter convertendum, ad ſpectantium oculos, variabili fulgore revibraret: ſimul ad cauſam ſcintillationis, in Opticis meis allatam, alludere volui.

De coloribus Mæſtlinus planè mecum, eos ad momenta ſingula variari, ex flava mox croceam, è veſtigio purpuream & rufam, ut plurimum candidam videri, ubi ex vaporibus paulo altiùs elevetur.

Magnitudo ſtellæ.

In prima magnitudine quoque conſentiunt penè omnium traditiones; majorem apparuiſſe non tantùm primi honoris ſideribus, ſed etiam Saturno, Marte & Jove, qui vicinus ei ſtabat toto Octobri, luminis amicâ & blandâ quiete à turbulenta ſideris coruſcatione facilis diſtinctu. Quibuſdam cum Venere, cum eſt altiſsima, certare videbatur; mihi dubium nullum, quin omni Venere eſſet minor. Quo ſæpius autem relego, quæ Tycho Brahe tomo 1. Progymnaſmatum pag. 300. de novo ſidere quod anno 1573. fulſit in Caſsiopeja, ſcripſit; hoc propius adducor, ut credam, noſtrum hoc omnibus omninò attributis cum illo quàm proximè convenire; nec me movet amplius, quod viri graves affirmant, ſuperari priorem illam ab hujus magnitudine; viderunt enim hanc inter initia cùm eſſet maxima, & in vaporibus; illa ſemper ſublimis, & à multis tum demum eſt conſpecta, cum decreſcere cœpiſſet.

Tycho ſuam Jove vicino pronuntiavit aliquantùm majorem; hęc noſtra Jove multò fuit maior, ſanè quia tunc etiam Jupiter terris erat proximus & major, hic jam remotiſsimus & minor viſu.

Et memorabile eſt eundem fuiſſe ſitum Solis ad Venerem anno 1572. ſub exortum illius ſideris (quem quidam itidem in Octobrem ejus anni rejecerunt:) qui jam anno 1604. recurrit. Notum enim eſt Aſtronomis, Veneris cum Sole comparatos curſus annis octo vertentibus in priſtinos articulos inſiſtere; & hic ſunt anni quater octo intermedij. Annis enim 1580. 1588. 1596. acciderunt eadem.

Locus ſtellæ in diametro mundi.

Cùm igitur nouum hoc ſidus magnitudine, ſplendore, ſcintillatione, luminis ætherij puritate, cæteris fixis, illique novo in Caſsiopeja, ad unguem reſponderet; factum eſt ut primùm atque in aſpectum illius incidiſſent Aſtronomi; ſtatim concluderent, & de quiete ſubfixis, & de loco mundi, huic quoque cum illis communi; quod paucorum dierum experientia comprobavit, quibus a fixis ſtellis diſtantias retinuit ad unguem eaſdem; a Jove verò & Marte tantò illas adauxit indies, quanti ferè fuerunt ipſorum motus diurni ſub fixis: ſic ut non hæc ab illis, ſed illi ab hac fuerint digreſsi: & quod Brenggerus notavit: idem ſemper horizontis punctum oriendo perſtrinxit, in eodem ſcilicet parallelo perpetuò manſit.

Ingentem itaque Crabbi vanitatem oportet eſſe, qui ex vitioſiſsimis obſervationibus, fraude in ordinem diſpoſitis, auſus eſt ſtellæ noſtræ tribuere motum tardiſsimum, qui toto durationis tempore non tantum confecerit arcum, quàtum Crabbus primo ſtatim die $\frac{1}{4}$ Octobris

bris aberravit obſervando, dum eam in 17. 0′ Sagitt. refert, quam Fabricius in Oſtfriſia, die antecedente, invenit in 17. 37′ vel 17. 40′ Sagit. Si obſervationes ſolas, quantúmvis imperfectas, nobis communicaſſet, gratiam erat habiturus. At quia tantùm illas de certitudine commendat, ut earum fiduciâ ſtellæ motum tribuat minimum: jure, ut deceptor, vituperium habebit. Quid enim de Aſtronomia futurum putas, ſi, quod Deus avertat, miſera poſteritas eam fidem ejus obſervatis circa Planetas adhiberet, quam ille affectat? Itáque miſeret me Herlicij, qui jam nunc, vivo adhuc authore, paſſus eſt ſibi imponi, ut crederet, mobilem fuiſſe Cometam: qui ſi ſuper hunc motum ædificavit ſuum prognoſticum; oleum & operam perdidit, & gratiam exiguam Crabbo debet.

Motu ſublato & parallaxis auffertur, quæ, nominis indicio, motus quidam apparens, translatio apparens eſt, ſideris per ſe immobilis. Et parallaxi ſublata nullus ſideri locus inter Planetas, certè nullus infra Lunam, Venerem, Mercurium, Solem, Martem relinquitur.

Parallaxes verò Jovis & Saturni, etſi ſunt inſenſibiles, ſidus tamen ne propè hos quidem ſtetiſſe, alijs perſuadetur argumentis.

Viſa eſt toto Octobri menſe penè æquali magnitudine, niſi quòd radios Solis ſubiens, Jove ſeſe nonnihil eripiente, Solemque fugiente, deminuit exiſtimationem quantitatis ad Jovem comparata. Menſe Novembri pluribus innotuit. Die quidem 30. Oct. vel 9. Novemb. quadrante ante horam quintam, vidi novam poſt occaſum Solis, cùm nodum invenire poſſem Jovem, adeò erat etiámnum clara, quámvis radijs Solis multò, quàm Jupiter, vicinior.

Die $\frac{6}{17}$ Novembris vidi illam poſtremùm veſpertinam. Secuti enim dies nubili: Brenggerus tamen illam adhuc die $\frac{8}{17}$ Novembris à Jove obſervauit.

Die $\frac{12}{22}$ Novembris cùm ſtellæ locus à Lunæ præſentia notaretur, ſtellam ipſam tamen hic nequaquam videre potuimus. Neque tamen Luna illam texerat, ut cujus latitudo viſibilis erat graduum trium, & amplius; cùm ſidus non duorum graduum haberet latitudinem.

Pragæ igitur inter $\frac{6}{17}$ & $\frac{12}{22}$ Novembris, occidit heliacè. Creſtinus verò affirmat, Turini in Sabaudia, ubi minor poli elevatio, etiámnum $\frac{13}{23}$ Novembri ab ijs conſpici potuiſſe, qui præcipua viſus acie pollerent. *Stellæ occaſus heliacus.*

A 26. Novemb. vel 6. Decemb. principio, uſq; ad diem $\frac{8}{18}$ Decem. Mercurium conſpeximus: Certè die $\frac{7}{17}$ evidenter. Ortus enim eſt ſinifterior,

ſterior, quàm Sol; ſed intra dimidiam horam ab ortu ſuo, ſub crepuſculi lucem ſeſe condidit.

Die verò $\frac{8}{17}$ Decembris, Mercurium an novam viderim, incertum; niſi quòd ſi nova illa fuiſſet, Mercurium utique & evidentiorem, nec longè diſtantem, unâ oculos incurrere par erat; & quòd vix potuit nova oriri adeò propinqua Soli, quodq; novæ uſitata ſcintillatio, nihil me monuit. Quæcunque fuit; dexterius orientis punctum elegit, quàm Mercurius, die $\frac{7}{17}$. Ex eo nubili dies fuère, uſque in Vigiliam Nativitatis Chriſti $\frac{24}{25}$ Decembris: cùm adhuc apparente Arturo, crepuſculo tamen admodùm adulto, animadverti ſtellam ſcintillantem, in eo verticali, qui punctum ortus Solis diei $\frac{7}{17}$ ſignabat, aliquot graduum habere altitudinem, quæ vt plurimùm latens in luce crepuſculi, ſcintillationis tamen fulgoribus ſubinde promicantibus, oculorum aciem perſtrinxit identidem, adeò ut ex Venere per ipſam imaginari poſſem lineam, quæ videbatur duci in locum Horizontis, quo ſtella illa dubia die $\frac{8}{17}$ oriri viſa eſt.

Stellæ ortus heliacus.

Anno 1605. 24. Decem. vel 3. Januarij poſt diutinam obſcuritatem depulſis nubibus, nova ſtella citra dubium ullum manifeſtè rurſum apparuit, ſcintillans rapidiſsimè, ſed imminuta multùm ab illa priſtina magnitudine: major tamen corde Scorpionis primæ magnitudinis, quámvis eſſet ipſa Solis radijs obruta, pluſquàm cor Scorpionis. Arturus tamen, neſcio an ob id, quod extra Solis radios, multò videbatur major. Die tamen $\frac{3}{17}$ Januarij maior Arturo & Saturno putabatur, nullo dum crepuſculi veſtigio. Saturnus tunc à triduo erat ortus heliacè. Nam ante dies decem nondum prodierat.

Ex eo tempore, magis magisque diminuebatur. Cùm enim die 20. Martij obſervationi eſſem intentus, videbatur ſidus multò minus eſſe Saturno, nec multùm ſuperabat magnitudine ſtellas in genubus Ophiuchi, tertij honoris.

Die 21. Aprilis videbatur æquare claram in dextro genu Ophiuchi. Ex eo quodammodò conſiſtebat hoc ejus decrementum, per Majum & Iunium.

Die 12. & 14. Auguſti diligenter contemplatus circumſtantia ſidera; cenſui, novam æqualem eſſe ſtellæ, in Tibia Ophiuchi, proximæ; quæ tertij quidem & ipſa honoris cenſetur: minor tamen eſt ſtellâ in genu.

Scintillabat Nova etiámnum manifeſtiùs cæteris.

Die 29. Auguſti majorem quidem Novam, quàm Tibiam pronuntiare

tiare non potui, ob claritatem æstivarum noctium; melius tamen videri potuit, quàm Tibia, scintillatione adjuta.

Die 13. Septembris visa est minor eâ, quæ in Tibia.

Die 8. Octobris, anno jam exacto, à prima ejus apparitione, cœlo sereniſsimo, visu comprehendi difficulter potuit; melius tamen, quàm Tibia, nec semper, sed cùm emicuit. Jam enim locus ille vespertini crepusculi luce albicabat, Sole ad locum accedente. Ex hoc tempore rursum occidit heliacè, quadraginta diebus citiùs, quàm ante annum: ex quo datur intelligi, quanta fuerit ejus claritas & magnitudo, in principio.

Anno 1606. menſe Januario rara fuit opportunitas cœli matutino defœcati, præsertim circa horizontem, etsi hyems fuit egregia, & gelu continuum.

Die tamen $\frac{16}{26}$ Januarij contigit mihi locum videre: Apparebat genu dextrum, flexus Spiræ serpentinæ, & clara in palma dextri pedis Ophiuchi, quarum illæ duæ proximè suprà novam, ista proximè infrà illam steterat. Neque Novam tamen, neque eam, quæ in Tibia, novæ proximam ad dextram, videre ullo pacto potui: simul crepusculi matutini lux accensa est. Saturnus erat ortus heliacè.

Die 25. Jan. vel 4. Febr. mane, vidi locum Novæ, nihil de Nova, sed Luna erat præsens, nondum conjuncta Saturno.

Die 27. Jan. vel 6. Febr. incertus, an emicans vestigium novæ viderim, ex obsservatorio discessi. Itáq; minorem factam apparuit, quàm vt hac auroræ claritate, etsi supereſſet, videri posſet. Menſe verò Martio, postquàm locus tantùm à Sole nudatus esſet, ut nondum orto crepusculo, satis altè suprà horizontem attolleretur, nullum ampliùs vestigium de stella, quod in oculos incurreret, superfuit. Incertum igitur, quo die inter Octobrem anni 1605. & Februarium anni 1606. fuerit extincta. *Disparitio stellæ.*

Memorabile est, aditam fuisse à Planetis omnibus. *Configuratio cum Planetis.*

Primo exortu quàm proximè jungebatur Jovi, & Marti in meridiem depressis, formâ trianguli obtusi, quod die 12. & 13. Octobris per motum Planetarum in rectam lineam abijt. Octobris 25. Luna suprà ipsam transivit, idque repetitum singulis mensibus sequentibus. Nunquam tamen locum sideris texit. Nam hoc tempore Nodus ascendens, in Libra fuit, magis magisque à loco sideris recedens, ut posterior quisque mensis Lunam borealiorem in Sagittario præstiterit. Sunt autem dies conjunctionum hi: Anno 1604. 25. Oct. 22. Nov. 20. Dec. Anno

1605. 16. Jan. 12. Febr. 11. Martij, 8. Aprilis, 5. Maij, 2. & 29. Junij, 26. Julij, 23. Aug. 19. Septem. 16. Oct. 13. Novemb. 10. Decemb. Anno 1606. 6. Januar. 3. Febr.

Sed & cæteros Planetas videamus. Sol igitur ad locum hunc venit annuatim decimo Decembris, (seu 30. Novemb. stylo Juliano.) Itaque anno 1604. Saturnum, anno 1605. Lunam, ibi loci deprehendit; atque ita novilunium Decembris anni 1605. fuit insigne, quod in locum sideris inciderit.

Saturnus 11. Decembris anno 1604. stellam proximè attigit, nonnihil tamen infrà transiens: quod sequenti 13. Januarij ad oculum patuit. Mensibus, Julio, Augusto, & Septembri anni 1605. priora legens vestigia, stationem suam proximè sidus peregit, tantum ferè distans à Nova ad sinistram, quantum Tibia Ophiuchi ad dextram in eadem recta; quam decussatim secabat alia recta, ducta desuper à spira serpentis, quæ post genu dextrum Ophiuchi, ferè per Novam, in palmam pedis Ophiuchi. His itaque stellis quinque crux effigiabatur, cujus trabs longior, seu basis, sursum versa: ut ita Nova ferè esset in coassatione linearum, seu in centro crucis.

Post Saturnum Mercurius 13. Decemb. anno 1604. & anno exacto 17. Decembris locum hunc transivit.

Ultima fuit Venus, quæ die 21. Januarij, anno 1605. transivit suprà novam; & deprehenso ibidem Saturno, pulchrum præbuit contemplatoribus spectaculum. Anno 1605. 12. Novembris redivit eodem, sed tunc infra transivit.

Hæc igitur est celeberrimi hujus sideris vera & certa historia, cui confirmandæ & illustrandæ sequentia aliquot capita subijciam.

De Trigono igneo ac initio de primo significatu vocis Trigonus.

CAPUT SECUNDUM.

ETsi Astrologia multum habet vanitatis, & maiori ex parte indigna est, in quâ bonæ horæ collocentur: quia tamen morbus iste, non paucorum est, sed potissimâ partem generis humani pervadit, ut parum ad vsum communem loqui videatur, qui Mathematicas artes citra eius mentionem tradit: non possum supersedere, quin explica-


plicationem hiſtoriæ jam traditæ de nouo ſidere, ab aſtrologicarum traditionum commemoratione auſpicer.

Videas exemplum laudabile in doctiſsimo Latinorum Philoſophorum C. Plinio; qui quô eſt ab aſtrologica ſuperſtitione purior, hoc plura ex Aſtrologorum digeſtis, paſsim in opere ſuo depromit.

Dicendum enim eſt mihi ab initio, quid monſtri ſit Trigonus igneus, cujus concurſus cum novo ſidere paſsim tanto miraculo celebratur: Idque deducendum ex Aſtrologorum decretis, ut qui hæc lecturi ſunt, viri politici, nulla in parte ſe deſtitui querantur: examinandum verò etiam ad libellam veritatis, ut nugæ à natura rerum ſeparentur, habeantque ſexcenti Aſtrologi, qui per hos 4. annos de Trigono igneo ſcripſerunt; nominatim verò Herlicius ille, facundiſsimus ſimul, atque famigeratiſsimus Aſtrologiæ profeſſor, habeant, inquam, quid de ipſorum ſcriptis unus aliquis judicet, quem de artis ignorantia accuſare non poſſunt.

Etenim ſi vulgi eſt de hoc pronunciare, uter melior Aſtrologus, ſciant me ſtare pulcherrimè: ſin doctorum eligunt judicium, ipſi jampridem ceciderunt. Sive igitur mecum illi ſtent coram vulgo, ſive cum illis ego jaceam coram doctis: utrinque ex ipſorum ordine ſum, ipſis par ſum, repudiari non debeo; ab Herlicio certè non, qui me laudavit publicè. Quamvis potiſsima hic ratio habenda eſt doctiſsimorum virorum, qui Mathematicâ non adeò imbuti, frequenter quærunt, Naturale quid ſit Trigonus igneus, an Θετικόν τι.

Trigonus Græcè; Triangulus Latinè, vox eſt geometrica, figuram ſignificans omnibus notiſsimam. Hujus vocis in Aſtrologia duæ vel tres aliæ ſunt notiones. Primum enim, quando binorum Planetarum radij ſic coëunt in terra, ut intercipiant circuli, ex puncto coitionis deſcripti, partem præcisè tertiam; hæc habitudo binorum radiorum è numero aſpectuum eſt; & Trigonus vel trinus aſpectus dicitur. Ratio nominis eſt, quia ſi tertius Planeta accederet, eodem ſcilicet intervallo ab utriuſque radio, radium & ipſe ad communem ſectionem demittens, & puncta circuli, radijs tribus ſecti, rectis connecterentur, genuinum crearetur Triangulum æquilaterum, notione Geometrica.



Hic verò Aſtrologi, ne cogerentur ſemper ex puncto coitionis radiorum, circulum deſcribere, uſi ſunt compendio, pro puncto coitionis, centrum mundi, ipſiusq; zodiaci; pro circulo verò deſcribendo, jam olim deſcriptum in cœlo zodiacum, ſub quo Planetæ omnes incedunt,

elegerunt. Itáque etsi res ipsa, Trigonus nempe, in puncto est sectionis radiorum apud centrum terræ: ejus tamen æstimatio perficitur in altissimo æthere, non secus ac si omnes Planetæ supremum illum circulum corporibus suis permearent, quemadmodum quidem etiam apparent ad visum.

Cùm igitur pro radiatione Planetarum, loci binorum Planetarum in zodiaco, scilicet pro reipsa, mensura rei, Trigoni nomen susceperit: hinc etiam nata esse videtur vox aspectus, quæ Prosopopœjæ figura est, ubi partibus zodiaci aliquammultis, æquali spacio circuli circumcirca distantibus (vel Planetis in has zodiaci partes, ex orbibus suis inferioribus, per imaginationem, visu fallaci duce sublatis) oculi mutuusque conspectus tribuitur.

Atque hoc genus rerum, aspectus nempe duarum stellarum, quarum vel utraque, vel altera sit mobilis, illud est, quod ego penè solum in Astrologia retinendum esse censeo. Quod quidem tanta contentione contra Philosophos, artis penitus ignaros, philosophicè & ex doctrina harmonica (penè in solidum ignorata) defendo, quanta fidentia reliquam Astrologorum suppellectilem penè omnem eliminandam esse censeo, idque in omnibus meis scriptis astrologicis indesinenter protestor.

De altero significatu vocis Trigonus: seu de Triangulatione Signorum.

CAPUT TERTIUM.

EX hac astrologica notione vocis Trianguli, quæ origine prima est, fluxerunt reliquæ. Nam secundo loco translata est hæc vox à punctis zodiaci ad integras ejus partes, eodem intervallo distinctas. Cùm enim Astrologi zodiacum dividant in duodecim partes æquales, initio facto à sectione mediæ lineæ, per zodiacum euntis, cum linea inter polos mundi mediâ, quam sectionem Sol verno tempore transit (quarum quidem partium nomina

Sunt ♈ Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libra, Scorpius, ♐ Arcitenens, Caper, ♒ Amphora, ♓ Pisces.)

Duodecim igitur in tria divisis (quòd tria ad triangulum formandum adsciscantur:) zodiacus habere dicitur quatuor Trigonos, quos & Triplicitates appellant.

Primus

Primus est Arietis, Leonis, Sagittarij,
Secundus Tauri, Virginis, Capricorni,
Tertius Geminorum, Libræ, Aquarij,
Quartus Cancri, Scorpij, Piscium.

Vbi vides, inter Arietem & Leonem interesse partes tres, Taurum, Geminos, Cancrum; inter Leonem & Sagittarium itidem tres, Virginem, Libram, Scorpium; denique totidem etiam inter Sagittarium & Arietem, scilicet Capricornum, Aquarium, Pisces: & sic de omnibus. Itáque si partes hæ in circulo disponantur, rectisque connectantur, perfectum creabitur triangulum.

Ex nominibus partium singularum ortum est nomen signi, commune omnibus duodecim partibus: Itáque circulus ille, signorum circulus, Græcè ζωδιακὸς dicitur: Triplicitates verò quatuor, distinguunt denominationibus elementorum quatuor. Primam dicunt igneam; secundam, terream; tertiam, aëream; quartam, aqueam.

Tota hæc divisionis & nomenclaturæ ratio, non ideò tantùm retinenda est in Matheſi, quia antiquissima: sed etiam ideò, quia necessaria memoriæ, usu verò commodissima. Nam etsi cum Astronomiâ ipsa penitùs extirparetur ex hominum animis; tamen qui successuri essent, siquidem Astronomiam inter homines revocare vellent, hujusmodi ratione aliqua, partes cœli nominibus distinguendi, uti cogerentur.

Itáque protervè ineptiunt, & ineptè proterviunt quidam, qui eloquentiâ abusi populum sub dium evocant, contemplaturos, an in cœlo animalia, an ignem, aquámve oculis invenire possint, an verò Astronomos æquè atque Astrologos (nullâ factâ distinctione nocentum ab innocentibus, nullâ usus necessarij à superstitione:) omnes ad unum insanire dicere velint.

Quando verò de hoc quæritur, an, ut nomina, sic naturalis quoque virtus, nominibus congrua, inter has zodiaci partes distributa sit; aut naturáne, an hominum arbitrium has distinctiones invenerit: hìc jam ajunt Chaldæi, Indi, AEgyptij, Arabes, Græci, Latiníque Astrologi; negant Philosophi omnium ætatum & temporum, cumque ijs unâ ego. Causa inter potissimas, cur negem, est, quòd qui affirmant, sola persuasione antiquitatis nituntur; ut cùm rationes nullas inveniant, huc se recipiant, quod incredibile existimant, Nomenclaturam hanc naturali fundamento carere, cùm antiquissima sit, & omnibus sæculis pro naturali celebrata. Itáque ut causa, cur negem, & cautio, quatenus negem,

in conſpectu ſit; quod plurimùm quidem conducit ad æſtimationem miraculi noſtri; res omnis à prima origine retexenda eſt.

An diviſio Zodiaci in duodecim partes æquales ſit Naturalis.

CAPUT QUARTUM.

PRincipio dicam de cauſa diviſionis duodenariæ: ubi non nego occaſiones nonnullas à rerum natura ſubminiſtratas, quibus admonitum Inventorum arbitrium, hanc præciſam diviſionem duodenariam introduxit. Harum occaſionum præcipuè tres invenio.

Prima ſuppeditatur à proportione motus Solis ad motum Lunæ. Dum enim Sol zodiacum ſemel peragrat, Luna duodecies ferè redit ad ipſum; ſic tamen ut ad tertiam Solis revolutionem, ipſa triceſimam ſeptimam ferè adijciat.

Itáq; zodiacus duodecim congreſsibus Lunæ cum Sole quàm proximè in duodecim æquales partes dividitur.

Eadem penè occaſio fuit, ſignum quodlibet in triginta gradus dividendi: Inter duos enim congreſſus Lunæ cum Sole, qui, ut jam dictum, uno ferè ſigno diſtant: triginta ferè dies interlabuntur.

Cùm igitur olim poſt diſtributionem generis humani in orbem terrarum, pauci eſſent literas docti, itaque carerent diariorum commoditate, quâ hodie, maximè à centum annis, utitur plebs etiam infima: Sed neque ſemper de ſuggeſtu indicerentur feriæ, quarum annuo recurſu de ruſticis admonerentur operibus (quod his mille annis obtinuit in Eccleſia) ſparſim ſiquidem habitabant, rariusque conveniebant: His igitur commoditatibus cum carerent homines; credibile eſt, notitiam numeri dierum in anno naturali, ad pauciſsimos pertinuiſſe. Ac etſi fuere ſemper & omnibus gentibus ſuæ feriæ atque ſolennitates; utplurimùm tamen eæ mobiles erant, ut noſtrum Paſcha, & cum lunationibus rurſum prorſumque transponebantur: Itaque ad operas ruſticas annuas non ſufficiebant.

His de cauſis agricolæ neceſſariò ad fixarum exortus contemplandos redacti fuerunt, extiteruntque inter ipſos, hujus diſciplinæ præcepta per manus tradita, longè prius quàm ab Heſiodo cæterisque referrentur in literas.

Ex hac diſciplina ruſtica, quâ ratione manarit numerus ſignorum, facile

facile eſt conſiderare. Sive enim ad Lunam plenam, ſive ad naſcentem, aut denaſcentem, ſive denique ad quadras, quod expeditius eſt, reſpexerint; facile erat videre, quomodo initio facto, verbi gratia, à cornibus Arietis, ſecundi menſis quadra apud cornua vel oculum Tauri; tertij apud ſtellas Geminorum; quarti apud obſcuras Cancri; reliquæque apud ſidera reliqua ſteterint; atque ita totus zodiaci ambitus intra ſpacium anni, duodecim locis, quadrarum præſentiâ, fuerit ſignatus.


Cùm verò pateret; hoc quadrarum recurſu non præcisè conſtitui duodecim partes; ſed revolvente anno, alia fieri quadrarum loca, diviſionis novæ ſigna: retenta tamen fuit præciſa diviſio duodenaria, ejusq; principium idem & conſtans perpetuò.

Cauſam hujus facti hãc recenſent Alfraganus, & Alcabitius, quam pro ſecunda commemoro. Sol, inquiunt, ambitum zodiaci diſtinguit in 4. partes, totidem pũctis, ſeu notabilibus terminis, & perpetuò quidem iiſdem. Eſt enim punctum ſolſtitiale, in quo Sol fit altiſsimns; eſt brumale in quo humilimus; ſunt duo æquinoctialia, in quibus medius fit inter polos mundi. Illic dies longiſsimos vel breviſsimos, hic noctibus æquales facit. In his 4. punctis, quatuor anni decumanas tempeſtates reducit; Ver, æſtatem, autumnum, hyemem: quæ omnia naturalia ſunt, non pendentia ab hominis arbitrio.

Cur verò ex his quatuor quadrãtibus zodiaci, quilibet in tria ſigna porrò dividatur, ut ita ſigna fiant numero duodecim, cauſam Alfraganus hanc dicit, quòd ſit naturæ conſentaneum, uſuq; receptum, quamlibet rem quantam, diſtinguere in principium, medium, & finem.

Tertia cauſa ſeu occaſio diviſionis præcisè duodenariæ, deſumitur à comparatione aſpectus Trini cum quadrato.

Conſentiunt enim in hoc experientia, quæ rem, & harmonica ratio, quæ cauſam rei indicat; quod binis Planetis ad viſum tertia circuli zodiaci parte (de qua ſuprà capite 2.) vel quartâ vel ſextâ diſtantibus; magna exiſtat commotio naturæ ſublunaris. Poſito ergo Saturno in principio Arietis, quaſi immobili, ubi Sol ab eo tantùm receſſerit, ut primò ſextâ, dein quartâ, denique tertiâ circuli parte diſtet: tribus his locis partes circuli duodecimas intercipiet. Nam differentia ſextæ & quartæ partis totius, item quartæ & tertiæ, utrinque eſt pars totius duodecima. In Geminis enim Sol faciet ſextilem cum Saturno; in Cancro quadratum; in Leone trinum. Bini itaque, ex dictis, aſpectus, occaſionem præbent, zodiacum in duodecim partes dividendi; principium verò nullum certum monſtrant.



Quartam

Quartam, sed futilem causam allegat Albumasar, Inveniſſe Veteres in cœlo imagines quadraginta octo, ex quibus cùm duodecim in zodiacum incidant, totidem ejus factas partes. Nam ut ab ultima causa principium faciam refutationis, imaginum antiquitùs undecim solùm in zodiacum inciderunt: Quas enim ſtellas Libræ tribuimus, eæ Scorpioni pro Chelis accenſebantur. Audiat itaque Albumaſar, non ideò duodecim conſtitutas eſſe zodiaci partes, quòd eſſent inventæ duodecim imagines conſtellationum; ſed contrà ideò ſtellas in zodiaci vicinia numero præcisè duodenario diſtributas, quia alijs de cauſis recepta erat duodenaria diviſio in zodiacum. Adde quòd conſtellationis imago non conficit ſignum. Sunt enim aliquæ extenſæ ultra partem ambitus duodecimam, aliquæ contractæ: Signa verò Aſtrologorum adeò ſunt minutim dimenſa in ſectiones duodenarias, ut Jupiter in 29. gradu & 59. minuto, & 59. ſecundo Geminorum, cenſeatur in detrimento ſuo, nactus atros calculos quinque: poſt minutum temporis, tranſitione facta in 0.0/1// Cancri, jam fœlix, jam in exaltatione ſua, quatuor albis calculis gaudeat, ſi dijs placet. Valeat itaque quarta hæc cauſa Albumaſaris: dicamus & de tribus ſuperioribus; ut pateat, non effici per illas, ut in zodiaco, ſigna duodecim, veris & naturalibus limitibus, aut alijs atque alijs qualitatibus ſint diſtincta. Et de prima quidem, atque tertia non difficile eſt probare, cùm non conſtituant conſtantia hujus diviſionis initia. Itáque ſi verbi gratiâ 19. gradus Sagittarij à conjunctione luminarium vim ſiccitatis ſortiretur: elapſis aliquot menſibus, in eundem 19. Sagittarij incidens plenilunium, vim ei humectandi infundet. Idem de aſpectibus Planetarum dici poteſt, quos ipſi circumferunt per omnem ambitum, cum ſuis corporibus. Cùm verò Aſtrologorum ſigna zodiaci, conſtantia dicantur habere initia: nihil ad illa hæ cauſæ; præter hoc unum, quòd Aſtronomos primos invitârunt eminus ad præciſum numerum duodenarium; quem illi unâ cum ſubdiviſione tricenaria penitùs ſunt amplexi, non naturam motuum, quæ diſcrepabat nonnihil, ſed ſuum arbitrium, & numeri 360. amplitudinem, ex Geometria ortam, occulto inſtinctu, & manifeſta ratione ſecuti. Sanè quidem quod dixi de inconſtanti diviſionis termino, idem etiam ſecundam cauſam attinet; nam & Sol principium hoc ſuum, nempe Arietis primum punctum, ſub fixarum ſphæra, quæ naturalis eſt, transponit. Itáque Aſtrologi non ipſum præcisè ambitum, ſed aliquid paulò amplius ipſo zodiaco, in duodecim dividunt: perinde atque faciunt ipſæ quadræ ſuprà uſurpatæ, dividentes aliquid breuius

integro

integro Zodiaco, in partes duodecim. Illud autem contra omnes tres causas dici potest: quod etsi concederemus præcisè eodem recurrere omnes lunationes, exacto anno; item omnia solstitia, omnesque aspectus; incredibile tamen sit, ab eo, quod fit sub zodiaco, vim infundi ij si loco zodiaci. Sit 19. gradus Sagittarij siccus, quando Novilunium est sub eo; 4. Capricorni humidus, quando Luna plena sub eo: Sit Capricornus hyemalis, quando Solem habet; Cancer verò æstivus ex ejusdem sideris præsentia; concedo amplius aliquid, sit Cancer etiam prolificus, quando Jovem habet hospitem, magis quàm Capricornus, ejusdem Jovis beneficio; ut non tantùm ipsa sidera ex alto fortiùs feriant, quàm ex declivi, sed ipsa etiam natura sublunaris, veneratione quadam, in Cancrum subvectis sese tractabiliorem exhibeat, magisque obnoxiam: Denique sit efficax copula o. Arietis, & o. Cancri, quando illic Saturnus est, hìc Sol: at his abeuntibus ex illis locis, quid remanet partibus zodiaci de his hospitibus, quo naturaliter à se invicem distincti intelligantur, seu terminis, seu partium inter terminos interjectarum, qualitatibus? Aut si quid manet, an non aboletur succedente alio contrarię qualitatis? Nam retinere quidem aliquantisper, verbi gratiâ octavam partem Sagittarij, vim aliquam ex congressu Jovis & Saturni, qui in eo gradu anno 1603. factus est; non negandum est penitus, explicandum verò ex abstrusissima ratione harmonica, mente à cœlo deductâ, & in terras inductâ; qua ratione ipsi signo Sagittarij naturalis qualitas planè nulla relinquitur: atque hoc ipsum etiam tempore rursum evanescit.

Puncta Solis cardinalia pro naturalibus terminis agnosco, vim Solis in ijs versantis exseri fateor; sed longè alia ratione, quàm quæ ad rem pertineat. Astrologi enim in principio Capricorni partes zodiaci calidas frigidis permutari subitò, & in ipso puncto divisionis existimant: Sol verò calorem æstivum, quantùm in sese (nam quid elementa hìc conferant, non est quæstio;) huc usque deminuit, & ab hoc fastigio rursum augere incipit, itaque in ipso puncto lentissimum præstat. Ita quod est naturæ metropolis, Astrologis fiunt limites duarum hostilium regionum.

Illa etiam de principio, medio, & fine argumentatio, non aptè ad naturales partium qualitates transfertur. Omnis res quanta, omnis arcus, principium & finem habet: sed ij termini puncta sunt, partes rei non sunt. Secundùm naturales qualitates verò, quæ dimensiones & ipsæ suscipiunt, omninò quidem, partes à partibus differunt, extremæ

à medio; at non hoſtilium qualitatum formis, ſed ejuſdem qualitatis gradibus. Hoc pacto quadrantem æſtivum, ſi à 15. Tauri, autumnalem à 15. Leonis, & ſic reliquos inciperent; meliori quidem jure de tribus quadrantis partibus, extremis remiſſo, mediâ intenſo calore, philoſopharentur; ſed tamen ſuperioribus adhuc argumentis tenerentur.

Itaque ut concludam, cauſæ hæ occaſiones ſubminiſtrarunt humano arbitrio, ad diviſionis hanc formam amplectendam; ex natura rei diviſæ deſumptæ non ſunt; neque naturalem diviſionem exprimunt, ſed merè geometricam ſeu arithmeticam. Ite Aſtrologi, quærite alias.

An nomina ſignorum ſint arbitraria, an verò naturalia & ſignificativa.

CAPUT QUINTUM.

Dicam igitur ſecundo loco de origine nominum, quibus ſidera ſunt inſignita. Et ſunt quidem magni viri, qui exiſtimant deſumpta eſſe conſtellationum nomina ab occulta proprietate, quâ polleant hæc ſidera præ alijs, quæq; periclitandis hominum geneſibus ſint inventæ. Qui ſic ſentiunt, ij adſciſcant etiam ad tuendam hanc ſententiam, illa Indorum, Chaldæorum, Ægyptiorum plurima annorum millia; ut ſatis temporis largiantur veteribus ad hæc inveſtiganda. Quanquam ego diverſa ratione, quàm Picus, hoc argumentum uſurpo, non adempturus eo Aſtrologis omnem omnium dogmatum experientiam, quod ille facit; ſed oſtenſurus, hæc in ſpecie nomina non veniſſe ſtellis ab experientia, niſi conſtet, eâdem duce experientia, ut in ceteris artibus, aliqua etiam ſucceſſu ſæculorum emendata, & in melius commutata fuiſſe. Satis conſtat ex Cicerone, Ptolemæo, Manilio, Firmico; non demum ſub Auguſto & Tiberio Cæſaribus in Romanum imperium importatam, ſed antiquitus receptam cum ſana ſcientia, hanc etiam Nomenclaturam ſignorum. Satis etiam clarum eſt ex Eſaia Propheta, ſub Monarchis Babylonicis, quando cœperunt Eclipſes conſignari, ad publicum delirium uſque fuiſſe exercitam Aſtrologiam, matremque extitiſſe præcipuæ idololatriæ; dum ſpiritibus Planetarum fictitijs, ſub electionum prætextu, ſervirent homines. Quid de Moſe dicam, quem quidam legentes, in omni ſcientia Ægyptiorum eruditum fuiſſe, in Aſtrologia ajunt excelluiſſe: quod ex Luciano confirmatur. Atque is 800. annis non plus à diluvio abfuit. Atqui etiam, paulò

paulò ante, tempore S. Jobi percrebuerant quorundã ſiderum nomina. Itaque tempus ad conſtituendam hãc ſignorum effectus ſcientiam, indeq; derivandas conſtellationum figuras, admodum breve; contra verò tempus, quo antiqua ratio nuncupandi ſidera hucuſque citra omnem mutationem duravit, admodum longum efficitur. Quid novi namque invexit Arabum in hac arte ſedulitas, quod ad antiqua ex Ptolemæo & Manilio nota principia reduci, exque ijs derivari non poſſit? Ut ita ratiocinando ex veteribus principijs, ſiderumque nominibus, non experimentando nova, diſciplinam auxerint.

Sed audiamus hac de re ex illo Arabum ſæculo hominem, vix dum renatâ ex Arabicis codicibus Aſtronomia, imbutum.

Humana quidem perſuaſio, inquit Ioannes de ſacro Boſco, ſtellis numeros & nomina fecit, non ex ſui naturâ, ſed ſignificatione diſtinctioni accommodatâ, unde Bernhardus Sylveſtris dicit:

Communi ne voce res generalis oberrent,
Quæ modò ſunt ſtellis nomina, fecit homo.

Item Virgilius lib. 1. Georg.

Navita dum ſtellis numeros & nomina fecit:
Pleiades Hyades, Claramq; Lycaonis Arcton.

Imò verò ipſorum etiam Arabum ſaniores audiamus, præcipuè Abrahamum Avenezra, cujus verba hoc ipſum dicentia, vide apud Picum lib. 8. cap. 15.

Omnino credendum eſt duo fuiſſe genera hominum, qui ſtellas in formas quaſdam redegerunt, Agricolas, & Nautas. De agricolis, qui antiquiores videntur, dixi ſuprà. Quomodo enim intelligere poſſent, Solem abſolutâ periodo, conſiſtere loco priſtino, quadras redire ad loca priſtinis vicina; niſi diſtinctione inter ſidera factâ, nominibusque impoſitis. Quibus quidem hoc neceſſariò facturis, natura præluſit; ſideribus per ultimam ſphæram, nullo perpetuo ordine, hoc eſt, confuſè, diſſeminatis; ne diſpoſitionis ſimilitudine in diverſis locis, homines falli poſſent. Ab agricolis igitur eſt Aries, Taurus, Virgo ſpicifera, Caper, Bootes ſeu agitator, Heniochus, Capella, Hœdi, Plauſtrum ſeu Urſa (Homero jam nota nomina) & ſimiles: A nautis verò Plejades, Navis, ſidus horizonti meridiano, hoc eſt, montibus aut mari contiguum, quoties videtur, & ſimiles: Ab utriſque Hyades. Si quæ aliæ videntur longius abire à rebus, utrique hominum generi familiaribus: at certè ſumptæ ſunt è medio vitæ uſu, è rebus oculos ferientibus; ut Venator, Fera, Lepus, Canis, Serpens.

Causæ denominationis siderum.

Quod si conjecturæ licet indulgere; delectum imaginum & nominum, quæ plura uni constellationi è rerum natura poterant imponere, duæ præcipuæ causæ fecerunt, dispositio stellarum, & tempus anni, operibus seu nauticis seu rusticis opportunum. Equidem qui Vrsi, qui Serpentarij, qui Serpentis, qui Hydræ, Orionis, Leporis, Canis, Tauri, Geminorum, Cancri, Leonis, alarum in Virgine, Scorpij, Sagittæ & arcus, Gallinæ, Corvi, Coronæ, Trianguli, multarumque aliarum figurarum stellas intuetur, earum præsertim, quæ nostra memoria ex cœlo antarctico Hispanorum & Hollandorum industria accesserunt: videt ille quandam dispositionis earum similitudinem cum membris animalium & rerum, à quibus habent nomina, & videt hoc rectius ex cœlo, quàm ex globo; quòd hodie vitiatæ habeantur hæ imagines, pro libitu pictorum & sculptorum conformatæ, à stellis, quibus nomina dederunt, & à mente authorum vetustorum longè dissidentes.

Stellarum dispositio.

Audi versus Arati de Tauro:

Τὰ δὲ ὁι μάλ' ἐοικότα σήματα κεῖται
Τοίη ἡκεφαλὴ διακέκριται· ὧδέ τις ἄλλῳ
Σήματι τεκμήραιτο κάρη βοός. ὁιά μεν αὐτὸ
Ἀστέρες ἀμφοτέρωθεν ἑλισσόμενοι τυπόωσι.

Ita quidem superiùs Albumasar; causam imaginum non ex naturæ penetralibus, sed ex Arati authoritate repetens.

Vicissim qui audit Pleiadas, Aristam, Vindemiatricem nominari, simulque considerat, quòd ortus earum pro signo fuerit, operum navigandi, mercndi, vindemias colligendi; quid ille quæso occultioris Philosophiæ quærit in horum nominum ratione? cùm causa nominis ad oculum pateat: & ideò ne quidem stellarum dispositio nomini stabiliendo quæratur.

Tempus anni.

Hanc causam Picus extendit ad omnes imagines, non minus ridiculà conjecturâ de hominum cogitationibus, quàm sunt Astrologorum de signorum naturis, quas tantopere deridet: dum consilium ipsis fuisse ait; anni tempora per imagines Zodiaci duodecim exprimere.

Esto & tertia causa, primæ permixta, à Pico etiam commemorata, quæ effecit, ut constellationes nonnullæ humanam repræsentantes effigiem, quorundam individuorum nomina meruerint, historiæ nempe seu veræ seu fabulosæ. Quo in censu sunt Cepheus, Andromeda, Cassiopeja, Perseus, Draco & aliæ. Nec dissimile vero, vicissim ex eo quod vulgus agricolarum sideribus quibusdam animalium nomina transcripsit,

Fabulæ & historiæ.

pſit, ortas eſſe fabulas, poëtica commentatione: quorſum referri videtur Hydra, Crater, Corvus, Urſa, Ophiuchus cum ſerpente, & ſimiles.

Quam hominum periergiam Lucianus libello de Aſtrologia ridens artificioſiſſimè, vt vix diſcernas, ludos agat an ſeria, niſi hominem noſſes; quidquid animalium invenit in varijs nationum ſacris & religionibus, id in cœlum intulit; quidquid hujus in cœlo oberrat, ad hominum ſuperſtitiones detraxit.

Conſtellationibus igitur omnibus per has cauſas examinatis, ubi apparuerit, nullam nobis relinqui ἀναίτιον: an non liquidò patebit, figuris hiſce vim ſignificandi non ineſſe? Niſi forte unius figuræ cœleſtis poſſunt eſſe multæ cauſæ; fortuito caſu & per accidens, ad eundem effectum toties, tam mirabili conſenſu, conſpirantes. Quod quicunq; facile credit imbecillitate judicij laborat, dignus qui Judæorum cabala cerebrum frangat. Hi namque ad eundem planè modum, neglectis evidentiſſimis derivationum & originum cauſis, divinæ providentiæ linguam ſuam aſſerunt; perſuaſi, hoc fuiſſe Deo linguæ authori propoſitum, ut ex literarum transpoſitione, rerum natura depingeretur, & integris ſententijs, myſteria neſcio quæ reconderentur. At ſobrij homines, divinæ vim providentiæ veneratione debita confeſsi, linguas ſeu Deo ſeu hominibus uſitatas, ita uti ſonant, intelligunt; humano arbitrio ſuum inter cauſas locum, ſuoſque genuinos effectus relinquunt. Iidem etiam, figurarum in cœlo cauſas ex humano arbitrio obvias amplectuntur, ſublimiora de occultis figurarum proprietatibus, quæ per geneſium contemplationem fuerint inventæ, non ſapiunt.

Sed obijcient hujus pictæ Philoſophiæ Studioſi, credibile eſſe Deum conditorem, quas indiderit conſtellationibus proprietates, earundem proprietatum participes animantes elegiſſe, quarum figuram diſpoſitione ſtellarum exprimeret, ut ita figura hominem admonens de certo animate: de ejus etiam animalis proprietate, ſtellis hiſce communi, ſimul admoneat. *An & Creatio.*

Quicunque hoc affirmat, & confidentiâ utitur, & temeritate. Non enim omnia nomina ſunt à diſpoſitione ſtellarum: contrà ſæpius diverſa nomina ab eadem diſpoſitione ſunt orta: quæ etſi non eſſent, æquè tamen facilè alius hanc Theologiam negaverit, atque hujuſmodi aliquis affirmavit.

Age verò largior etiam aliquid; eſto ut tota natura ſublunaris, *An &*

Συμπάθεια cum sublunaribus.

quamvis ratiocinatione non usa, ijsdem tamen de causis, quibus humana phantasia, idem sibi de his sideribus imaginetur quod homo. Hoc enim de colore stellarum verum dogma, (nec quicquam in contrarium proficiente Pico) de figura non simpliciter negabo; neq; accuratius in præsentia excutiam. Quid hoc tamen ad sidus ipsum in cœlo; aut quæ nova proprietas ipsi sideri revera conciliari potest ex hominum, naturæque genitalis imaginationibus?

Sidera locis excessêre.

Quid dicemus de perplexissima lite, quæ inter hodiernos agitatur Astrologos, super hoc figurarum negotio; dum sidera è dodecatemorijs, quibus indidère sua figurarum nomina, exactis jam bis mille annis, penitus excessère, retrocedentibus æquinoctijs, unde dodecatemoriorum zodiaci sumitur initium. Nam ut ex nostro themate sumamus exemplum; utrum zodiaci signum esse dicemus, quod congressui Saturni & Jovis, & quod novæ stellæ præbuit hospitium? Sagittarium an Scorpionem? Si æquinoctia respicias; locus conjunctionis est octavus Sagittarij gradus: locus novæ decimus octavus ejusdem signi: Si sidera ipsa; stellæ Sagittarij, quæ tertio signo ab æquinoctio nomen fecère Sagittarij, jam in contiguum signum, quod à bruma incipit (à Capricorno denominatum) transierunt. Vicissim non procul à loco congressus, stella, cor Scorpij, dicta invenitur. Itaque si fixas respicimus, hæc superiorum conjunctio, & hæc nova stella in Scorpionis constellationem inciderunt.

Zodiacus vnde dictus.

Sed satis de origine nominum: Concludamus hunc locum explicatione vocis Zodiacus. Latini namque proprijssimè verterunt Signiferum, Germani infeliciter den Thierkreyß/ circulum animalium, magis genuinè, den Bilderkreyß/ circulum signorum. Græca vox Ζῴδιον, hìc non est animalculum, sed Idolum qualecunque etiam hominis, seu pictum, seu sculptum, seu fusum. Hoc sensu τὰ Ζῴδια sumuntur apud Heronem in spiritalibus; hoc sensu etiam Cicero, alijque Latini scriptores voce *Signa* utuntur. Arato quidem fixarum dispositiones sunt σήματα membrorum in animalibus: sed non est verisimile eum, qui primus dixit Signa cœlestia, ad vocem σῶμα potius respexisse, quàm ad vocem Ζῴδιον. Qui verò duodecim signa Germanicè vertit, die zwölff Zeychen/ aut non attendit ad genuinum significatum vocis *Signum*, quæ hoc loco idem quod Ζῴδιον significat, Germanicè Bild: aut vox Zeychen/ latior olim fuit, quàm hodie, comprehendens etiam significatum vocis Bild. Hodie namque vox Zeychen/ signifi-

significat generaliter, vel indicium qualecunq;, ut bubones & exanthemata pestis, genitalia sexus; vel notam qualemcunq; scriptam, ut characteres Planetarum & signorum scriptos; aut signum qualecunq; memoriæ causâ collocatum, seu in scriptis, ut obelisci, asteriſmi, manus, indiculi, literæ N.B; seu extra, ut congeries lapidum, cruces, nodi in arborum frondibus, stigmata, incisiones, & similia: quo sensu signis cœlestibus minimè quadrat. Specialiter verò Zeychen/ Germanis sonat Ostentum cœleste, portentum, miraculum; rursum non admodum propriè de signis Zodiaci, tantò tamen tolerabiliùs, quantò portentosiora in cœlo monstra finximus Astrologi.

Denominationem Trigonorum ab Elementis non esse ex rerum naturâ, sed ex arbitrio hominum.

CAPUT SEXTUM.

TErtio loco explicanda est origo denominationum. Signa enim ab Astrologis alia ignea perhibentur, ut quod jam incipere dicitur triplicitas ignea, alia aëria, alia aquea, alia terrea.

Causa igitur cur signis hæ fuerint attributæ denominationes, conjectu est facilis. Omne genus humanum, inde à prima origine agnovit, & pro confesso usurpavit, tempestates annuas ex cœlo variari. In tempestatibus verò anni, hæ quatuor cernuntur qualitates, Calidum, frigidum, humidum, siccum. Atqui hæ quatuor qualitates in totidem elementis, quæ nostris obversantur sensibus, in igne calor, in aëre humor, in aqua frigus, in terra siccitas præcipuè, dominantur. Hinc Aristotelica combinatio talis.

Calidum. IGNIS. *Siccum.*

TERRA AER

Frigidum. AQVA. *Humidum.*

Cùm itaq; aliter capere non possent homines, quomodo hæ qualitates ex cœlo essent; in cœlum eas sustulerunt, interq; signa zodiaci distribuerunt. At Aristoteles negat, ijsdem imbui qualitatibus, quibus hæc nostra imbuunt; itaq; ne Solem quidem calidú fatetur. Ego mediâ ingredior; propriè namque non est siderum vel siccare, vel humectare hæc in-

hæc inferiora, niſi per accidens, antegreſſo calefactionis certo gradu. Multò minus ex ſe frigefaciunt. Quatenus verò quævis calefaciunt; eatenus & ipſa calida, Solem verò ferventiſſimum aſſero: unde quidem ex qualitatibus apud me nulla eſt ſignorum diſtinctio.

Sed quare non tria contigua, Gemini, Cancer, Leo, ignea; quia æſtiva; autumnalia verò terrea; hyberna aquea; verna aëria?

Cauſa cur hoc omiſſum, pendet ex recepto diviſionis numero. Cùm enim partes zodiaci feciſſent duodecim, conſequens erat, ut binæ contiguæ contrarijs qualitatibus dividerentur, niſi vellent pro una parte haberi, quas illi, magna ſcil. cum ratione, in tres diviſerant.


Cur ergo ſingula ſigna his qualitatibus tributa, quas habent apud Aſtrologos, non contrarijs?

Cauſæ duæ adducuntur: prima ex imaginum natura: Cancer enim & Scorpio, & Piſces, aquatica ſunt animalia; ſigna itaque hæc aquea ſunt habita. Viciſſim Aries, Leo, Sagittarius, poſteriùs equus, animalia ſunt naturæ igneæ; quare & hæc ſigna ignea. Ita cum hæc tria, tum etiam Gemini, Aquarius, maſcula ſunt effigie; maribus verò copioſior calor: quare & Gemini, Libra, Aquarius, calore participant. Non eſt tamen univerſalis hæc cauſa: nam cur non humidus Aquarius, igneus Taurus, & Cancer? Et cur Taurus, Capricornus fœminina ſigna? Adde quòd diſceſſerunt ex ſignis ſuis imagines: manſerunt tamen qualitates ex ipſorum dogmate.

Audiamus itaque Albumaſarem. Primum ille huic inter elementa diſtributioni fundamentum ponit minus fide dignum; bipertitionem ſignorum in maſculina, & fœminina. Quare ſunt alternis maſculina & fœminina, initio facto ab Ariete? Placuit nempe authoribus, ut Ptolemæus ait, occaſione perpetuæ alternationis inter diem & noctem, ut ſigna quæ erant pari numero duodecim, in ſex diſtribuerentur connubia, marique adhæreret ſua fœmina. Forſan enim duodecim non viderentur, niſi ſexu contigua diſtinguerentur. Rationem ſolidiorem ſanè nullam invenio.

Hìc ſunt ergo ſigna duodecim alternis maſcula, fœminea: ſunt & elementa quatuor, quæ ſingula diſtributione ex æquo facta, trina ſibi ſigna vindicant. Aut igitur tria contigua calida eſſe, aut, quia hoc non poteſt, (ne contigua ſigna coëant) In compenſationem igitur, tria in figura triangula per zodiacum diſponi oportuit. Cùm igitur Aries primum & præcipuum zodiaci ſignum ſit, & ignis primarium ſit elementum, præditus calore, quæ eſt qualitas activa ad vitam, ideóque maſcu-

masculina. Aries igitur, & cum eo triangulantia, Leo & Sagittarius sunt ignea. In primo quadrante principium Aries, in secundo me-



dium Leo, in tertio finis Sagittarius. Quartus quadrans hyemalis caret signo igneo.

Sed cur tria succedentia, Taurus, Virgo, Capricornus, terrea potius quàm aërea, cùm aër immediatè succedat igni? Causam refert Albumasar hanc: Calori quidem actionem esse vivificandi: frigori verò itidem actionem, sed mortificandi, & corrumpendi: Omnem verò activam qualitatem passivâ esse nobiliorem: itaq; Tauro, qui proximè sequitur Arietem, activam qualitatem alteram obtigisse, frigus nempe, & inter elementa terram, frigoris sedem. Itaq; quæ proportio est vitæ ad mortem, diei ad noctem, maris ad fœminam; hæc quoque videbatur caloris ad frigus. Nam & fœmina in generandi actu aliquid agit (juvandus enim est Albumasar miserè laborans) nec merè passivè se habet.

Dixit Albumasar, cur igneo signo censeat succedi oportere à frigido: Dicat etiam, cur id siccum potius, quàm humidum?

Primùm inquit, si Taurus constitutus fuisset humidus, Cancrum oportuisset esse siccum. At melius erat Taurum esse siccum, ut bina conjugata signa in una passiva & materiali qualitate convenirent; Aries & Taurus in sicco, Gemini & Cancer in humido; Leo & Virgo in sicco; & sic consequenter.

Videtur hìc aliquos ex Cabala theſauros aperire Albumaſar. Nam rerum naturam quaſi per ludum explicat. Omnino marem & fœminam ſpecie convenire oportet, ut ſpeciem propagent, ſexu verò contra ſe diſtingui. Hoc adumbrantes ergo ex Albumaſaris ſententia, veteres illi, bina ſigna contigua, quæ ipſi conjugio copulârunt, materiali qualitate convenire dixerunt, activis ceu quibuſdam genitalibus diſtingui. Ac cùm duæ ſolæ eſſent paſſivæ qualitates, ſicca & humida; duo etiam connubiorum genera poſuerunt, locos in zodiaco alternos ſortita: ut in rerum natura alia eſt inter homines copula maris & fœminæ, alia inter boves. Alluſerunt forſitan etiam ad ſucceſſiones mutuas æſtatis & hyemis, & in utraque diei ac noctis.

Hæc utcunque habeant, etſi quidem ingenioſa hac naturæ imitatione, & qualitatum in ſigna diſtributione meritò delector; non tamen majoris illam facio, quàm par eſt; nec ſi primi authores legem quandam ſuis ratiocinijs arbitrarijs à rerum natura ſunt mutuati, propterea viciſſim tota reliqua cœleſtium natura ſeſe ſubjecit his eorum ratiocinijs; Ut hortulanus ad quinarium numerum floribus familiarem reſpiciens, ſi pulvillos ſtruat quinquangulos; non ideò efficit, ut fœliciùs in ijs proveniant roſæ: quia natura floris, etſi ratiocinantem hortulanum admonet de quinquangulo, non tamen ab expreſſo quinquangulo reciprocam capit utilitatem.

Quin hoc potius apparet ex diligenti cauſarum harum penſitatione, ſigna zodiaci ab elementis denominata mero inventorum arbitrio; revera autem nullâ arctiori cognatione cum illis, à quibus denominantur ſingula, connecti.

Denique ſic comparatæ ſunt hæ denominationum cauſæ, ut maneant nomina Igneus, aëreus, aqueus, terreus, quantumvis diſcedentibns fixis, ſeu imaginibus conſtellationum.

Etenim qui primus deliberavit, quænam præcipuè ſigna, à quibus elementis denominaret: ſi ad fixas reſpexiſſet; Taurum calidum & humidum dixiſſet; Calidum ab igneo fulgore Palilicij; humidum à Plejadibus & Hyadibus, quæ pluvias generare credebantur.

Sic Scorpionem dixiſſet igneum ab igneo Antareos ſidere, primi honoris, quod proximum erat conjunctioni Saturni & Jovis præteritæ.

Ita vides has denominationes, ab elementis deſumptas, non fixarum reſpectu obveniſſe ſignis: quare neque cum diſceſſu fixarum è ſignis extinguuntur.

Quæ

Quæ cauſa naturalis ſigna Zodiaci, trientibus circuli diſtantia, in unam Triplicitatem copulet?

CAPVT SEPTIMVM.

Dictum eſt igitur hactenus, quid ſit Trigonus igneus notione aſtrologica; quòd nempe ſint tres zodiaci duodecimæ partes, trianguli formâ per zodiacum diſpoſitæ, & ab igne denominatæ. Cùm autem & ſectionem zodiaci in partes duodecim, & partium denominationes, tam à ſexu & animalibus, quàm ab Elementis, mero arbitrio vindicaverim; à rerum verò natura abduxerim: jure meritò quæras amplius, nulla ne præterea naturalis ratio ſuppetat, quâ trina ſigna in trianguli forma copulentur?

Itaque quemadmodum ſupra de ipſa zodiaci ſectione dictũ, quòd natura quidem ipſa in præciſas duodecim partes ipſum non dividat; ſed tamen occaſiones exhibeat hujus ſuſcipiendæ diviſionis; dum Luna duodecim zodiaci locis quolibet anno cum Sole congreditur: ita etſi eadem motuum cœleſtium natura Trigonos, ita uti ſunt ab authoribus conſtituti, ad unguem non deſcribit; occaſiones tamen ſubminiſtrat, hos Trigonos obſervandi. Saturnus enim & Jupiter altiſſimi Planetæ binos proximos congreſſus mutuos ſic ordinant, ut tertia ferè zodiaci parte diſtent. Qua ratione efficitur, ut quolibet ſæculo tria zodiaci ſigna, ab authoribus ſub unum trigonum redacta, ex conjunctionibus ſuperiorum præcipuam vim obtineant in commovendâ (non dico in cogenda) natura rerum ſublunarium. Quam Aſtrologiæ partem Joan: Picus Mirandulanus mihi nondum eripuit; etſi pleriſque, quę libris 12. contra Aſtrologos diſputavit, ſobriè, & ſecundùm valorem argumentorum uſurpatorum intellectis, ſubſcribo.

Tale quippiam & Lunæ motus ſuggerit cum Solis motu comparatus. Luna quippe tenens Arietem, anno uno revoluto Leonem, anno altero Sagittarium obtinet, vel initia Capricorni.

Quid ſit Triplicitas ignea.

Jam igitur tempus eſt, ut alteram notionem vocis, Tigonus igneus, explicem, quæ quidem eſt hujus loci propria. Dicunt enim Aſtrologi Trigonum igneum, tempus annorum ducentorum ferè: intra quod tempus, congreſſus ſuperiorum Planetarum Saturni & Jovis, in ſolis Igneæ Triplicitatis ſignis, Ariete, Leone, Sagittario frequentantur, ut

nobis quidem in terra habitantibus apparent: ubi plerunq; fit, ut priusquam tardi illi his signis excedant, omnes reliqui Planetæ subsequantur, & cum tardis illis intra horum signorum confinia conjungantur.

Quì autem fieri posset, ut congressus superiorum tantùm in unius Triplicitatis signa incidant, sic patebit: Saturnus zodiacum percurrit annis 30. Jupiter annis 12. Iter igitur annuum Saturni est tricesima, Jovis duodecima totius itineris; aufer tricesimam à duodecima, restat vicesima. Jupiter igitur Saturnum prævertitur annuatim vicesima totius itineris: Viginti igitur annis Saturnum denuò assequitur. Atqui ipse Jupiter singulis annis singula signa, hoc est duodecimas zodiaci emetitur: annis igitur viginti, signa viginti, hoc est, integrum circulum, & præterea octo signa peragrat. Sit conjunctio Saturni & Jovis in Sagittario anno 1603. Exactis annis 12. Jupiter redit in Sagittarium, Saturnus verò in Tauro subsistit: post annos 8. Saturnus à Tauro in Leonem, Jupiter à Sagittario itidem in Leonem promovetur, ibiq; Saturnum adipiscitur. Post alios 20. annos fit idem in Ariete; ubi vides inter Sagittarium Leonem & Arietem interesse triangulum.

Vide schema fol. 25.

Eâdem ratione patebit etiam, quì fiat, ut congressus hi post annos 200. de Trigono uno in aliam transeant. Nam quæ jam de tricesima & duodecima parte itineris dicta sunt; ea non præcisè ita habent, nec Jupiter præcisè cum anno terminat & signum. Fit igitur, ut bini congressus non præcisè tertia parte distent, sed tribus circiter gradibus minùs. Itaque tres gradus decies multiplicati signum unum conficiunt, ubi congressus decem à principio signi exorsi ad finem signi devolvuntur, & undecima repetitione ad principium sequentis signi transeunt, quod novam incipit Triplicitatem. Itaque quatuor Triplicitates, quibus omnis continetur zodiacus, in ducentos annos ductæ, periodum creant annorum octingentorum paulò minus; quo temporis spacio totus zodiacus quadraginta congressibus in totidem partes penè æquales dividitur: eoque tempore exacto reditur ad initium. Itaque possum dicere, loco conjunctionis Saturni & Jovis, quæ fuit anno 1544. in 30. Scorpio. proximam & tempore & loco esse hanc, quæ facta est anno 1603. Decembri in 8. Sagittarij, sic ut intra annos octingentos nulla propius ad 30. Scorp. sit accessura.

Tempus ignei Trigoni quantum.

Ex hoc igitur loco, comparatione facta cum ætate mundi, patet successio trigonorum, & repetitio ignei. Cùm enim à conditu rerum numerentur anni plus minus 5600. hi divisi per 800. septem constituunt magnas periodos, reditusque ignei Trigoni.

Quotus sit iste reditus Trigoni ignei.

Memo-

Memorabile verò est, in ipsos ferè periodorum articulos incidere præcipuas Epochas: quo nomine plurimùm delector hac Trigonorũ serie, & quodam quasi temporum compendio, ad memoriam juvandam utilissimo. Puto etiam plerisq; hujus ætatis fore gratissimum: eo quòd in unum ejus articulum etiam hæc nostra ætas incidat. *Utilitas doctrinæ Trigonorum in historia ætatis mundi.*

Ducit autem familiam igneus, cum ob hoc ipsum, quod de Epochis dixi; tum ob id etiam, quia principium habet cum principio Arietis commune, quod est inter Cardinalia præcipuum.

Accipe in Tabella rotundis, miniméque præcisis numeris, quibus sæculis igneus Trigonus inierit.

Periodi.	*Anni ante Christum.*	*A rerum origine.*	*Personæ insignes.*	*Res coincidentes: tu Lector cave, à Trigonis effectas dixeris.*
1	4000	000	Adam.	Creatio Mundi.
2	3200	800	Enoch.	Latrocinia, urbes, artes, Tyrannis.
3	2400	1600	Noah.	Diluvium.
4	1600	2400	Moses.	Exitus ex Ægypto. Lex.
5	800	3200	Esaias.	Æra Græcorum, Babyloniorum, Romanorum.
6	Post Christum.	4000	Christus Dominus.	Monarchia Romana, Reformatio orbis.
7	800	4800	Carolus Magnus.	Imperium Occidentis & Saracenorum.
8	1600	5600	Rodolphus II.	Vita, fata, & vota nostra, qui hæc differimus.
9	2400	6400		Ubi tunc nos, & modò florentissima nostra Germania? Et qui nam successores nostri? an & memores nostri erunt? Siquidem mundus duraverit.

Huc usque progressos dubitatio excipit de genuino principio hujus Trigoni ignei. Nam si medios motus spectemus, conjunctio media seu ficta à Cardano reponitur in annum 1583. in ipso puncto Arietis. Et pulchrũ quidem, Trigono principium dare a conjunctione, quæ est vicina puncto Cardinali, quorum unum est in qualibet triplicitate. *Unde initium Triplicitatis igneæ sumendum.*

Verùm medij motus ex calculo Prutenico aliter habent, conjunctionem exhibentes in 28. 14/ Piſcium; non verò in mero principio Arietis. Vera autem conjunctio adhuc longiùs retrò, ſcilicet in piſcium gradum 21. incidit.

Quæ verò anno 1603. fuit; mediorum motuum reſpectu in 1. 7/ Sagittarij, veris autem motibus in 8. Sagit. incidit, utroque nomine prima in ſignis igneis.

Ne ſic quidem omnis ſublata eſt diſputatio. Dictum enim, tempus id vindicari igneo Trigono, intra quod congreſſus ſuperiorum nulli fiant, niſi in igneis. Atqui hoc, etſi anno 1603. 1623. ſic habet, anno tamen 1643. variat. Tunc enim media conjunctio in Ariete, vera autem in 26. piſcium eſt, retrogradatione Planetas in anteriora trahente; quanquam per ſe etiam ob cauſas motuum phyſicas & opticas, (quas antiqui vocibus Æquantis & Eccentrici expreſſerunt:) Saturnus à Sagittario in Piſces, Jupiter à Libra in piſces, motu tardi ſunt, & æquationes habent ſubtractorias. Itaque omnia iſta lato modo debent accipi. Nam ſi motuum ſpectetur veritas apparens, ne Triangulum quidem erit inter binos proximè præteritos congreſſus. Anno enim 1583. conjunctio fuit in 21. Piſcium anno 1603. in 8. Sagittarij. Interſtitium igitur non 120. gradus, qui perfectus Trigonus eſt, nec 117. quod eſt ordinariè inter medias conjunctiones, ſed 102. gradus, quadrato propius quàm Trigono, ut vides in ſchemate.

De Triplicitatis igneæ viribus naturalibus: & primò de Conjunctionum efficaciâ, contra Joan. Picum Mirandulanum.

CAPUT OCTAVUM.

DIxi hactenus, neque naturalem eſſe diſtributionem zodiaci in ſigna duodecim, neque perpetuam vel accuratam, hanc, quæ à motibus ſuperiorum ſit, in triplicitates quatuor diſtinctionem, triumque diſtantium connexionem: Dictum etiam, neque ſignis proprietates ullas eorum animalium, neque ſignorum Triplicitatibus, qualitates eorum elementorum ineſſe, à quibus denominantur. Quæ omnia cùm centum amplius annis ante me docuerit Joannes ille Picus, Mi-

Lib. 6. c. 4.
L. 6. c. 15.

cus, Mirandulæ comes: jure videri possim totus in ejus sententiam de Astrologiæ vanitate concedere.

Ac ne multus sim, rejecit author ille lib. 5. cap. 5. effectus conjunctionum magnarum in solidum; rejecit lib. 6. cap. 5. 6. 7. aspectus omnes in universum; negavit lib. 6. cap. 15. vim ullam inesse Trigonis, quorsum etiam aliqua ex lib. 6. cap. 4. referri possunt. Quibus inter cætera capitibus, cùm diversum ab authore sentiam; rationes ejus expendam, prius tamen explicatâ meâ sententiâ, nam faciet ad præsens institutum.

Fons effectuum quos experientia tribuit conjunctionibus Planetarum.

Quærit Picus lib. 5. cap. 5. quare credat, majora facere Saturnum & Jovem, cùm sunt simul, quàm cùm sunt separati? Respondebo ex mea, non ex Astrologorum sententia: Opus quod superioribus adscribimus junctis, quod non competit separatis; id nequaquam Planetarum ipsorum est, (præter nudam illuminationem & calefactionem:) sed ipsius naturæ sublunaris: Quod si hoc opus ipsis per se Planetis tribueretur, respondere quis posset de virtute unita fortiori. Nunc autem etsi movent quidem naturam sublunarem; non tamen movent, ut agentia naturalia, virtutem aliquam ob præsentiam patibilis rei effundentia; sed sic movent naturam, ut objecta movent sensus, lux oculos, sonus auditum, calor tactum. Neque enim horum quicquam tantò est debilius, quantò plurium sensus aperti sunt ad excipiendum; sed tributus est his omnibus effluxus quidam naturalis, & immateriatus, qualitatis ejus, quam possident, cujus species sine defatigatione suæ originis, ferit sensus ad defatigationem usque. Hic exspectat Philosophus aliquis: ut quæ in exemplis dixi de varijs rerum qualitatibus; ea in stellis applicem ad earum lumina: itaque quæ hìc me putat subjuncturum, anteà se dicet scire; nimirum adhuc militare contra me rationem Pici, cùm binorum Planetarum conjunctio nihilò auctius efficiat lumen utrorumque, quia quantum possederant separati, tantum conferunt in congressum.

Ego verò nequaquam loquor de lumine in præsens, cujus est sanè & calor & claritas ad modum corporis, non ad propinquitatem mutuam duorum, quorum quidem alter alteri, non sit causa luminis.

Conjunctiones ipsas Planetarum,

Luminis verò & cæterorum sensibilium similitudine usus sum ad explicationem rei obscuræ. Etenim in conjunctione duorum Planetarum, non jam lumen, sed ipsa hæc relatio, ipse situs, quem conjunctionem appellamus, objecti vicem gerit. Quale itaque objectum, talis in natura sublunari est & sensus. Objectum ex relationum classe est,

itaque

quatenus relationes, habere sese ad naturam vegetabilem, ut objectum se habet ad sensus.

itaque & naturam sublunarem vi percipiendi relationes istas præditam esse necesse est. Et ut verbo dicam, naturam sublunarem brevi pede metiuntur quidam Philosophi, nullum esse sensum, nullam rerum intelligibilium perceptionem existimantes, præter eas, quas homo possidet, facultates. Ex hac persuasione oritur temeritas oppugnandi res manifestissimas.

Dic mihi Pice, quo sensu canis vestigia domini percipit: num odoratu? At hercle hominis tam exquisitus odoratus non est. Aliquid igitur discis in cane, quod non didiceras in homine; nec credidisses de cane referentibus, nisi in rem præsentem sæpius ipse venisses.

Dic amplius, qua re radices, & bulbi herbarum, colores excipiunt affusos, croci, Brasilij ligni, cæteros; ut hos in florem postea transferant? Dices succum quem hauriunt, infectum esse. Non satisfecisti: quantulum est, quod Caryophyllorum radicibus affunditur? quantum contra florum ex caule profunditur? ubi proportio? Quare, cùm diluantur colores affusi, limpido humore bulbi, succo terræ, non etiam diluitur in flore color? Quare alio artificio sparsæ existunt in flore guttæ coloratæ, alio totus flos imbuitur? Imò quare non digeritur coloratus succus, ut exutus suis proprietatibus cedat in corpus plantæ, quod vides de alijs alimenti proprietatibus fieri? Itaque fatere impressionem aliquam existere in spiritalem quandam facultatem formatricem: quam alij dicunt rationem seminariam.

Sed quid ego humilis inter plantas repo? Prægnantem aspice ovem Jacobi Patriarchæ. Variegatos illa baculos sub aquis limpidis contuita, speciem in fœtum derivavit. Quomodo species hæc à baculo in oculum venerit, non quæro; vulgare est. At quomodo ab oculo in uterum in formatricem facultatem, in fœtum, quomodo, inquam, ab hoc baculo ad illum angulum: hoc eget explicatione, eget, inquam, impressione quadam plusquam usitatâ.

Ad hunc modum dico & colores Planetarum (ut obiter respondeam Pico ad ea, quæ alicubi objicit) & ipsos eorum congressus, & configurationes, naturis seu facultatibus rerum sublunarium imprimi; & his objectis illas permoveri, cum ad formandum, tum ad movendum corpus, cui movendo præsident.

Pro experientia pugnari, non pro decre-

Hic ne quis isto me præjudicio gravet, quasi quæsitâ subtilitate, miserisque argutijs, deploratæ, jamque perditæ Astrologorum causæ remedium quæram anxius. Non tanti facio Astrologiam, nec unquam refugi, Astrologos infensos habere. Sed me constantissima (quantum

in natu-

in naturalibus ſperari poteſt) experientia, de commotione ſublunarium naturarum ſub conjunctiones & aſpectus Erronum, edocuit, & reluctantem vicit. *tis Aſtrologorum.*

At forte hoc mihi obſtat ad fidem faciendam, quòd nemo Aſtrologorum hanc attulit rationem; ſolus ego, (at quis homo, unde prodiens, quando natus?) Aſtrologos Philoſophiam doceo?

Ego verò appello philoſophos, & æquos rerũ æſtimatores, utrum non omnia recentium inventa, omnes in melius commutationes hoc pacto, quaſi peſſulo obdito, è Philoſophia excludantur? Non nego Pico, magnam eſſe vanitatem experientiæ ab Aſtrologis jactatæ, etiam circa hoc caput; at non ideò concedo, nullam fuiſſe experientiam. *Quatenus experientia in Aſtrologia valeat: quatenus in errore ſit.*

Jam itaque ut ſolet in rebus obſcuris, magni extiterunt errores, ex varietate ingeniorum de cauſis cogitantium. Exemplo ſit nobis quæſtio omnium maxima: Quis niſi plane inſanus, & in Epicuri ſchola corruptus, negabit eſſe Deum? cum ut D. Pauli verbis utar, *Attrectet eum omne genus hominum*: Et tamen huic experientiæ, quot falſa quotidie ſe immiſcent, dum quilibet Deum ſibi fecit, unde aliquod ſenſit levamen? Hinc tot ſpecies impietatis. At non ideò, quia deceptæ ſunt infinitæ Myriades gentilium, etiam decipiuntur hodie Chriſtiani, Turcæ, Judæi, Deum unum colentes, eumque φιλαφῶντες. *Exemplum de Deo.*

Poteſt igitur in re tam perplexa fieri, ut omnes in parte decipiantur, in genere tamen verum aliquid experiantur. De Sole alius credit, diem ab eo, ceu amictum latiſſimè porrectum, circumferri; alius aquas ab eo extrahi è terra, alius uvas ipſius illuſtratione colorari, alius fæcundari naturam ab ipſius ingreſſu in Arietem, alius ſtellas eo adventante cœlo expelli. Philoſophus aliquis ſingula perpendens, invenit errari à ſingulis, quod hæc particularia attinet, neque ſufficere Solem ad iſta: ipſe verò re perpenſa, cùm videat hæc omnia cum Solis acceſſu fieri, cum receſſu diminui; generale quippiam inde colligit, authorem eſſe per ſeſe ſolius lucis & caloris: ex quibus duabus rebus, accedente naturâ rerũ ſublunarium, conſecutione naturali ſequi reliqua omnia, & deficiente aliqua cauſa ſub Luna, impediri poſſe. *De Sole.*

Sic olim cum Magnete res habuit, cùm quidam Jacobus Florentinus animadvertiſſet in eo polum, qui ad polum mundi contenderet, quique ferrum attraheret, oppoſita parte ferrum repellente; ſtatim extiterunt, qui mirabilium artificiorum ſpem facerent; Motus perpetui, per claviculos in rota ferreos; Sphæræ cum cœlo mobilis ſine rotulis vel ponderibus; Alphabeti, quo quis alteri ad conſtitutũ tempus ultra *De Magnete.*

centum milliarium ſpacium, quæ vellet, ſignificaret: quæ ex tractatu Magiſtri Henrici de Haſſia, excerpta, quod oſtendit libellus, ante 200. ferè annos manuſcriptus, quem habeo, ubi in Taiſnierij Hannonij manus venerũt, denuò ſub novæ inventionis titulo ſunt ab eo publicata, verbis ut plurimùm ijſdem, ſchematibus verò ad unguem expreſſis.

Conjunctionum efficientiæ experientiam eſſe.

Ad eundem modum dico obſervatum eſſe à veteribus, & hodie obſervari, maximam vim conjunctionum Planetarum, in ciendis facultatibus rerum ſublunarium: at cùm ex hoc univerſali principio alius alia conaretur exſtruere, omnes verò ad particulares prædictiones contenderent, Aphoriſmorum varietatem magnam confingerent, ut eventuum varietati reſpondere illa poſſet, poſtea experientiam pro ſe quiſque allegaret; deceptos eſſe, cupiditate prædicendi cæcos, ut in ſuperſtitiones tam multas impingerent.

Sed ad Picum redeo. Putat opera Planetarum impediri præſentiâ contrariorum Planetarum; itaque minora fieri, quàm ſi ſinguli ſeorſim operarentur. Primùm nego impediri alium ab alio, miſcentur enim, ut radij lucidorum. Deinde revoco Picum ad priorem reſponſionem, Non hic conſiderari, quid Planetæ per ſe agant, ſed quid naturæ ſublunares patiantur, ab eorum conjunctione, tanquam objecto. Ubi experientia præcedit ratiocinationem. Niſi enim ad oculum oſtendero, concitari vim rerum ſublunarium à Planetis conjunctis; non peto, ut allatis rationibus credatur. Contra ſi de re conſtet; ratiocinatio contraria nihil poterit obtinere; ſed interpoſitu dogmatis hujus de impreſſione ſenſitiva ſpeciei conjunctionis, in facultates rerum ſublunarium, rectè diſſolvetur.

Pergit Mirandulanus, Cur non potius Solis & Lunæ conjunctiones valeant, quàm Saturni & Jovis, in magnis iſtis mundi mutationibus adminiſtrandis. Reſpondeo ex meâ, non ex Aſtrologorum ſententia: Nullam mundi mutationem à quocunque ſiderum poſitu effici aut præſignificari: non enim idem eſt, Univerſitatem Naturarum ſublunarium, adeoque & animos hominum, quatenus naturales, vehementiſſimè concitari; &, ſtatum hujus Mundi vel generis humani, ex una forma in aliam transfigurari. Deinde ad hanc naturarum incitationem valent quidem etiam Solis & Lunæ conjunctiones & deliquia; ſed alia longè ratione. Nam quatenus conjunguntur ſimpliciter, id menſtruum eſt; itaque non diu durat conjunctio, cùm Luna ſit velociſſima: Stimulus igitur iſte nec acris eſt, nec inſolens, quem ideò neque magna commotio ſequitur. Ampliùs, quid habet Picus,

cur ma-

cur magis universales faciat Solem & Lunam, quàm Saturnum & Jovem? Cœlum ajunt undique supra; itaque non Sol tantùm, sed & Saturnus. An fortè hoc voluit, majores esse vires luminarium, quàm cæterorum erronum? Fateor, sed ecce iterum de proprio stellarum opere loquentem Picum, quod quilibet obtinet ad modulum corporis & luminis. At de hoc nos jam non loquimur. Pridem enim fassus sum, hoc ipsorum opus non confortari conjunctionibus. Nobis igitur de objectivâ naturæ commotione sermo cùm sit; illud negandum est, quod de proprio siderum opere conceditur. Itaq; quanta conjunctio, tanta naturæ commotio: si conjunctio diuturna, si rara; magna quoque & insolens erit commotio: ac proinde major commotio à conjunctione Saturni & Jovis, quàm à Solis & Lunæ.

Ait verò Picus; non omnium, non præcipuorum Astrologorum esse doctrinam de conjunctionibus: falsam igitur esse. Dico ego, de conjunctionibus in uniuersum, tacuisse nullum ex Astrologis. Quod autem in Prognosticis rerum universalium Ptolemæus omisit hanc conjunctionum magnarum seriem, & quasi Politiam, successores Arabes adsciverunt: de hoc litigent inter sese Astrologi, qui se rerum in Mundo vicissitudines ex astris prædicere posse jactant: mihi non rerum vicissitudo, quæ specialia multa involvit; sed sola naturarum commotio, quæ est universalis, eaque non omnis, per cœlum quæritur.

Messahalam Picus arguit, quod ab ijs qui sunt tardioris motus, magna procedere dixerit: existimat ipse velocitatem esse de nobilitate stellæ: Nobilitati verò efficaciam adesse, sic ut qui velociores, potentiores. Dico ut pro meâ, non ut pro Messalæ sententia, Picum connectere paleas. Nihil enim hìc efficaciæ cum celeritate commune, per se quidem. Nam quæ per quandam quasi compositionem accidentariam inde resultant, de ijs non est hujus loci dicere. In cursore nobile, velocitas, in Rege quies & stabilitas. Quid Copernico dices Pice, qui Solem docet stare, cùm sit nobilissimus Planetarum? Neque sana est ullo modo ratio illorum, qui Saturnum ob majorem ambitum Jove faciunt velociorem. Nam vera Astronomia tantò verè tardiorem & segniorem facit, quantò est ejus spacium itineris Joviali amplius & longius. Quæ de verbo 50. Centiloquij Picus differit, ea nihil ad nos, cùm Mirandulanus ipse ex eo tantum deducat, quantum hìc retinemus & defendimus.

L. 5. c. 6. objicit Picus Astrologis, medias conjũctiones respicientibus,

quòd illę sint fictæ: Apparentes enim fuisse considerandas. Fateor, nec hoc tantùm, sed totam hanc artem, religionum & imperiorum periodos ex conjunctionibus determinandi, ego quoque cum Pico, ineptiarum & superstitionis damno. At non ideò nulla est Astrologorum experientia de conjunctionibus. Quid tum enim, si vera conjunctio differt à media? cùm vera aliqua proximè accedat ad mediam. Nam etsi anno 1583. quæ motu medio stetit ad principium Arietis, ea vero motu incidit in 21. gradum Piscium, & anno demum 1703. primùm continget aliqua in Ariete; nihilominus conjunctio apparens eo anno fuit, quo anno media ostendebatur. Itaque si quid factum in rebus humanis, quod ad conjunctionem in Ariete referebatur, falli quidem circa signum potuit experimentator; at non circa ipsam conjunctionem; de quibus hic agimus.

Ut vides in schemate fol. 25.

Non hæc dico quòd Astrologorum inductiones usque ad specialia prædicenda defendam; sed ut obtineam, circa tempus magnarum conjunctionum tantas fuisse commotiones Naturarum, ipsorumque affectuum naturalium in hominibus; ut ex ijs decepti sint Astrologi, putantes res ipsas, quæ per illas commotiones gerebantur, ab hoc cœlesti principio profectas.

De aspectuum cæterorum, adeoque & Trigoni efficacia, contra Ioan: Picum Mirandulanum.

CAPUT NONUM.

IAm libro 6. cap. 5. Picus hoc primùm impugnat, quòd Aspectuum alij sint per se fausti, alij infausti & mali, ut quadratus, oppositus. Hac in parte cum Pico consentio: nam aspectus solâ vehementiâ distingui; omnes verò æquè ad incitandam naturam rerum sublunarium pollere affirmo. Et causa cur quadratus malus, refertur in sexus diversitatem, quod alterum signorum quadrato distantium sit masculinum, alterum fœmininum; de quibus dixi quòd vana existimem. Cùm verò quærit, utrum aspectus inter ipsa corpora Planetarum putentur, an respectu effectuum, qui sequuntur in his terris? rursum illius probo sententiam, nihil ab invicem pati Planetas in cœlo; neque eos scientiam habere posse, quando bini mutuo concurrant aspectu in terris, si vel animas illis rationales tribuas: Denique aspectus hos, esse

inter

inter radios in terram descendentes, minimè verò inter corpora ipsa Planetarum: Hæc, inquam, omnia recipio cum Pico. Itaq; hoc ipsum, quod experientia testatur, naturam sublunarem moveri ab aspectibus, cùm aspectus ex situ terræ ad binos Planetas resultet, hoc ipsum, inquam, mihi viam monstravit ad illam veritatem, qua de modo; quòd scilicet principatus causæ in terra sedeat, non in Planetis ipsis, quodq; ista commotio naturæ fiat à se ipsâ potius, propter impressionem aspectuum; eo modo, quo sensus particeps animal ad sensum rerum externarum commoveatur. Nam quod Picus ex Plotino inculcat, non posse radios cœlo profectos, in terris miscerí, ut nova virtus aut forma proveniat; id equidem tenebam antea, tenebam & illud, videri, rectius & propius miscerí posse, qui à junctioribus promanent; tum autem, semper miscerí radios, etiamsi non semper in figura Triangula, vel Sexangula: denique in ipso naturali corpore, ubi miscentur radij, coëuntibus ad punctum radijs, figuram omnem evanescere: hæc omnia diligenter perpendebam. Neque tamen hæ tot rationes confutare poterant clarissimam experientiam, quæ testabatur tunc potissimum omne genus meteororum exsistere; cùm Planetæ essent aspectibus configurati: contra tunc quietem aëris potissimùm, cùm nulli aspectus vel conjunctiones: neque tantùm si corporibus, sed etiam si sexangulæ, vel quadratæ distantiæ propinquarent, ista fieri, eaque subitò ad ipsos aspectuum articulos; cum diebus proximis antè retroque, effectus cessarent. Expertus est idem in aspectu quadrato Jofrancus Offucius, acerrimus aspectuum hostis, præter conjunctionem & oppositionem, quas putabat se ad causas reverberationum retulisse. At fassus est imbecillitatem suæ ratiunculæ, circa quadratum aspectum experientiæ cedens. Propter hæc itaq; dicendum erat, non stellas, non ipsarum radios, per sese, nec ipsas adeò configurationes, ut quæ relationes essent, ista efficere aliter, nisi sub ratione objecti; præesse verò rebus patibilibus (ut humoribus in globo Telluris) facultatem aliquam, quæ & inde figuras radiationum posset percipere & æstimare, & hinc corpus suum impetu quodam concutere, seu movendo, si esset facultas motrix, seu calfaciendo, humoresque sublimando, si hoc muneris esset sortita: qua ratione inventâ solvuntur omnia, quæ Picus contra aspectus ex Philosophia deprompsit, nosque commemoravimus.

Quomodo inventa sit ratio efficaciæ aspectuum.

Sed hujus facultatis, facultatúmve natura, magis patebit ex sequentibus. Nam de numero aspectuum Picus controversiam movens Astrologis, argumenta etiam contra rem ipsam dirigit. Primùm refutat ra-

De numero aspectuum, causa Arithmetica.

tiones Astrologorum, quas ab aliquota circuli parte deducunt. Sanè hic Pico assentior, causam esse insufficientem, etsi ad veritatem alludit. Nam aspectuum octo recipio, si conjunctio connumeretur, sextilem, quintilem, quadratum, trinum, biquintilem, sesquadrum, oppositum. Itaque etsi duodecangulum, seu gradus 30. pars est multiplex circuli, non est tamen aspectus. Contra gradus 144. vel 135. aspectum faciunt, cùm pars circuli multiplex non sint, sed superpartiens.

Causa Geometrica.

Alteram causam Ptolemæus ex Geometria petit, cujus hæc ferè est sententia; illàs configurationes esse efficaces, quæ angulo constituuntur tali, ubi linea, quæ arcum anguli mensorem subtendit, certæ parti de diametro totius circuli æquatur, vel longitudine vel potentiâ. Subboluit nempe Ptolemæo, subesse altiores rationes, quàm sunt hæ, ex corporum & contactuum natura derivatæ.

Hìc increpat Picus Ptolomæum ex Aristotele, quòd res physicas tractet Mathematicè, & ex figuris Geometricis proprietates deducat rerum naturalium. At, ô Pice, multum interest, qua quis id ratione faciat. Si figuras architectos constituas, stultè facias: at si figuræ addas architectum: jam ex his duabus causis, alterâ formali, alterâ efficiente, quid prohibet existere effectum in materia idonea?

Ita hìc quoque, facultas naturalis in corpore sublunari, architectus est, quæ figurâ radiationis utitur pro exemplari; eique conformem in suo corpore spiritibúsve ciet motum. Etsi Ptolemæi ratio insufficiens est. Multæ namque possunt esse subtensæ arcuum circuli, rationalium & irrationalium, quæ potentijs vel longitudine æquentur certæ parti diametri, cùm tamen aspectum non faciant.

De causa distinguendi inter bonos & malos aspectus, ejusque vanitate dictum est.

Et ratio ab Aboasare dicta verè id est, quod Picus dicit; ex mille pannis unus cento. Nam oppositum à Lunæ impletione, quadratum ab inferiorum, trinum à superiorum Planetarum statione probat: nec tamen ei ratio venit in articulos, neque constans est, rei constantis, & exquisitæ dimensionis.

Causa Musica.

Denique Neotericorum rationem à consonantijs Musicis, Picus perbenignè habet, his verbis eam prosequens: *Sed hæc, utique bella sunt, habéntque speciem probabilitatis apud eos, qui Philosophiam de limine salutârunt.* Opto mihi redivivum Picum. Hæc enim, hæc illa est ratio, quæ per primam Materni, & secundam Ptolemæi exculta, in philosophiæ penetralia deducto, non speciem veri exhibeat, sed planè satisfaciat, &

ciat,& cognitionis ſuavitate mirum in modum delectet. Nam ut Picus quidem eam commemoravit;miſerè habet,& rectè à Pico explodi-tur. Primùm enim, quid vocum concentui commune cum radijs Planetarum? Deinde ſi bini Planetæ ea ratione conſonare dicantur, qua ratione quædam ſigna dicuntur muta; futilitas una ex alia futilitate confirmatur. Deniq; ſi ſigna vocibus numero æquentur; jam ratio tota jugulata eſt, nec congruet ſimilitudo, nec cauſa comparationis patebit.

Explicatio,unde aſpectibus ſua veniat efficacia.

Itaq; hoc & de conjunctionibus & de aſpectibus verum eſt,niti eos ratione,non corporibus,ſed facultatibus ſpiritalibus,naturaliſſimâ.

Illud in confeſſo eſt apud philoſophorum principes, Geometriæ veſtigia in Mundo expreſſa, ſic ut Geometria ſit quidam quaſi Mundi archetypus; ſive quis cum Chriſtianis Mundum in temporis quodam exordio conditum dicat; ſive creationem hãc cum Platonicis æternam faciat: deinde & hoc verum; in omnibus creaturis animalibus,uti vita ipſa,& augmentatio corporis,& procreatio ſpeciei,eſt quidam creationis luſus: ſic etiam architectum hujus operis,gerere DEI conditoris quandam ſimilitudinem. Propterea quæ nobis ſunt uſu viliſſima; penitius inſpecta, ſummis ſunt æquiparanda miraculis: ut verè quis ille Poëtarum cecinerit:

Præſentemq; refert quælibet herba DEVM.

Etenim in formatione fœtus,in viliſſimæ etiam herbæ procreatione,nihil eſt, quod ab illa facultate non ſummâ & abſolutiſſima fiat ratione,& ad finem ſuum,quaſi ex deliberato (utiq; ex deliberatione per creatorem habitâ) dirigatur perfectiſſimè. Hic verò ſummæ rationis principatus non corpori,non materiæ,ſed informantis animæ facultatibus utiq; tranſcribendus erit: ut omne genus naturalium vel animalium facultatum in corporibus,Dei quandam gerat ſimilitudinem.

Itaque ſi prima connectamus ultimis, cùm Deus ipſe archetypum creandi mundi ex Geometria elegerit;quid mirum,ſi ejus ſimilitudines ijſdem rebus Geometricis delectentur,in ſuis corporibus movendis, quas vident authorem ſuum, in quem reſpiciunt, indidiſſe mundo, adeoq; & ſibi ipſis. Imò verò ipſæ hæ eſſentiæ ſpirituales,corpori movendo aptatæ,ſuſcepiſſe videntur figuras geometricas,admirabili quodã modo, & citra materiæ,qua videntur carere, diſtenſionem in ſpacia. Dixeris illas eſſe puncta quidem mathematica, ſed quæ plagarũ diſtinctionem in ſeſe admittant; puncta nempe aliqualia;puncta talia,qualia fiunt ex ſectione certorum lucis radiorum in unum concurrentium.

Propterea figuras oblatas extrinſecus,intrò recipiũt, à rebus quidem

cogna-

cognatis, ut à luce & cœlestibus lucentibus, & quoties radij binorum sic coeunt, ut rudimentum repræsentetur figuræ aptabilis, seu ad planitiem continuandam, seu ad solidam figuram in sese concludendam; toties & ipsæ suam illam creationis imaginem, h. e. corporum suorum motionem, impetu capto, instaurant alacres, atque id, quod perpetuò quidem agunt, illis momentis agunt sedulò, & cum insigni excessu, fervore quodam concitatæ.

Definitio rationum Harmonicarum.

Neque tamen sic amant promiscuè omnes figuras σωματοποιικὰς; sed in illis delectum habent hunc, ut minore numero à majore, & à differentia, vel hac ab illo continuè subtractis, omnes usque ad unitatem sint figurarum σωματοποιικῶν notæ: Ut ratio 5. ad 8. est harmonica, quia 5. de 8. ablata, relinquunt 3. quæ à 5. ablata relinquunt 2. quæ à 3. ablata, relinquunt 1. Et 1.2.3.5.8. omnes numeri sunt figurarum aptabilium denominationes; aut notæ partis rationalis de circulo, geometricè designandæ; Nam 1. significat totum, 2. dimidium circulum. Ex qua circumscriptione octo oriuntur rationes, quibus nulla deesse, nulla addi potest, quarum quælibet in circulum translata, modum uni præscribit radiationum aspectui. Quas rationes à natura rerum approbatas esse, qui non potest credere: is cum ijs sic formatis, in Musicam se conferat, non probaturus radiationes ex vocibus, sed rationes verè harmonicas, quas in radiationum exemplo obscuro minus perspicere potest, probaturus in Musices clariori. Nihil equidem voci commune cum lumine: At consonantiæ vocum cum aspectibus luminum cœlestium communis est Numeratio, & origo Geometrica & Cosmopœetica.

Inveniet autem in Musica chordarum proportiones ad unguem easdem, quoties benè consonant soni. At tunc ne mihi annumeret voces vnius octavæ ad signa zodiaci, quid enim interest, septem an decem intervalla quis in uno systemate διαστασῶν numeret? Sed hoc agat, spacium, super quod est chorda, tensa ad typum zodiaci per septem aspectus divisi, & in longum extensi, signis dividat, ne pilum à Geometrica hac sectione declinans; deinde Magadium sive Ephippium singulis divisionum notis applicet, & primùm liberam chordam pulset, deinde utramque chordæ partem, incumbentis Ephippio, super illam notam divisionis: tunc apparebit totidem constitui copulas seu trigas vocum consonantium, quot exhibet mea definitio rationes harmonicas, quot etiam in cœlo numero aspectus, addita conjunctione. Cum voce enim susceptâ primùm ipsa, dein septem bigæ aliæ, ut II.

tertia

Tertia mollis cum quinta ſupra octavã duplicem : III. Tertia dura cum tertia dura ſupra octavam duplicem : IV. Quarta cum octava duplici: V. Quinta cum quinta ſupra octavam : VI. Sexta mollis, cum quarta ſupra octavam : VII. Sexta dura cum tertia dura ſupra octavam. VIII. Octava cum alia octava, concordant; quæ ultima cùm chordam biſecet; jam in reliqua medietate chordæ ſecandâ eædem ordine contrario conſonantiæ invenientur, ut in altera zodiaci medietate ijdem aſpectus. Nec plures, nec aliæ inveniri poſſunt auditu judice, in chorda Trigę vocum. Et quid multis alieno loco? Poſtulo, ut hoc mihi credatur; quod Deo permittente alibi probabo juſto libro : huic vocum & aſpectuum comparationi, ſi quintilem, biquintilem, ſeſquadrum, inter veteres legas, mathematicè ad abſolutiſſimam congruentiam nihil deeſſe, nihil objici poſſe.

Quod ſi ergo auris hominis, id eſt, ſenſus auditus, communi ſenſu inſtructus, id probat in vocibus, quod Geometria comprobat in quantitatibus; nec præter geometrica ullum genus rerum excogitari pro cauſa conſonantiarum poteſt, quod omnibus particularibus conſiderationibus ſatisfaciat : quid, rogo, Picus reſpondebit? Nam vocum concordantia per ſe nihil operatur effluxu quodam in hominem, alio quàm ſenſitivo, nec ullum hilarem humorem per ſe generare poteſt. Accedit verò anima ſenſitiva in homine, quæ uſa ſenſuum organis, ſonos quidem introrſum recipit; proportionem verò æſtimat, æſtimando probam & geometricam, ſeſe exhilarat, ſuumque corpus congruè movet. Hæc utique non ratiocinatione fiunt. Niſi fortè Picus agricolis cognitionem hujus Geometriæ tribuet, quam poſt tot ſæcula vix tandem perquiſivimus? Tribuat igitur & cervis; Quin potius ruſtici facultatem ſenſitivam, innatâ vi, citra diſcurſum, affici dicat ijſdem figuris, ſeu per figuras conſtitutis ſectionibus & proportionibus in conformatione vocum, quas Creator ſapientiſſimus in conformatione Mundi ſelegit. Medium inter hæc duo loquaciſſimus & imperitiſſimus quiſque inveniet facilimè, nullum verò inveniri poſſe omnes veri Philoſophi dicent. Itaque quam rationem afferet Picus, cur Geometria in vocibus afficiat hominem? eandem ego dicam, cur Geometria in radijs ſtellarum afficiat naturam ſublunarem?

Quam Picus cap. 7. rationem conſinxit aſpectuum, quòd artificibus totidem placuerint, quot ſunt in tempore ſemimenſtruo phaſes Lunæ, Corniculata, Biſida, Gibba, Plena; ea ingenioſam conjecturã habet:

ut mirer qui fiat, ut Aſtrologi eam non ſint ſecuti, cùm rationes undique quæſierint anxiè. Fortaſſe quidem verùm eſt, Aſtrologos hac occaſione admonitos de aſpectibus; itaque (quod alibi Picus Aſtrologis irridens tribuit) ut navis interdum tempeſtate in portum agitur; ſic hos errore in veritatem actos: nam pleræque omnium artium inventiones fortuitæ ſunt.

Quatenus locis ſigniferi à Planetarum congreſſibus, qui ſub ijs fiunt, aliquid momenti accedat?

CAPUT DECIMUM.

DIxi prolixè, quid aſpectibus, & inter hos, conjunctionibus tribuam: Jam tribus verbis etiam de ipſis conjunctionum locis eſt dicendum, utrum ea pars Sphæræ fixarum, ſub qua bini Planetæ congrediuntur, vim quandam inde concipiat? Hìc Picus lib. 6. cap. 4. ex Panetio & Plotino cachinnos profert, derident ibus Aſtrologos, quòd proprietates vel ſignorum ad Planetas, vel horum ad illa, per tantum mundi ſpacium pervenire poſſe exiſtimet: certum enim, inæſtimabili interuallo diſtare Planetas à fixis. Et addit Picus ſuam quoque rationem: ſi contingat, nullam eſſe ſtellam fixam in loco congreſſus; quorſum ergo recipi, in quo ceu ſubjecto hærere vim hanc conjunctionis?

Rationes quidem ſpecioſæ ſunt; veruntamen ſemel jam patefacto aditu ad interiorem Philoſophiam, tenebras amplius facere non poterunt experientiæ, ſi de illa conſtet. Etenim ſi conjunctio, ſi ſidera per eam copulata, ipſa non ſuſtinent hoc onus actionis in ſublunaria, per conjunctionem roboratæ: multò minus fingendum eſt, hanc vim de corporibus Planetarum, ſeu in corpus Sphæræ fixarum, ſeu in non corpus transferri: ſed hæc quoque vis, quam à conjunctione quaſi infuſam fixarum Sphæræ conſideramus, conſtabit impreſſione, quæ fit in naturam ſublunarem, ejuſque facultates divinas, per ſeipſas factâ; nec quicquam conferet huc cœlum, præter nudum objectum.

Quod experientiam attinet, jactare quidem non poſſum, me ſine deceptionis ſuſpicione unquam probaſſe, vim quandam ad tempus permanere loco congreſſus: at viciſſim aliud quippiam deprehendi frequen-

frequenter, ex quo etiam de hoc per analogiam persuadeor. Est autem hoc; quod nascentibus filijs præsertim primogenitis, Planetæ, itemque Ortus & Meridies, plerunque statuuntur in ijs zodiaci locis, locorumve quadratis & oppositis, quæ fuerunt in genesi patris, præcipuè verò matris, insignia; aspectusque aut ijdem aut similes contingunt; quantum ejus intra spacium dierum 14. partui vicinorum, per celeritatem stellarum fieri potest. Dicam exemplum, etsi horâ incognitâ, inter Fridericum II. Romanorum Imperatorem, ejusque nepotem Conradinum: Natus est nepos anno 1252. 8. Cal. Apriles: tunc fuit Sol cum Jove & Venere in 13. Arietis; Mercurius in 15. Arietis: Mars in 20. Cancri: Luna in 18. Capricorni: Saturnus in 28. Sagittarij. Avus verò perhibetur natus anno 1193. 26. Decemb. Tunc Sol in 13. Capricorni; Mercurius & Luna in 17. Capricorni: Mars in 18. Libræ: Saturnus in 30. Sagittarij. Vides miram congruentiam per quadrangulos, oppositos & identitatem.

Sic natus sum Ego, cùm Lunæ supereſſent ad Solis oppositum gradus 40: primogenito meo tantundem Luna habebat ad corpus Solis: secundæ tantundem Luna superavit Solis oppositum quarto 38. gradibus Luna aberat à Solis opposito: tertiæ non multò aliter; abfuit enim Luna à Solis opposito præter 40. gradus, unum insuper diurnum Lunæ motum scilicet pridie meditabatur prodire. Taceo cætera congruentia.

Non hæc dico, quòd omnes, quibus eædem vel similes sunt constellationes, cognatos pronunciem; sed quòd plerunque cognatis eædem constellationes. Hoc adeò verùm de tota genesi hominis; evidentissimum verò in revolutionibus & transitibus. Quoties enim Planetæ ad ea loca veniunt, quæ nascenti homini vel oriebantur, vel Solem Lunámve hospitio exceperant: excitatur hominis natura, ut alacriùs incumbat in omnia opera, quæ pro conditione locorum & temporum sunt homini sub manibus. Et in genere, non est expedita & fœlix genesis, nisi radij & qualitates Planetarum aptè & quidem geometricè congruant.

Hæc autem aliter fieri non possunt, quàm per impressionem characteris totius positus cœli in ipsam hominis facultatem genitricem, altricem, formatricem, sensitivam, animalem; nam corpus crassius est, quàm pro recipiendo tam subtili charactere, rei non palpabilis, sed rationabilis. Hac itaque ratione fieri credo, ut cœlo in alia omnia currente, maneat tamen character ejus positus, qui fuit, quo tempore vita hominis incensa per partum, & quasi recens fusa fuit. Quod igitur fit

in ſingulis hominibus, credibile eſt fieri etiam in facultate illa, quâ globus iſte telluris eſt præditus; ut non conjunctio duorum Planetarum in ipſum cœlum, ſed cœlum in ipſam naturam ſublunarem, & cum cœlo locus etiam conjunctionis magnæ, imprimatur, ibique aliquandiu hæreat. Comparet Medicus aliquis exemplum memoriæ, qua facultate res præteritæ ſic cuſtodiuntur, ac ſi perpetuò eſſent præſentes. Magna utrinque ſimilitudo, magnum miraculum: diverſitas in eo ſolo, quòd res quæ in memoria relucent; vel per quinque ſenſus à foris introrſum fuerunt receptæ; vel à ratiocinatione actuali, ab intra, phantaſiæ oblatæ: at hæ ſpecies rerum cœleſtium, occultâ aliquâ percipiendi ratione introrſum imprimuntur: propterea quæ, ut, quæ ſunt in memoria, non naturam, ſed ratiocinationem commovent: Sic hi characteres cœleſtium contrà, non ratiocinationem, ſed naturam incitant. Itaque quod eſt in memoria, character rei viſæ vel auditæ, vel cogitatæ; hoc eſt, in facultate hac animæ, character cœli, qui tempore nativitatis influxit: viciſſim, quod eſt in reminiſcentiæ negocio, actus ille ratiocinationis, vel novæ ſenſionis, quæ nos ad reminiſcendam priorem permovet; hoc eſt, in hac occulta impreſſione, novus cœli motus, & Planetarum tranſitus per loca natalitia. Verùm ut in re perdifficili & lubrica, non omni aſſeveratione contendam: paratus audire hac de re ſententias philoſophantium.

Quid igitur ſit Triplicitas ignea, quid magna conjunctio, dixi per utramque ſcientiam, Mathematicam & Phyſicam, quantum mihi videbatur: ſupereſt ut oſtendam verum diem hujus magnæ conjunctionis.

De tempore magnæ Conjunctionis, quæ principium fecit revolutæ Triplicitati igneæ.

CAPUT UNDECIMUM.

BEnefaciam adverſarijs delectis, oſtenſurus Aſtrologis ex Aſtronomia ſinceriori, quam ut plurimùm ignorant, illud momentum, quod magnis Arabum authoritatibus nobis commendatur. Jubent enim Magiſtri gradum illum diligenter inſpicere, qui ſub ipſum ſcrupulum congreſſus ſuperiorum in Oriente verſetur. Verùm, ô rem miſeram

miſeram & deploratam, Cyprianus Leovitius eam refert ad meridiem diei $\frac{19}{29}$ Decembris; Maginus ex Prutenicis ad meridiem $\frac{14}{24}$ Decemb. Braheanus calculus, quãtum is obiter ab authore vivo emendari potuit, ad $\frac{28}{29}$ Decemb: Ego in prognoſtico anni 1603. conſideratis obſervationibus Braheanis & meis, ad $\frac{26}{27}$ vel $\frac{28}{28}$ Decemb. Ecce vanitatem præcepti, quod nos jubet ex gradibus zodiaci, quorum in uno die volvuntur 361. unum, eumq; verum eligere: cùm interim Aſtronomi, à quibus petenda eſt motuum ſcientia, intra tredecim totos dies non conſentiant. Et quiſquam credat huic Aſtrologorum canoni quaſi experientiâ conſtituto, cùm nunquã melior fuerit Aſtronomia, quàm eſt hodie? Adde quòd ne ſenſus quidem ipſe (ſi contingat, conjunctionem oculis aſpici) ſubtilius, quàm de die pronunciet. Etenim diurnus Saturni motus fuit 7′, Jovis 13′. Dietim igitur Jupiter Saturnum ſuperavit, non plus 6. minutis: at Jovis corpus æquat $3\frac{1}{2}$′, Saturni $2\frac{1}{2}$′ circiter minuta. Itaque per integrum diem videbuntur Saturnus & Jupiter invicem corporibus adhærere, conjuncti.

Veruntamen, quid obſervando ſim conſecutus, accipe: exque ijs Crabbi illius obſervationes æſtima: quas ille quaſi ex Apollonis Tripode depromit, non additis vel inſtrumentorum, vel calculi circumſtantijs: perinde ac ſi aut res ſit adeò facilis, omnes in obſervando deceptiones excludere; aut ſufficiat, poſtquam Aſtronomi nomen invaſeris, aſſeverando fortiter, obſervationis authoritatem ſtabilire.

Cùm Sol anno 1603. die $\frac{17}{27}$ Novemb. ad Jovem, die $\frac{29}{29}$ Novemb. ad Saturnum appulerit, factum eſt, ut per ſuccedentes complures dies Planetæ ſub Solis radijs laterent abſconditi.

Primùm Jovem cum Mercurio poſt longas bidui pluvias vidi die $\frac{26}{26}$ Decembris mane, in clariſſima aurora, quæ Saturni tenuius lumen oppreſſit, ut is videri non poſſet. Stabat Mercurius ſupra Jovem, declinans à verticali Jovis paululum ad dextram: diſtantia Jovis à Mercurio ad ocularem æſtimationem circiter 5. aut 6. gradus.

Ex eo ventus decumanus coortus, qui duravit duos integros dies, ingenti cum impetu; ſimul & ninxit largiter: ſecuta nebula, & tepor, & rurſum larga pluvia, uſque in diem $\frac{14}{24}$ Decembris: & diaria rerum geſtarum publica referunt, diebus $\frac{27}{27}$ $\frac{28}{28}$ $\frac{29}{29}$ Decemb. paſſim per Luſitaniæ & Saxoniæ littora, commotum Oceanum, damna plurima, & perniciem aliquot centenis hominum attuliſſe.

Tandem $\frac{25}{25}$ Decembris in ipſis ferijs natalibus, ſerenitate matutina affulgente, facta mihi copia cœli; cujus deſcriptionem lectori in

epistola sequenti, quam eodem die perscripsi, legendam exhibebo. Hæc igitur epistola.

SCIO *Te hujus diei solennibus interpellari non solere: verùm cœlum nullas agnoscit ferias. Per hos dies, ita ut suadebat officij ratio, attentus fui ad conjunctionis magnæ conspectum. Scripseram enim, octiduo maturiùs apparituram, quàm putaretur. Clarum verò mane ad hunc usque diem vidi nullum.*

Accidit igitur pulchro quodam casu, ut hoc ipso mane, quo dies sacer Christo natalitius illuxit, tres Planetæ Saturnus, Iupiter & Mercurius in forma trianguli dispositi, in claræ auroræ lumine apparerent. Itaque si qui forte ad cœlum attenderunt; iis hæc apparitio procul dubio de incipiente Trigono igneo validam fidem fecit. Nam & aliâs vulgus persuasum habet, Trigonum igneum, quo de hodie tam multus sermo, prodigium esse cœleste, ignitum, in forma trianguli.

Itaque si placet Tibi Triangulum hunc intueri propriis oculis; crastino mane etiamnum junctos habebis Planetas, etsi Triangulus cras ob diurnum Mercurij motum non eandem retinebit pulchritudinem, sed degenerabit in obtusum angulum.

Fuit autem hodierno mane dispositio Planetarum ista:



Quod igitur attinet diem conjunctionis Saturni & Iovis, quæ hesterno tribuebatur ab Astronomis, à me verò ad diem 16. 17. vel 18. Decembris fuit posita; ex hac observatione ad oculum patet, hunc & præcedentem diem longè antevertisse. Id sequenti calculo comprobabo.

In Azimutho 45½. coinciderunt Saturnus & Iupiter in eundem verti-
calem, & fuit differentia altitudinum Iovis & Saturni, hoc est vera dista-
tia Saturni & Iovis, quantum aurora fuit passa. 1. 32/, Jove humiliore.

Vide censuram.

Assumatur locus Jovis 9. 40/ Sagitt. ex Magino: lat. 53/ Sept. Ergo ascensio recta Jovis 24. 8/ Et ex azimutho observato, fiet ascensio recta medij cœli.

dij cœli 196.46/, Solis verò 273.23/, Differentia 76.37/, Horæ 5.6/. Tempus ergo horâ 6.54/ antemeridianâ, oriente 17.40/ Sagit: vt fuerit Nonagesimus 17.40/ Virg. Hinc per 24.problema mei Cap.11. Astr. partis Optices, Distantia Nonagesimi à vertice 51. 5½/, Nonagesimi à Jove 82.20/ circiter. Ergo angulus verticalis (in quo fuêre Satur. & Jupiter) cum Ecliptica 50. 46½/. Quare si distantia 1.32/ diducatur in longum & latum, veniunt latitudini 1.11/, longitudini 58/, quibus Jupiter Saturnum superavit. At cùm excessus motus diurni Jovij, quo superat diurnum Saturni, sit summum 61 minuta, eóq; minus: divisis ergo 58. in 61, proveniunt ad minimum 10. dies, eóque amplius. Itaque hæc conjunctio facta est non 24. Decembris, non 18. 17. vel 16. sed ante 15. Decembris. Hactenus epistola. *Vide censuram.*

Hæc igitur eodem die perscripsi; quæ etsi non exquisitissima, fidei tamen causa inferere placuit. Jam quid in subitanea, & tumultuaria observatione (dum ingruentem diem trepidi prævertimus) peccatum sit accipe, emendatum sequentium dierum diligentiâ.

CENSURA HUIUS OBSERVATIONIS.

CUM non ita expediti essemus, ob frigus & auroræ claritatem, tempus aliquod interlapsum est: Et quia prior Jupiter fuit observatus adhuc humilis, posterior Saturnus Jove altior; is interim unâ cum Jove nonnihil ascendit, hinc factum ut hæc distantia 1.32/ esset justo amplior aliquot scrupulis.

Die itaq; Solis sequente, ⅛. Decembris mane, in azimutho 47.15/ cepimus expeditiùs has altitudines, & priorem

Saturnum, altit.	6.	54/	Differentia 1.20/ minor justo, quia prior Saturnus observatus.
paulò post Jovem,	5.	34/	
Tunc statim iterum Saturnum,	7.	12/	Differentia 1.24/ verior, & tamen paulò minor justo, quia non possunt omnia eodem momento perfici.
E vestigio & Jovem,	5.	48/	

Ergo pro vero assumere possumus differentiam altitudinum 1.25/ visam; Jove jam in orientaliori azimutho versante, quasi quarta parte altitudinis.

Refractio Jovem inferiorem plus attollebat, quàm Saturnum superiorem, circiter 1½ scrupulis, ut videre est in tabula Tychonis. Ergo cor recta differentia altitudinum 1.26/½.

Hinc

Hinc corrigam distantiam diei 25. Decemb. Nam motus tridui in Jove est $37\frac{1}{2}'$: in Saturno $20\frac{1}{3}'$, superatio $17\frac{2}{3}'$, in circulo ad Eclipticam proximè parallelo, qui cum verticali faciebat angulum $50\frac{1}{2}$ proxime, complementum $39\frac{1}{2}$.

Cujus sinus	63600.	Differentia altitudinum	1.26/30//
ductus in superationem	$17\frac{1}{2}'$.	Hinc inventam differentiam subtrahe	11/.11/.
creat partem	11/.11//.	Remanet differentia altitudinis	1.15/.19//,
de superatione longitudinis tridui, congruentem superationi altitudinis		pro die 25. quam vitiosè observaveramus.	1.32/.

Jam itaque verior hæc distantia, ducta in longum & latum, dat veriorem differentiam long. 47/.40//. die 25.

Superatio diebus 8. est 46/. Ergo superatio per 47/.40//. fit diebus 8. horis $6\frac{2}{3}$. Itaque cùm facta sit observatio

Die	25.	h.	$7\frac{1}{2}$	mane
Subtrahe inventos	8.	h.	$6\frac{2}{3}$	
Restant	17.	h.	$0\frac{5}{6}$	mane, Saturno supra

Jovem elevato. Dies sat certa est, quam etiam in Prognostico ex observationibus Tychonicis & meis prædicere potui, quòd sit futura 16. 17. vel 18. Decemb. At de hora incertissima pronuntiatio. Nam supra dictum, si etiam corporibus ipsis sese mutuò attingerent hi duo Planetæ, nulla differentia latitudinum; quæ tamen fuit apud nos minutorum $58\frac{1}{3}$; vix discerni posse intra spacium unius diei, uter altero sit prior vel posterior.

Tempus verum conjunctionis magnæ Saturni & Jovis.

Hæc autem qualiscunque observatio, confirmatur etiam mediocriter per subductum calculum Saturni & Jovis, quem ab eo tempore ex Tychonicis, & paucis meis observationibus perfeci. Per eum enim ad meridiem diei $\frac{2}{17}$ Decembris, anni 1603. refertur Saturnus in 8. 8/38//Sagit. cum latit. 1.41/.5// Boreali. Jupiter in 8.5/.32/. Sagit. cum lat. 0.36/.5//. Boreali. Ergo Jupiter in meridie tribus minutis stetisset ante Saturnum. Differt calculus ab observatione horis 23. nihil amplius. Latitudinum differentia fuit 1.5/, quæ post dies 8. videbatur mihi $58\frac{1}{3}$, discrepantia minutorum $6\frac{2}{3}$, facilimè inde potest esse orta; si Saturnus cum Jove non præcisè in eodem verticali fuerit. Quando enim latitudines Planetarum observantur deditâ opera; res non committitur modis adeò lubricis. Itaque lector hac propinquitate debet esse con-

esse contentus. Hactenus igitur tempus solum conjunctionis magnæ inquisivimus, neglecto loco vero in zodiaco.

Age nunc alias circumstantias consulamus, quibus certi reddamur, de veris locis Planetarum in longum & latum. Primùm de Mercurio agamus ex $\frac{15}{25}$ Decembris. Cùm enim instrumenti mei pinnacidia adduxissem ad propinquitatem unius gradus, & 59. minutorum, (arctius autem illa cogere non potui) apparebat, distantiam Jovis & Mercurij minorem esse. Minus itaque distabant, quàm 1. 59/, & in linea quæ erat Horizonti parallelos ferè: ut tamen Mercurius esset paulò elevatior. Triangulum erat scalenon, cujus minimus angulus ad Mercurium, maximus ad Jovem, mediocris ad Saturnum: Latera in proportione horum numerorum, 10. 13. 14. vel 10. 13. 15. Hæc primò invicem comparabimus. Scimus enim ex præmissis, distantiam Saturni & Jovis fuisse 1. 15/ 20//. Hic verò qualium particularum ista distantia habet 10/, talium distantia Jovis & Mercurij habuit 13/ circiter. Si ergo 10. fiunt 1. 15/. 20//. vel $75\frac{1}{2}$/ minuta: tunc 13. fient 1. 38/, quod sanè minus est, quàm 1. 59/, ut par erat.

Et cùm prius sit inventus angulus verticalis per Jovem cum Ecliptica, ejusque parallelo, grad. 50. 46/, erit ejusdem verticalis cum Horizonte, ejusque propinquis parallelis, angulus 39. 14/. Sed quia Mercurius, qui erat ad sinistram, attollebatur paulò plus quàm Jupiter; inclinetur ergo linea per Planetas ad Horizontem, angulo graduum 10. Igitur inter Eclipticam & hanc lineam erit angulus 49. 14/: qui quæsitus in margine nostræ parallacticæ, exhibet sub columna 49 (quod est dimidium de 1. 38/, distantiâ Jovis & Mercurij:) dimidium ejus, quo Mercurius plus Jove distat in Septentrionem, scilicet 37/ 6//. Ergo differentia latitudinum 1. 14/. 12//. Sic complementum ejus anguli, quod est 40. 46/, ex eadem columna exhibet dimidium differentiæ longitudinis, scil. 32/. Itaque Mercurius plus distat in consequentia per 1. 4/, quod pauciſſimorum scrupulorum periculo pronunciare tutò possumus. Ac cùm Maginus diurnum Mercurij faciat ab antecedenti die, 55/ minuta, Jovis verò 13/: facit igitur exsuperationem diurnam 42/. Ergo distantiam 64/ minutorum absorpserunt anteactæ horæ $36\frac{1}{2}$/. Itaque die $\frac{13}{25}$ Dec. vesperi hora $6\frac{1}{2}$, fuit vera conjunctio Jovis & Mercurij, secundùm longitudinem, differentiâ latitudinum 1. 14/, quando Planetæ erant sub Horizonte. *Tempus veræ conjunctionis Iovis & Mercurij.*

Et cùm Saturnus die 25. per 48. minuta distiterit in præcedentia à Jove: additis igitur, 1. 4/, differentia longitudinum Saturni & Mercurij

fuit, 1.52/. Sed Mercurij motus tridui est 2.35/ : Saturni 21/, ex Magino. Ergo superatio tridui est 2.14/. Ergo diebus 2. horis 12. antè, scil. $\frac{1}{22}$ Decemb. vesperi hora 7. fuit conjunctio Saturni & Mercurij, differentiâ latitudinum perquam tenui. Nam etiam Saturnus Jove septentrionalior fuit plus uno gradu, quemadmodum & Mercurius. Ecce causam largæ pluviæ, quæ die 22. fuit, & quare à vespera diei 23. quando Mercurius cœpit separari à Jove, restituta serenitas.

Tempus veræ conjunctionis Saturni & Mercurij.

Et cùm aliàs etiam plurimùm possit Mercurius in ciendis tempestatibus (cujus rei causa diligentibus naturæ perveſtigatoribus erit exponenda) causa patet ex parte, quare prima pars hyemis fuerit adeò lenis. Nam die $\frac{23}{11}$ Octobris Mercurius ad Jovem primò venit, die 5. Novemb. primò ad Saturnum. Tunc die $\frac{12}{22}$ Novembris cursu converso, (quod ipsum etiam turbat aërem per se : non quod is verè fiat retrogradus; sed quia natura rerum sublunarium hoc, ex situ terræ, sibi sic imaginatur, quemadmodum & hominum oculi; ut obiter hic Pico ex principijs supra inculcatis respondeam) initio Decembris ad Solem, tum ad Venerem venit, & statim die 25. Novemb. vel 5. Decemb. secundò ad Saturnum, 27. Nov. vel 7. Dec. secundò ad Jovem venit; quia paucis diebus pôst inventus est 5. vel 6. gradus à Jove distare; cùm tabulæ vix 3. indicent, ut supra dictum. Ad $\frac{13}{1}$ Decembris iterum converso cursu, die $\frac{16}{17}$ Dec. quibus perflaverat horribilis ille ventus, in sextilem Martis impegit; & sic tandem $\frac{12}{22}$ Decembris, tertiò ad Saturnum, $\frac{13}{23}$ Dec. tertiò ad Jovem pervenit : ut jam creberrimos aliorum etiam Planetarum congressus & configurationes taceam.

Ad confirmationem loci Mercurij, cœpimus die $\frac{18}{28}$ Decem. distantiam ejus à spica, gr. 55. 53/, correctam per observationem aliarum distantiarum satis cognitarum. Et cùm hæc distantia sit ad Eclipticam transversa, quia Spica in Austro, Mercurius in Septentrione : respondebit ei de longitudine, 55. 47/ ferè : quæ addita ad locum Spicæ in 18. 19/ Libræ, procreat longitudinem Mercurij 14.6/ Sagitt. & paulò ultra, quia Mercurius refractione attollebatur versus Spicam : Jam $\frac{15}{25}$ Dec. antè, locum Jovis sume 9.45/ Sagittarij, ex calculo, & adde distantiam Mercurij illo die inventam 1.4/ : ut sit locus Mercurij 10.49/ Sagittarij. Itaque motus tridui est 3. 17/ : nec multò alius in Magino.

Eodem die $\frac{15}{25}$ Decemb. Jovis à Scorpionis corde distantiam invenimus 7.25/ : non tamen sine dubitatione, quia perverso pinnacidio, ut habet annotatio : Et quia eadem ferè altitudo fuit, nullum est à refractione periculum. Jam verò nisi assumpserimus aliquid cognitum, nihil

nihil extruemus. Assumatur ex calculo cognita latitudo Jovis Septentrionalis 0. 36/. Nam ea parum mutatur à die $\frac{7}{17}$ Decemb. Cùm itaque cordis Scorpij latitudo sit 4. 27/, Australis, & longitudo 4. 16/ 30// Sagittarij. Itaque cùm aggregatum latitudinum sit 5. 3/; differentia longitudinum erit circiter 5. $2\frac{1}{3}$/. Jupiter igitur in 9. 44/ Sagit: differentia à calculo unius minuti, non major, quod in perverso pinnacidio mirum, tantâ claritate auroræ. Sed hinc quoque confirmatur calculus loci Jovis, ad diei 7. Decembris meridiem suprà subductus.

Saturni verò locus ex Jove habetur; quia supra probatum, fuisse Saturnum ante Jovem per 48/. Itaque quam proximè in 8. $57\frac{1}{3}$/ Sagitt. latit. 1. 40/ Septent. Calculus verò redarguebat illam quantitatem 48/ nonnihil. Itaque Saturnus verius in 9. 1/ Sagittarij.

Ostensum est hactenus, quibus diebus Saturnus & Jupiter, quibus & Mercurius cum utrôque fuerint congressi. Quia verò ex Cypriani Leovitij doctrina, Mars accedens justum magnæ conjunctionis modum implet: age & hujus Planetæ observationes adjungamus. Itaque quo tempore congressi sunt Saturnus & Jupiter; Mars in Libra hærebat, ingressus illud signum die 8. Decembris; itaque sub principium anni 1604. per utriusque Planetæ sextiles perrexit. Interea Sol superato Martis triangulo, stationarium eum exhibuit, sub principium Martij, cùm perveniisset in 27. gradûs Libræ ultimos scrupulos. Ex eo itaque vestigijs retrò lectis, Aprili mense properauit in Solis oppositum, proximè Spicam Virginis: Mense Majo statione peracta in $8\frac{2}{3}$ Libræ; denique recto itinere properavit ad superiores: & die $1\frac{5}{7}$ Julij, tandem exijt è Libra, cùm ultra septem menses in ea esset commoratus. Die $\frac{2}{17}$ Septemb. ingressus est Sagittarium: unâ multæ pluviæ, & venti frigidi propter aspectus, quos vide in Ephemeridibus, non neglectis Quintilibus. Præsertim verò diebus $\frac{10}{20}$ $\frac{11}{21}$ $\frac{12}{22}$ Septem. cœlum inconstans & pluvium erat, venti frigidi: Nam & Sol in quintili, & Mercurius in sextili erat Martis. Dies $\frac{13}{23}$ serenus illuxit: itaq; vesperi motibus Planetarum advigilavi: Sed cùm Sol ingressus esset Libram, & hoc cum sequenti signo Scorpionis, brevium sint descensionum; non multum potuit interesse temporis inter extinctum crepusculum, & occasum Planetarum.

Itaque pro latitudinibus Planetarum, Jovis quidem distantiam à capite Ophiuchi dimensus sum 35. 38/; Saturni ab eodem semel 35. $5\frac{1}{2}$/, iterum 35. 9/, qualium inter Lyram & Aquilam erant 34. 17/: (nam multò vilioribus, quàm sunt Tychonica, utor instrumentis, & quæ

probatione ſubinde indigent) at nec Martis ſtellam obſervare, neque ſuperiores ad ſtellas in zodiaco pro longitudine comparare potui: prius enim occiderunt Planetæ. Et ſecutæ diebus ſequentibus effuſiſſimæ pluviæ cum ventis & magno frigore; eò quòd Venus & Mercurius in Libra, Mars & Saturnus in Sagittario conveniſſent, utrique in utrorumque ſextilibus; nec multum abeſſet Jupiter. Quiſquis eſt Philoſophorum, mihi ob nova dogmata, quibus Aſpectus & Conjunctiones ſtabilio, infenſus; eum rogo, vel unius anni tædium perferat, aſpectus cum tempeſtatibus comparans: aut perſuaſus, ſibi rem eſſe cum viro bono, hunc ſolum annum, uti eſt à me exceptus, de die in diem diligenter conſideret: ſcio ſi eſt diſcendi cupidus, ſi veritatis amans, manus dabit.

Die $\frac{16}{26}$ Sept. cœlum arſit, ſignum reſtitutæ ſerenitatis, aut humoris in frigido; ſoletque frequenter fieri, cùm Mars tumultuatur.

Ergo die ſequenti $\frac{17}{27}$ Septemb. parte occidua nubibus vacua, redij ad obſervandos Planetas: pulchrum ſpectaculum, quatuor Planetæ, Saturnus, Jupiter, Mars, Luna corniculata, eodem loco, Saturnus, Jupiter, Luna in eadem rectâ; Mars, Jupiter, Saturnus in Triangulo Scaleno; Breviſſima diſtantia Martis & Saturni, poſt Lunæ & Saturni, inde Jovis & Martis, tum Jovis & Saturni, deniq; Jovis & Lunæ. Primus occidit Mars, inde Luna, tum Saturnus, ultimus Jupiter. Apparuitq; ad oculum, jam tum tranſiſſe conjunctionem Martis & Saturni. Apparere puto ex hac conſignatione; die $\frac{17}{27}$ Sept. nondum fuiſſe incenſum novum ſidus: prius verò quàm occiderent, Sextante menſi ſumus iſta.

Mars ab Aquila — 53. 4/: cùm Mars attolleretur tanto ſpacio ſupra montem, quantum diſtabant Saturnus & Jupiter.

Tum Mars à clara humeri Sagitt.	26. 1/.
Marte poſt montem eunte.	
Saturnus à clara Sagittarij.	27. 17.
Altitudo ſupra montem:	circiter 1. gr.
Saturnus à capite Ophiuchi.	34. 55/.
Saturno poſt montem eunte.	
Jupiter à capite Ophiuchi.	35. 34/.
Altitudo Jovis ſupra montem.	circiter $2\frac{1}{2}$/. gr.
Jupiter à clara quadrilateri Sagitt.	19. 40/.
Altitudo ſupra montem: quaſi	1. gr.
Inter Aquilam & Lyram.	34. 10/.
Debuit.	34. $12\frac{1}{2}$/.

Inter

Inter ultimam caudæ Ursæ & Coronam.	30.	32′.	
Debuit	30.	36¾′.	

Itaque circiter 4. minutis peccavit Sextans, ob inversum positum pinnacidij: Atque hinc cæteras distantias emendo.

Hìc quænam Tycho Brahe, quæ alij tradant præcepta computandi Planetarum loca, quæres aliunde: Mihi jam non quæritur hoc, quàm artificiosè, sed quàm breviter idem possim, quod illi; dummodo tutò; quia vita brevis, ars longa.

Caput Ophiuchi est hoc tempore in	16.	53½′	Sagit.
Humerus Sagittarij in	6.	54½′	Capric.

Compendium ἄλυτον solvendi Triangula duo observationibus familiaria.

Hinc aufero distantiam 27. 21′, quasi omnis abiret in longum; relinquitur Saturno locus fictus, in 9. 33′ Sagitt. circiter: itaque differentia longitudinum inter caput Ophiuchi & Saturnum, quasi 7. 20′. Ergo secante de 34. 59′, diviso per secantem 7. 20′, relinquitur secans de 34. 18′. Itaque de distantia à capite Ophiuchi 34. 59′: debetur latitudini 34. 18′. Et cùm sit capitis Ophiuchi latitudo 35. 57′: hinc ablati 34. 18′: relinquunt latitudinem Saturni 1. 39′ Sep: vero propinquam. Hinc jam corrigemus locũ Saturni sic: Humeri Sagit. latitudo est 3. 31′ Aust. adde Saturni Septentrionalem, conflabitur summa 5. 10′, Cujus secante secans distantię 27. 21′ divisus, constituit secantem 26. 54′. Atq; hæc ablata de 6. 54½′ Capric. relinquunt 10. 1′ Sag. veriorem locũ Saturni. Hìc duabus operationibus brevibus & facilibus assecutus sum, quod apud alios fit pluribus; etsi scio non vniversalem esse modum hunc: at certè semper utilis est, ubi altera stella longitudine, altera latitudine parum differt, aut ubi prope verum præcognoscitur. Pores probare sic, si vis:

Verior locus Saturni	10.	1′.	Sagit.
Capitis Ophiuchi	16.	53½′	Sagit.
Differentia	6.	52½′.	Secans 100724.
Distantia ab Ophiucho	34.	59′.	Secans 122053.

Prodit verior latitudinis differentia 34. 23′. Itaque latitudo verior 1. 34′. Et summa latitudinum 5′ 5′: cujus secans solis 13 particulis differt à priori: itaque secans de 26. 54′. auctus 13. particulis, unum solùm minutum amplius subtrahendum exhibet. Ut verissimus locus sit 10. 0′ Sagit.

Hoc ad exemplum dixi, quia rarissimè (modò eligantur idoneæ fixæ) ad iterationem hanc venitur: nec ea tamen ullam habet difficultatem.

Notãdum autem, Saturni latitudinem veram esse minorem, quàm

hic apparuit, ob refractionem: in longitudine nihil aut perexiguum turbant refractiones; quia fixa cum Saturno fuit in eadem pene altitudine.

Pro loco Jovis.

Clara quadrilateri Sagittarij in	6.	54½′	Capricorni.
Distantia Jovis ab eâ,	19.	44′.	
Ergo Jupiter quasi in	17.	10½′	Sagitta-
Sed Caput Ophiuchi in	16.	53½′.	rij.
Differentia	0.	17′.	Sec. 100001.

Hic pro divisore adhibitus nihil mutat distantiam à capite Ophiuchi 35. 38′. Hanc ergo subtrahe à latitudine Ophiuchi 35. 57′, relinquuntur minuta 19′ pro latitudine Jovis septentrionali. Et hæc ad 3. 31′, addita constituunt 3. 50′. Secans 100224: cum hoc divide sec: de 19. 44′, 106239. Prodit 19. 22′ 24″, quæ aufer à 6. 54′ Capric. restat 17. 32′. Sagitt. verus locus Jovis; nisi quid fortè refractio turbat, quod parum est: at aliquid sanè, idque non contemnendum, in latitudine erit.

Atque hæ observationes sic mediocriter consentiunt cùm illis ante quatriduum: Nam ejus diei distantia inter lyram & aquilam, arguit excessum instrumenti minutorum 4. Itaque cùm paulò ante observaretur inter Saturnum & caput Ophiuchi 35. 9′, abundavit totidem, cùm verò prius 35. 5½′, rectè habuit, & pinnacidium intermedio tempore, impulsu, ut solet, loco motum videtur. Igitur & inter Jovem & caput Ophiuchi verè 35. 38′, quæ ablata à latitudine Ophiuchi, relinquunt latitudinem Jovis 19′. quia longitudo eadem. Saturni verò latitudo (ascitâ differentiâ longitudinis à capite Ophiuchi 7. 13½′ & distantiâ 35. 5½′: itaque differentiâ latitudinum 34. 26′.) efficitur 1. 31′ Sept. tribus scrupulis minor, quàm quatriduò post, quia die ½⅓ Septem. altus fuit & liberior à refractionibus.

Pro loco Martis die ½⅞ Septembris.

In ejus diei meridie calculus, nondum tunc undiquaque correctissimus, exhibuit locum Martis 10. 38′ Sagitt. latit. 1. 36′ Australi. Cùm ergo distiterit Mars ab Aquila per 53. 8′, & fixa sit in 26. 12½′ Capricor. cum latit. 29. 21½′: Assumpta Martis latitudine 1. 30½′ Australi, prodit locus ejus in 10. 55′. Sagit. Et cùm distiterit ab humero Sagittarij per 26. 5′, qui est in 6. 54½′ Capricor. lat. 3. 31. Austr. resumpta eadem Martis latitudine prodit locus Martis 10. 53. Sagitt: qui quia non conveniunt, examino aliam latitudinem Martis 1. 24′, quæ prodit mihi locum illic

10. 50′

10.50/ Sagitt. hìc 10. 54/, Sagitt. Quare intelligo per has quidem duas obſervationes ſtabiliri latitudinem 1. 29/ Auſtr. & locum 10. 53½ Sagit. At non manſit ei eadem altitudo in utraque diſtantia, & valde lubrica eſt ratio per tales duas ſtellas, utramque ex eadem zodiaci plagâ ſtantem, velle locum Martis in longum & latum definire. Neque tamen aliter obſervare potui Planetam propinquum Occaſui Heliaco. Propterea etiam illa longiſſima operatione, qua Tycho Brahe in Progymnaſmatis uſus eſt, ſuperſedi; ut quæ fruſtra ſubtilitatem quæſitura fuit, in craſſa obſervatione: Conſentit tamen calculo, quantum ſatis eſt: nam ſi in meridie locus ejus fuit 10.38/, & diurnus 42/: Horis igitur 8. debentur 14/. & locus Martis ad horam noſtram 10. 52/ Sagitt. Quòd verò latitudo 7/ ſcrupulis eſt minor, & Mars tantò altior & propior Eclipticæ, quàm in calculo: id eſt ob refractionem; quia Mars prope horizontem obſervabatur.

Verum tempus conjunctionis Saturni & Martis.

Ex his itaque obſervationibus patet etiam verus dies conjunctionis Saturni & Martis. Nam ſi Saturnus hoc die 17/27 Sept. hor. 8. in 10. 1/. Sagitt. Et Mars in 10.38/ Sagitt. Die itaque præcedente 16/26 Sept. veſperi, poſt hor. 8. fuerunt invicem proximi, quoad longum, in 10. Sagit. proximè locum congreſſus Saturni & Jovis, qui fuit præcedente Decembri; æqualibus ferè ſpacijs ab Ecliptica diſtantes in partes contrarias, & à ſeſe mutuò gradibus paulò plus tribus, Saturno ſuperiore.

Verus dies conjunctionis Jovis & Martis.

Poſtremò verus dies conjunctionis Jovis & Martis, qua denique abſolvitur magna conjunctio, ſic habetur ex his obſervationibus. Nam diem & locum in nimbo nox intempeſta tenebat: etſi proximis diebus antè & poſt, cœlum per nubium hiatus aſpici, præterita an inſtans conjunctio, diſcerni facilè potuit.

Die 29. Sept. vel 9. Oct. in meridie locus Jovis ex analogia ſat fida obſervationis prius habitæ, & diurno, in 19.12/ Sagit. Eodem meridie calculus (quem jam modò vidiſti confirmatum ex obſervatione) exhibet locum Martis in 19. 14/ Sagit. cum latit. 1. 36/ Auſtrali, quæ hoc intermedio tempore fuit, ut ita dicam, ſtationaria, & hac vice maxima. Ergo horâ unâ ante meridiem fuerat plena conjunctio Jovis & Martis in 19. 12/ Sagit. Jove ſeptentrionaliori quàm fuit Mars, ad duos ferè gradus: cùm ſtatim poſtridie in 17. 40/ Sagit. ſeſquigradu anterius, primò apparuerit novum ſidus.

Comparatio novi ſideris,

Quemadmodum igitur in mundo Saturnus eſt altiſſimus, Jupiter medius, Mars trium infimus: ſic in hac viſibili conjunctione magna trium ſuperiorum, Saturnus etiam ad oculum fuit ſupremus in ſeptentrione,

ptentrione, ut Jupiter ſub illo tranſiret: ſic viciſſim Jupiter ſeptentrionalis, ut Mars Auſtralis ſub utroque tranſiret: omnibus autem tribus altius effulſit novum ſidus: tam quod mundi diametrum, quàm quod Eclipticam attinet.

Concluſio deſcriptionis hujus Trigoni ignei.

Atque hæc eſt illa celebratiſſima magna trium ſuperiorum Conjunctio, quæ exactis à Mundi conditu ſeptem magnis Revolutionibus octingentorum annorum, prima rurſum contigit in ſigno Sagittarij, quod tertium eſt ex Triplicitate ignea; quam hâc aſtronomicâ deſcriptione, quantâ potuit fieri curâ exornatam, naſcituris per hos ſuccedentes octingentos annos, legendam transmitto: ſi & hæc digna, & illi capaces futuri ſunt; neque vel mundus interierit; vel univerſalis aliqua peſtilentia, cujuſmodi aliquot ex hiſtorijs legimus, potiſſimâ parte generis humani extincta, reliquos à libris ad aratrum, unde deſumpti ſunt, rurſum redegerit, ſecundùm illud: TERRA ES (agricola es) ET AD TERRAM (ad agriculturam) REVERTERIS: vel fera quædam barbaricarum gentium illuvies, luxu effœminatam, & libertate diſſolutam Europam inundaverit, omnibus & artibus & prodigiosâ librorum copiâ, funditus extirpatis:

Qualis ubi ad terras, abrupto ſidere, nimbus,
It Mare per medium: miſeris heu præſcia longè
Horreſcunt corda agricolis, dabit ille ruinas
Arboribus, ſtragemq; ſatis, ruet omnia latè.
Antevolant, ſonitumq; ferunt ad littora venti.
Et jam aggeribus ruptis ſpumeus amnis
Exijt, oppoſitasq; evicit gurgite moles;

Fertur

Fertur in arva furens cumulo, camposq; per omnes,
Cum ſtabulis armenta trahit.

Sed hæc ſuperis curæ ſunto. Nunc jam tempus eſt videre, qualem Deus Opt. Max. ipſe clavum fixerit ad locum & diem hujus ultimæ conjunctionis: & quali monumento illam ad poſteritatis memoriam commendaverit: quod ſub principium hujus libelli dici cœptum, nunc quoad Aſtronomiam, diligentiùs excutietur.

Obſervationes hujus novæ ſtellæ.

CAPUT XII.

MEmorabile eſt, & ſuperioribus adjungendum, omnibus locis, ex quibus ad me fama novi ſideris pervenit, cœlum per hanc Jovis & Martis conjunctionem, ipſumque ſideris exortum, fuiſſe pluvium, continentibus aliquot diebus. Die $\frac{7}{17}$ Octobris ſerenitate reſtituta, hæc obſervavi, ſextante ferreo, qui ſequentibus diebus abundare deprehenſus fuit aliquot minutis.

Occaſo Sole, clara adhuc die, vidimus ſatis altum, antequam vel Jupiter vel ulla ſtella cerni poſſet.

Inter Novam &	Jovem	3.	28½′.	
	Martem	8.	31.	
	Saturnum	6.	12′. vel 6. 14′.	
	Humerum Sagit.	20.	0′.	
	Dextrũ genu Oph.	7.	39.	difficilis obſer-
		7.	35.	vatio.

Hæc à tempore, quo Nova, Jupiter, Mars habuerunt altitudinem 9, gr. uſque dum hæc decrevit ad altitudinem 4. gr.

Saturnus, Nova, & femur formabant Scalenum acutangulum. Erãt primò Nova & Mars in æquilibrio Horizontis, paulò poſt Nova & Jupiter. Erant in eadem rectâ Nova, Mars, & poſterior in trapezio Sagittarij, Jove inferiori, qui tamen erat Septentrionalis aliquot minutis. Itaque arguebatur ſidus ab Ecliptica ſeptentrionale.

Die $\frac{8}{18}$ Octobris.

Inter Novã &	Jovem	3.	40′.	bis.
	Humerum Sagit.	20.	1′.	
		20.	2½′.	bis.
	Dextrũ genu Oph.	7.	31′.	Difficilis obſervatio, ob ſtellę &
		7.	32′.	inſtrumenti ſitus incommodos.

Tunc sextante mensi sumus inter alam Pegasi, & sequentem humerum Aquarij, 35. 12′, debuit esse 35. 9′. Sic inter præcedentem humerum Aquarij, & inferiorem in cornu Capricorni 19. 42′ : debuit 19. 37′. Ergo Sextans circiter 4. minutis abundat ob luxationem Pinnacidij.

Die $\frac{11}{21}$ Octobris in viridario Cæsaris, ubi deposita habebantur instrumenta Braheana, observavit Tengnaglius gener Tychonis cum Studiosis, me præsente, ista:

Inter Novam &	Jovem	4.	$1\frac{1}{2}$′, ego solus.
	Caput Ophiuchi	34.	$2\frac{1}{2}$′.
	Humerum Sagittarij	19.	34′.
	Sinistrum genu Serpenta:	16.	52′.
Inter Martem &	Humerum Sagittarij	30.	$30\frac{1}{2}$′.
	Sinistrum genu Serp.	27.	36′.

Pro sextante explorando mensi sumus inter Aquilam & caput Serpentarij — 33. $30\frac{1}{2}$′.

Eodem vespere observavit & Justus Byrgius, Cæsaris automatopœus, inter Novam & caput Ophiuchi 34. 0′, minus quàm nos $2\frac{1}{2}$ scr. Sic inter genu Ophiuchi & Novam 7. 47′. Inter Aquilam & Novam 45. 43′ : probationis causâ inter Aquilam & Serpentarij caput 33. 30′.

Die $\frac{17}{27}$ Octobris ibidem, observavimus

Inter Novam &	Jovem	4.	$59\frac{1}{2}$′.
	Caput Ophiuchi	34.	$1\frac{1}{2}$′.

Postea occidit stella heliacè cum Planetis, ut supra dictum.

ANNO M. DC. V.

Postquàm orta esset stella heliacè, jamque satis magno spacio à Sole esset relicta, cepi die 23. Jan. vel 2. Febr. Tyrones qui me juvabant exercere; quæ itaque hoc & sequenti 8. 10. observata, mitto recensere, ut paulò incertiora, ne onerem lectorem.

Die $\frac{2}{12}$ Februarij mane, cùm vix esset orta, cepimus ejus distantiam ab Aquila & corde Scorpij, quæ erant in æquilibrio horizontis.

A corde Scorpij. 14. 55′. ter.

Et hæ duæ stellæ erant in æquilibrio horizontis.

Ab Aquila	45.	51′.
	45.	54′. fortè 44′.
	45.	45′. Discebamus incommodo & loco, & instrumenti tractatione.
	45.	44′.
	45.	45′.

Ut

Ut sextans probaretur; inter cor Leonis & spicam Virginis cepimus 54. 2′ bis: deb. 54. 2′.

Et inter spicam Virginis & lancem Austrinam 21. 24′: debuit 21. 22′.

Ut brevis sim, mensibus Martio & Aprili, meridianam Novæ altitudinem mensus sum 18. 47′, vel 18. 48′. promiscuè, qualium sinistri genu 30. 9′. dextri 24. 48′. Particularia mitto, vitandi tædij causâ. Culminabat autem tenuissimo discrimine ante vel post parvam in calce dextri pedis Ophiuchi.

David Fabricius Astronomus sedulus.

Proderit autem his nostris observationibus adjungere & illas, quas David Fabricius habuit in Ostfrisia: vir equidem talis in astronomicis, penes quem post extinctam, cum authore Braheo, diligentiam observandi cœlestia, omnis in observando stat authoritas: quam palmam illi, quantum ad me, qui confuso visu multum impedior, cedo perlibenter. Adde etiam in rimandis Planetarum motibus sagacissimum ingenium, inque contemplando studium indefessum. Quod Astrologica attinet, equidem fateor, virum illum authoritati veterum & cupiditati prædictionum, ubi hæc duo conspirant, alicubi succumbere, & quodam quasi Enthusiasmo præter rationem abripi: verùm ista cum ingenti doctorum virorum turba communia habet. Quo nomine vel solo veniam meretur.

Excusatio Astrologiæ.

Quid ringeris delicatule Philosophe, si matrem sapientissimam, sed pauperem, stulta filia, qualis tibi videtur, nænijs suis sustentat & alit? si locum debitum illa apud hominum cœtus longè stultissimos aliter non invenit, nisi per hujus simplicitatis interceßiones? Nisi enim quispiam alius prius ita credulus fuisset, ut sese ex cœlo futura prædicturum speraret: nunquam tu ita sapiens factus esses, ut Astronomiam (quippe ignoratam) per se discendam esse censeres. Si nisi per sapientiam, ad Philosophiam non adducimur; nunquam ad eam adducemur. Est in omni admiratione, & in omni cupiditate, dum rudis est, vanitatis plurimum: hæc tamen vanitas, in trivio, quâ ad Philosophiam itur, obvios ad pulchrum locum dirigit. Sed missis hisce in præsens, & in suum locum transmissis, jam ipsas Fabricianas observationes ex libello ejus Germanico, Hamburgi impresso, exque literis ad me datis, excerpemus. Sic ille.

	Nova stella distat		Brenggerus in Alsatia die
I.	A capite Ophiuchi	34. 0′.	29. Januar. 1605.
II.	Genu sinistro Oph.	16. 46′.	—16. 50′. correctius 16. 45′.
III.	Aquila.	45. 45′.	

IV.	Ab Antare seu corde Scorpij	14.	50½′.	—14. 46′. iterato
V.	Lance Boreali	34.	14′.	(14.43′, Brenggero.
VI	Lance Australina	38.	4′.	
VII.	Borealitrium in fronte Scorp.	19.	59′.	
VIII.	Genu dextro Ophiuchi	7.	32′.	

Inquisitio loci veri sub zodiaco, novi sideris, ex observationibus hisce.

CAPUT XIII.

QVia stella est observata à tribus Planetis: Mars verò diurnos motus celeriter variat; potes ejus locum ex observatione diei $\frac{11}{21}$ Octobris inquirere, ea methodo, quam Braheus docuit in Progymnasmatis; constatque sex operationibus sinuum, & præterea multis sinuum arcuumque additionibus & subtractionibus. Exhibent autem hac methodo examinatæ distantiæ locum Martis 28. 15½′ Sagit. cum latitudine 1. 20½′ Australi. Calculus in præcedente meridie exhibet locum in 28.2′ Sagit. Ergo cùm observatio sit facta circa horam 7. & 8. & diurnus sit 45′: Igitur locus ejus ad horam fuerit 28.17′. Sag. pulcher consensus. Latitudo verò ex calculo debuit esse 1. 34½′ Australis, quæ visa est 1. 23½′: reliqua 11. minuta nobis ademit refractio, quæ Martem sustulit in Septentrionem, & Ecliptice, quippe Meridionalem, propius admovit.

Hoc præmisso, jam agamus, ut in superioribus. Primò quia sidus ad oculum apparuit Septentrionale, ut & Saturnus fuit; assumo locum Saturni ex antecedentium dierum observatis & diurno, in 11. 39′ Sagit, & addo distantiam novæ correctam 6. 9′; prodit locus prope verus 17. 48′ Sagit. Et caput Ophiuchi est in 16. 53½′ Sagit. Itaq; longitudinum differentia circiter 54½′, cujus secans 100012½. Secans verò distantiæ à capite Ophiuchi 34.2′, est 120669. Et hoc loco crescunt secantes per singula minuta particulis 24, cùm priori secanti adhæreant tantummodo 12½ supra diametri longitudinem. Itaque differentia latitudinum dimidio circiter minuto minor est, quàm inventa distantia. Cùm igitur caput Ophiuchi habeat latitud. — 35. 57′.

Aufero differentiam	34.	2′.	
Relinquitur latitudo Novæ	1.	55′.	Ex 21. Oct.

Vel

Vel 1. 56′. Ex 27. Oct.
Vel 1. 57′. Fabricio & Byrgio.

Hæc Novæ latitudo est certissima, quoad visum. Itaque hac jam utemur ut certâ, in loco ejus secundùm longitudinem definiendo.

Prima omnium distantia à Jove fuit die $\frac{7}{17}$ Oct. 3. 24½′ correctè, sed in clarissimo crepusculo, quando Jupiter ad analogiam præcedentium dierum in 20. 35′ Sagit. fuit, cum latitudine Septentrionali minutorum 21′ Sept. vel jam post 20. dies, paulò minori, circiter 13′: decrescebat enim duabus de causis. Aufero latitudinem Jovis 13′, à latitudine Novæ 1. 56′. residui 1. 43′: secans 100045, dividens secantem de 3. 24½′, scil. 100177, constituit secan. 100132, cujus arcus 2. 56⅔′ ablatus à loco Jovis, quia præcedebat Nova, relinquit locum Novæ ex Jove, 17. 38⅓′ Sagit. Quod si in assumendo loco Jovis, aut in ipsa metienda distantia per 2. aberratum, id redundabit in ipsum locum Novæ.

II. Eodem die Novæ à Marte distantia 8. 27′ corr. Locus Martis post dies quatuor fuit 28. 15½′ Sagit. horâ ferè eâdem, aut unâ ad summum serius: Motus quatridui & unius horæ, est 2. 58′. Igitur nostro die & hora Mars in 25. 17½′ Sagit. cum latitudine 1. 35′ Australi visibili, quia Mars die 17. erat altior, & liberior à refractionibus, quàm die 21. Vera verò latitudo, calculo indice 1. 36′. Addo Australem Martis & Borealem Novæ latitudines, summæ 3. 31′ secans 100108½, si dividat secantem de 8. 27′ 101097½, prodit secans 100907 arcûs 7. 4′, qui ablatus à loco Martis, relinquit locum novæ 17. 36¼′ Sagittarij.

III. Eodem die ex Saturno, qui novam antecedebat. Fuit ejus latitudo die $\frac{17}{27}$ Sept. minor quàm 1. 34′. Post dies 20, decrescit duplici nomine. Assumam eam nostro die 1. 26′ Sept. & aufero à latitudine Novæ: residui 30′ secans adimit secanti distantiæ 6. 8′ particulas 4, quæ faciunt 1¼′ scrupulum; itaque differentia longitudinum prodiret 6. 7′. Et quia Saturnus in 11. 39′ Sagit. Ergo locus Novæ in 17. 46′ Sagit. Hic rursum in locum Novæ redundat, quidquid vel instrumento, vel assumptione diurni peccatum.

IV. Ab humero Sagittarij distabat Nova correcta 19. 56′. Ejus verò latitudo sine refractione est 3. 31′ Australis: adde Novæ latitudinem Sept. provenit 5. 27′. Cujus secans 100454: dividens secantem 106373; constituit 105893, secantem arcus 19. 13½′: quem aufer à loco stellæ in 6. 54½′ Capric. relinquitur 13. 41′ Sagit.

V. A dextro genu Ophiuchi, quod Braheanus calculus ponit in 12.

27½′ Sagit. cum latitudine Boreali 7. 18′. Hinc aufer latitudinem Novæ, relinquitur 5. 22′: Cujus ſecans 100440, dividens ſecantem correctæ diſtantiæ, vel 7. 35′, vel 7. 31′, conſtituit differentiam longitudinis, illic 5. 22′, hic 5. 18′. Ut ſit longitudo ſideris vel 17. 49′, vel 17. 45′ Sagittarij.

Collatio eorum, quę die $\frac{7}{17}$ Octobris in clariſſima luce veſpertinâ.

	Jove ſequente	17.	38⅓′	}
	Marte ſequente	17.	36¼′	}
Ex	Saturno præcedente	17.	46′	} Sagittarij.
	Humero Sagit. ſeq.	17.	41′	}
	Genu Oph. præced.	17.	49′. vel 45′	} Nullius valoris obſervatio, quia inſtrumentum in plano ſtellarum teneri non potuit. Vide tamen de hac ſtella infrà notam aliquam.

Apparet nondum ſufficienter correctas diſtantias Sextantis: nam præcedentes ſtellæ truſerunt illam in ſequentia, ſequentes in præcedentia. Majores igitur juſtò diſtantiæ Sextantis; quod patet ex die $\frac{11}{21}$ Octob: ubi Tychonicum inſtrumentum exhibuit diſtantiam 19. 54′, quam hic aſſumpſi 19. 56′. Medium horum eſt 17. 41′ Sagit. Adde quòd quæ ſatis adhuc alta, in 17. 38′ Sagit. apparere potuit: ea jam occidens, ob refractiones, neceſſariò in 17. 42′. vel 17. 43′ Sagit. apparet.

Ex die $\frac{8}{18}$ Octobris.

Adimemus non 4, ſed 5. minuta diſtantijs, ut patuit ex diſtantia cornu Capricorni, & humeri Aquarij.

I. Ex Jove nihil novi prodibit. Aucta eſt namque diſtantia per 11½′, quantus ferè eſt & diurnus Jovis. Itaq; refertur in 17. 39½′ Sagit.

II. Ex humero Sagittarij, primò, in 17. 41′ Sagit. iterum in 17. 39½′ Sagit.

III. Ex genu dextro Ophiuchi, aſſumptâ correctâ diſtantiâ 7. 26′, vel 7. 27′, prodit 17. 38′, vel 17. 39′ Sagit.

Ex $\frac{11}{21}$ Octobris, & ſextante Braheano.

I. Ex Jove ſic. Aſſumatur locus Jovis ex analogia dierum præcedentium in 21. 17′ Sagit. latitudo huc uſque deminuta ſit uſque ad 9′ Sept. hanc aufer à latitudine Novæ; reſidui ſecans 100048, dividat ſecantem diſtantiæ 4. 1½′, 100247; prodit ſecans 100199 arcûs 3. 36⅔′, qui ablatus à loco Jovis, relinquit 17. 40⅓′ Sagit. locum ſideris.

II. Ex humero Sagittarij, à quo diſtabat Nova 19. 54′. refertur ut prius ferè, in 17. 39′ Sagit.

III. E

III. Ex sinistro genu Serpent.	Distantia	Prodit 103043.
Latit. fixæ 11. 30/. Bor.	16. 52/	Diff. lo. 13. 57/. 36//.
Novæ 1. 56/ Bor.	Sec. 104495.	Loc. fix. 3. 42/. 20// Sag.
Differentia 9. 34/.	Sec. 101410.	Lo. Nov. 17. 40/ Sag.

Processus Tychonicus generalis facit differentiam longit. 13. 59/. 48/: Itaque locus 17. 42/ Sagit.

Ex $\frac{17}{27}$ Octobris.

A Jove, qui ut sup. in 22. 23/	Distantia	Prodit 100330.
Latit. Jovis 0. 7/ Bor. (Sag.	4. 59½/.	Differ. long. 4. 39⅓/.
Latit. Novæ 1. 56/ Bor.	Sec. 100380½.	Locus Jovis 22. 23/. Sag.
Differentia 1. 49/.	Sec. 100050.	Locus novæ 17. 43⅔/ Sag.

Ex $\frac{2}{17}$ Februarij.

I. Ex Aquila; sumamus distantiam ultimò tribus iterationibus repertam, 45. 45/, quæ correcta fit 45. 43/, quantam & Byrgiana exhibet observatio, (nam duobus minutis deminuit examen distantias, ut vidimus) & locum stellæ ex Tychone in 26. 12⅓/ Capric. latit. 29. 21½/ Bor. Et quia latit. stellæ magna, utemur artificio Tychoniano, quod generale est.

Complementum latit. Aquilæ 60. 38½/.
Novæ latit. 1. 56/.

Distantia	45. 43/.	62. 34½/	85475.
Complem.	44. 17/.	58. 42½/	88790.
Sinus	69821.		3365.
	1682½.		1682½.

Locus fixæ 26. 12⅓/ Capric.	681385.	87107½.
38. 32/.	87107. Prodit 78224.	51. 28/.
Locus novæ 17. 40⅔/. Sag.		38. 32/.

Sic à corde Scorpij	Distantia	Prodit 102830.
Latitudo fixæ 4. 27/ Aust.	14. 53/	Diff. lo. 13. 28/ 30//.
Novæ 1. 56/ Bor.	Sec. 103473	Loc. fix. 4. 16/. 20// Sag.
Summa 6. 23/	Sec: 100624	L. Nov. 17. 45/. Sag.

Et quia grandiuscula latitudo, utar etiam hic viâ regiâ, prodibitq; differentia 13. 27/. 15//.

Locus

Locus cordis addatur 4. 16′ 20″. Sagit.
Prodit Locus Novæ 17. 43′ 35″. Sagit.

Differt igitur locus hic 3. ſcrupulis à priori. Sed vitium in ipſa obſervatione fuiſſe, patet ex Fabriciana, quæ hanc diſtantiam facit 14. 50½′.

Ex obſervatis Fabricij locus novæ.

Nunc locum ſtellæ computabimus ex Fabricianis omnibus:

Primùm, quia cum Byrgio prodit diſtantiam ſtellæ à capite Ophiuchi 34. 0′: Igitur latitudo ſtellæ eſt illi 1. 57′ Sept.

II. Quia à genu Ophiuchi minor eſt diſtantia Fabriciana, quàm noſtra in Tychonico inſtrumento, minutis 6′. Ergo locus ſtellæ proditur 17. 37′ Sagitt. Brenggero 17. 41′, vel 17. 36′.

III. Quia diſtantia ab Aquila per 2′ major eſt meâ & Byrgianâ, proditur locus 17. 39′ Sagittarij.

IV. Diſtantia ab Antare minor eſt meâ per 2½′. Itaque locus ſtellæ novæ 17. 41′ Sagit.

V. A lance Boreali. Complem. latit. 81. 25′.
Novæ latit. 1. 57′.

Diſtantia	34.	14′.	83.	22.	99331½.
Complem.	55.	46.′	76.	28′.	98315.
Sinus		82676.			1016.
		508.			508.

Locus fixæ	13.	51½′ Scorp.	82167.		98823.
	33.	45′	98823.	Prodit 83146.	56. 15′.
Locus Novæ	17.	36½ Sagit.			33. 45′.

VI. A lance auſtrina	Diſtantia	Prodit 126973.
Latit. fixæ 0. 26′. Bor.	38. 4′.	Diff. lon. 38. 2½′.
Novæ 1. 57′. Bor.	Sec. 127017.	Loc. fixæ 9. 34⅓′ Scor.
Differentia 1. 31′.	Sec. 100035.	Loc. Nov. 17. 37′ Sag.

VII. A Borea frontis Scorp.	Diſtantia	Prodit 106395.
Latitudo fixæ 1. 5′. Bor.	19. 59′.	Diff. long. 19. 58′.
Novæ 1. 57′. Bor.	Sec. 106407.	Loc. fixæ 27. 39⅓′ Scor.
Differentia 0. 52′.	Sec. 100011.	Loc. nov. 17. 37⅓′ Sag.

VIII. A

VIII. A Genu dextro; complem. latit. fixæ 82. 42/.
Latit. Novæ 1. 57/.

Distantia	7. 32/.		84. 29/.		99564.
Complementum	82. 28/.		80. 45/.		98700.
Sinus	99137.				864.
	432.				432.

Locus fixæ	12. 27⅓/ Sag.	98705.				99132.
	5. 19⅓/	99132.	Prodit	99569.	84.	40⅔/
Locus Novæ	17. 46⅔/ Sag.				5.	19⅓/.

Igitur Fabricij obſervationes eædem penè ſunt, quæ noſtræ, locum ſtellæ definientes à 17. 36⅔/ Sagittarij, uſque in 17. 46⅔/ Sagittarij; refractionibus varietatem hanc ingerentibus. In Oriente quidem ſublevari videbatur in antecedentia; in Occidente verò in conſequentia.

Eſt verò notandum de dextro genu Ophiuchi, quæ ſtella & mihi & Fabricio locum Novæ in conſequentia nimium promovet (quæ procul dubio cauſa eſt, cur Fabricius diſtantiam hanc, in Latino exemplari poſitam, in Germanico omiſerit) quod ab aſcenſione ejus recta, & declinatione, quæ priùs & certiùs habetur, diſcrepet longitudo & latitudo apud Tychonem, quodam vitio calculi. Ponit enim Tycho Brahe anno 1600. aſcenſionem rectam genu dextri Ophiuchi 251. 50/, declinationem 15. 7/ Auſtralem. Huic verò reſpondet 12. 20½/ Sagit. latit. 7. 17¾/ Bor. Braheus ponit 12. 24/ Sagit. latit. 7. 18/, anno 1600. Sic igitur Fabricio Nova per genu dextrum ponitur in 17. 43/ Sagittarij, mihi obſervatione priori in 17. 45½/, vel 17. 41½/ poſteriori obſervatione in 17. 34½/, vel 17. 35½/ Sagit. quam dixi incommodo ſitu inſtrumenti factam.

Aſcenſio recta ſideris.

Atque hæc de longitudine & latitudine Novæ ſtellæ, quoad Eclipticam: Sequitur ut ejuſdem aſcenſionem rectam, & declinationem conſtituamus. Aſſumpta igitur longitudine in 17. 40/, Sagittarij, latitudine 1. 56/ Septent: prodit ejus Aſcenſ. recta 256. 47/, declinatio 21. 1½/ Auſtralis.

Declinatio ſideris.

Itaq; cœlum mediabat cum 17. 51/ Sagit. oriebatur Pragæ cum 15½ Sagit. occidebat cum 19½ Sag. à principio ferè cum Jove. Et cùm Pragę altitudo poli ſit 50. 6/: Æquator. 39. 54/: hinc ablata meridionalis declinatio, prodit altitudinem ſtellę meridianã 18. 52½/, quam inveni 18. 48/ vel 49/, per quadrantem bicubitalem, cujus examen per ſiniſtrum genu

factum, quod cùm debuisset elevatum ostendere per 30. 14′ (declinat enim per 9. 40′) Ostendit 30. 9′, vel 30. 10′, ad summum 30. 12′, prout accuratiùs vel negligentiùs corrigeretur perpendiculum, in quo residuum hæsit vitium. Sed citra omnem errorem sic ages.

Differebat altitudo Novæ 18. 48′, ab altitudine sinistri genu 30. 9′, per 11. 21′. Et genu declinabat 9. 40′, in Austrum: additis ergo 9. 40′, ad 11. 21′, procreantur 21. 1′, pro declinatione Novæ, ut etiam ex calculo probatum.

Notandum tamen, ob refractiones, quas in altitudine gr. 19, non omnes effugit, minorem esse paulò latitudinem Septentrionalem, majorem declinationem Australem, in rei veritate: Et potuit eam refractionem, quam vicinior horizonti habuit, in hac altitudine ex parte exuere.

Ubi verticalis. Cumque hanc declinationem habuerit hæc stella; venit super verticem, nonnisi postremis Afris, regno Monamotapæ, & in Novo orbe Brasilijs, atque Pervanis, Tropico Capricorni proximè subjectis, feris ut plurimum gentibus: ut illud usurpare possim: *Populus sedens in tenebris videt lucem.* De cætero circulum diurnum per vastissimũ Oceanum traduxit, omni Asia, omnibusque ferè Insulis Indicis ad Septentrionem relictis.

Quibus Horizontem strinxerit. Videri toto orbe potuit, exceptâ Zonâ frigidâ Septentrionis. Nam extremis Lappis horizontem strinxit in meridie.

De constellatione Serpentarij, Serpentis & Scorpionis.

CAPUT XIV.

FAcilè in hoc sidere apparet quod dixi capite quinto, nomina stellis venisse ab exigua aliqua adumbratione rerum nobis familiarium in dispositione vicinarum stellarum: Ex nominibus porrò illis susceptis, ortas esse fabulas novas poëticas, aut veteres vi quadam pertractas, accommodari cœpisse ad susceptа nomina. In Serpentario, qui hospitium præbuit novo sideri, maximè cùm oriri incipit serenis & illunibus noctibus, evidentissima apparet linea stellarum insignium duodecim, quæ flexu quodam circulari circa coronam Ariadnes, quasi circa centrum, inter hanc & capita Herculis atque Ophiuchi, circumducta stellis quinque, postea reflectitur deorsum; binis atque binis stellis

Descriptio Serpentis, utilis ad cognitionem fixarum.

ſtellis in eadem quaſi linea diſpoſitis, valde notabilis. Illarum duodecim prima in tabula mea deeſt, brevitate ejus excluſa; quæ refertur à Ptolemæo in humerum, ſecunda in ulnam, tertia in cubitum dextrum Herculis; quæ minor cæteris, ipſa tamen diſpoſitionis circulari ſerie æquè manifeſta fit: quarta demum vindicatur temporibus Serpentis; quinta eductioni colli: ſexta in reflexu ſerpentis eſt: ſeptima & octava propinquæ loco (Ptolemæo nona & decima Serpentis) ſunt in ſerpente: nona & decima propius coierunt, & accenſentur manui ſiniſtræ Serpentarij: undecima & duodecima ſunt in genubus ſiniſtro & dextro Serpentarij: poſt dinumeratas has duodecim, ſolitus ſum ego decimotertio loco numerare Novam; & ſic poſtquam decreſcere cœpit, in ejus aſpectum incidere: erat enim lineâ dictâ paulùm auſtralior.

Hac flexuosâ, & per ſe evidenti linea, præſertim cum ardua ex horizonte exit, exiſtimo admonitos veteres, de ſimulacro ſerpentis ſurrecti in altum: Cui ſuccedentium cura commodùm addidit & invenit imaginem hominis. In ſummo enim ſtella magna eſt, paulò inferior ſtellis ſecundi honoris; ſub qua à dextris & ſiniſtris binæ & binæ ſubjectæ claræ ſtellæ, ſpeciem humerorum; & rurſum aliæ duæ hujuſmodi copulæ, ſpeciem manuum conciliârunt: quod quidem expreſſis verbis Aratus innuit: *Serpentarij caput.* *Humeri.* *Manus.*

Τοῖοι ὀι κεφαλῇ ὑποκείμενοι ἀγλαοὶ ὦμοι
Ἕιδονται. Κεῖνοι γε κὴ ἂν διχόμηνι σελήνῃ
Εὐῶποὶ τελέθοιεν: ἀλὰρ χέρες ὃ μάλα ἶσαι
Λεπτὴ γὰρ τῇ κὴ τῇ ἐξεπιδέδρομεν ἀγλὰ;
Αλλ' ἔμπης κἀκεῖναι ἐπόπτιοι, ὃ γὰρ ἱλαφραί.

Acceſſit valde opportuna dextri pedis effigiatio, nitentis digitis: quam effigiem conſtituunt ſtellæ ſex, quas numerat Ptolemæus 13. 14. 15. 16. 17. 18. quibus acceſſit Nova. *Pes.*

Tot membris inchoata pictura viri Serpentem manibus tenentis, non mirum ſi poſtea abſolutior eſt reddita, arbitrio Aſtronomorum; aſcitis pro ſpira & cauda Serpentis, ſtellis pluribus, non ita manifeſti per ſe typi, ſed quas ſemel ſuſcepta ex prioribus ſtellis imaginatio, conſecutione quadam neceſſariâ adſciſcere videbatur. Tunc ex duodecim numeratis tres primæ ademptæ ſunt Serpenti, & traditæ Herculi ingeniculo; ut ne qualis ipſi oriretur cum Serpente de finibus; neve in anguſtum is redigeretur. Æquo animo ſerpens hoc damnum ferre potuit; ut cui in compenſationem ceſſit pulchra rictus Serpentini *Serpentis ſpira.* *Cauda.* *Rictus ſeu Caput.*

effigies, quę consistit in stellis tribus, supra temporum & originis colli stellas, quibuscum duæ extremæ (quarum quæ altior, cecidit extra limites meæ tabulæ) trapezium constituunt, tertiâ in medium receptâ. Atque hanc stellarum in capite Serpentis dispositionem Beyerus exprimit egregiè: pictor verò, ut plerumque, artem ostentavit alieno loco, oculum in locum maxillæ, frontem in locum narium transferens. Similia & Mercatoris & Tychonis globis contigerunt. Accessit in Tychonis Brahei Progymnasmatis & hoc, quòd is stellas non planè cum Ptolemæo, sed ex pictura Mercatoris denominat; & amanuenses numeros aliquos corruperunt; ut si dispositionem ex ejus catalogi fide facias; dispositionem rictus, qui in cœlo apparet, minimè exprimas; uti eam sanè neque globus Tychonicus exprimit.

Mendæ hujus asterismi.

Sed & in Græco Ptolemæi textu perversa est quinque stellarum, in dextro pede, denominatio Plagę: nam pro Borea substituendus Auster. Error antiquus in versionem quoque Arabicam transijt. Itaque retinuit eum Joannes Beyerus, quod in oculatissima hominis diligentia mireris. Agnovit enim Mercator in globo, & stellas has in Austrum transtulit: Unde Weidnerus rectè canit:

Quâ dextram anguiferi plantam secat orbita Solis.

Nimirum globi, qui Tychonis Brahei authoritatem præferunt, multa hujusmodi persuadebunt incautis; dum imitatores Mechanici, eas stellas, quas Braheus vel ob humilitatem, vel ob alia impedimenta transiverat, de suo addunt; imagines verò pictorum arbitrio relinquunt: inde factum, ut hæ stellæ passim in globis Tychonicis, & in Beyeri tabula, perversissimâ διαστρώσει, in poplite dextro signentur; quas authores in planta pedis esse volebant, charactere pedis manifesto admoniti.

Permutavit etiam Beyeri pictor (utique dolente authore) dextra sinistris; unde plurima confusio in Ptolemaicæ descriptionis cum cœlo comparatione: quæ res à Brenggero non injuriâ reprehensa est. Fuit eadem mihi cum meo sculptore contentio; qui cùm vario molimine vix tandem conciliasset pedum Idoli mei, propinquitatem, ad hanc latitudinem humerorum; postulavit sibi remitti dextrum cubitum, & pertinaciâ vicit. Quam enim Ptolemæus à dextro cubito denominavit, ea hìc quarta est Serpentis à fine. Cætera ad Ptolemæi mentem optimè.

Sed priusquam omnia tædiosis numerorum acervis persequar; id ab-

id absolvam de fabulis, quod cœpi dicere: Originem scilicet hujus Idoli cœlestis esse ex dispositione stellarum: quo in cœlum recepto, jam cœpisse Poëtas cogitare de fabulis. Avienus Æsculapium hunc esse fingit, qui in vitam revocato per artem medicam Hippolyto, pœnas Jovi cum exolvisset, fulmine percussus; in solatium tamen immortalitatem acceperit, hujus imaginis suæ in cœlum translatione. Nimirum quia Æsculapium in serpentis imagine coluerunt Epidaurij; additum illi & serpentem innuit. Alijs placet, Herculem puerum exprimi, angues manibus prementem: qui equidem oblivioſi sunt, & fortè cœlum nunquam ascenderunt, ut discerent, Herculem antea ibi esse, nixum genibus, & capite sic urgere caput Ophiuchi, ut cum eo arietare videatur. Alijs Triopas est, alijs Glaucus. Hinc Pontanus etiamnum dubius, alias fabulas accommodat Orienti, alias Occidenti, libro III. cœlestium.

Serpentarij fabula incerta & varia.

Si marsos, domitosq; angues, & carmina quæris
Colchidos, & victum somno verbisq; Draconem;
Hæc tibi surgenti dat serpentarius astro:
Si quæras fortè Eurydicen per gramina læta
Errantem, atque anguis de vulnere multa gementem:
Serpentarius hanc obitu signabit iniquo. Hęc ex J. Firmico penè ad verbum.

Tanta est Poëtarum licentia, ut hoc Idolum quotidie de mare in fœminam transmutent: quid mirum si quibusdam & effœminatus fingitur? Per Pontanum igitur licet vel Apollinem dicere, Pythonis, vel Cadmum, Draconis Bœotij interfectores, vel Jasonem, qui Colchidos Draconem sopivit, vel Æsacum, Egeries nymphæ necem in serpente ulciscentem, vel quam ipse dicit Eurydicen: At quid si Lesbium illum Draconem dixeris, à Phœbo in saxum conversum, illum qui caput Orphei rosit? Cernis ut reflexo collo ad coronam, & quæ hanc non longo intervallo sequitur, Orphei lyram, etiamnum in corona caput Orphei, qui lyræ dominus erat, quærere videatur? Sin hoc minus placet; Aristæum in Serpentario agnoscito, Protea in Serpente; ut luctæ causa pateat.

At nihil accommodatius Laocoonte Virgiliano, quem serpentes ab exitio filiorum avertentem

Corripiunt spirisq; ligant ingentibus: & jam

Bis medium amplexi, bis collo squamea circum-
Terga dati, superant capite & cervicibus altis,
Ille simul manibus tentat divellere nodos.

Frustra quidem omnia. Nulla fabula quadrat. Refutat Manilius uno versu:

Semper erit paribus bellum: quia viribus æquant.

Omnes verò hactenus commemorati aut vicerunt, aut victi sunt.

Nunc à ludicris ad calculos, à Poëtis ad Mathematicos veniamus. Numeravit Ptolemæus cum Hipparcho stellas 47. in Serpentario & Serpente & circum, in Scorpione 24, in Sagittario 31. Braheum Sphæræ declivitas, & aër Horizontis crassus impedivit, ut non plures quàm illic 26, hic 10. & 13. mensas suis instrumentis ediderit. Beyerus oculatissimus fuit, illic 67, hîc 29. & 32. notavit. Mihi voluntas nunquam defuit supplendi defectus hosce in Brahæo, quantum poli Pragensis altitudo pateretur; at facultas perquàm tenuis. Nam & penè solus, & hebeti visu sum: stellulæ verò parvæ, horizonti vicinæ, & in splendore viæ lacteæ; & Braheanis instrumentis careo; nec cœlum in Bohemia crebrò est ad votum. Itaque vix unius ex omissis justa invenietur observatio; reliquarum seriem culminantium, & altitudines meridianas, quantum visu potui consequi, annotavi: quarundam & loca determinavi congressu stellæ Martis, cujus calculum habeo exquisitissimum. In plerisque juvit me Mechanica, & annotatio rectarum linearum; quoties ternæ stellæ in unam rectam, aut proximè unam competebant. Cuius rei causâ exhibeo tibi typum constellationis hujus.

Ratio typi æquei. Nam ut rectæ stellarum præsertim paulò remotiorum sese accommodent Mechanicæ, paulò aliter adornanda sunt schemata, quàm ordinata vides Beyeriana. Cùm enim Mechanica versetur in planicie-bus, & rectæ omnes apparentes, sint circuli maximi in cœlo, & oculi nostri quasi in centro mundi: tenere oportet, quod circulus magnus ex centro Sphærarum in planum projectus, fiat recta. Quod si planum tangat Sphæram in aliquo puncto zodiaci (ut hoc nostrum planum tangit zodiacum in 18. gradu Sagittarij) omnes semicirculi magni latitudinum in hoc planum projecti, fiunt lineæ parallelæ infinitæ, ad projectam Eclipticam rectæ: Omnes præterea declinationum semicirculi (utpote semicirculi maximi) concurrent in uno plani continuati puncto, quod recta ex centro Sphæræ per polum mundi, qui est in hemi-

in hemiſphærio projiciendo, deſignat. Minores circulos quod attinet, puta parallelos Æquatori vel Eclipticæ, & ſimiles: ij projecti fiunt ſectiones Conicæ: Omnis enim circulus hemiſphærij minor, cujus circumferentia removetur à puncto contactus præcisè quadrante circuli, projectus in planum, fit parabole. Quod ſi aliqua circumferentiæ pars evadit in alterum hemiſphærium non projectile, hoc eſt ſi fit remotior à puncto contactus, quadrante: talis ſemicirculus projectus (quatenus projici poteſt) fit hyperbole, ut in hac noſtra tabula omnes circuli ad Eclipticam paralleli, deſignantes latitudinem, ſunt hyperbolæ. Denique ſi circuli minoris nulla pars circumferentiæ quadrante integro diſtat à puncto contactus: circulus talis projectus in planum, fit Ellipſis; aut, ſi polus ejus in puncto contactus, planè circulus. Demonſtratio in promptu eſt, centrum enim cum aliquo minorum circulorum undique connexum, creat ſuperficiem conicam, quam ſecat planum, Sphæram tangens.

Etſi verò diſtorquentur ſchemata, præcipuè in extremitatibus tabulæ, ſi latior fuerit: ut hîc apud caput Serpentis, ubi neceſſe eſt rectum angulum (quo circulus latitudinis à parallelo latitudinis in Sphæra ſecatur) hîc in Plano degenerare in obtuſum: interim tamen manent eædem rectæ, quarum comprehenſio eſt facilior, utpote ſimplicium; ideoque & utilior.

Accipe itaque ſeriem culminantium cum Altitudinibus.

	Altitudines per quadrantem ſeſquicubitalem.	
	Grad.	*Minut.*
Pedis Scorpij, infra frontem — —	11.	51/. circiter
Imæ frontis — — —	14.	54/.
Mediæ frontis — —	18.	21/.
Supremæ frontis — — —	21.	15/.
Quæ cor Scorpij præcedit — —		
Siniſtri cruris Serpentarij trium quæ in rectâ, Ima, —		
Media — — —	22.	24/.
Cor Scorpij — — —	14.	27/.
Summa ſiniſtri cruris Serpentarij — —	24.	16/.
Talus pedis ſiniſtri Ophiuchij — —	19.	16/.
Quæ ſequitur infra cor Scorpij — —	12.	32/.

Statim

Statim siniſtrum genu Ophiuchi —	30.	14′.	
Siniſter cubitus Ophiuchi — —	42.	39′.	
Primus nodus Scorpij — — —	6.	25′.	
Secundus nodus Scorpij — — —	2.	54′.	
Clara in dextro genu Ophiuchi — —	24.	48′.	
In extremis dextri pedis digitis — —	13.	40′.	14. 0′.
Clara palmæ pedis — — —	15.	26′.	
Eadem ferè culminatio tibiæ — —	19.	17′.	
Eadem ferè primæ in Iſoſcele ſpiræ Serpentis	27.	30′.	
Volæ pedis dextri Ophiuchi — —	15.	49′.	
Aculei Scorpionis — — — —	3.		3½. 0′.
Stellæ Novæ — — — —	18.	50′.	
Tali ferè eadem culminatio — —	15.	53′.	
In baſi Iſoſcelis ſpiræ Serpentis prior —	24.	49′.	
Ptolemæo in oſſe cubiti dextri, mihi 4. Serpentis à fine —			
In baſi Iſoſcelis ſpiræ Serpentis poſterior —	26¼ circiter.		
Claræ in dextra manu — —	30.	13′.	
Cuſpidis ſagittæ culminatio ferè eadem	9.	20′.	lato modo
In anteriori dextro pede equino Sagittarij —	5.	32′.	Etc.

Pleræque in refractionibus erant, nec ſatis ad certitudinem aſtrictis pinnulis accipi poterat, propter earum ἀμαυρότητα. Itaque cùm neque aſcenſiones rectæ determinentur; calculi labore ſuperſedi, contentus Mechanica; & adhibitis lineis rectis, in quas trinæ incidebant aut alludebant, cæterisque ſchematiſmis; quos qui volet, propriâ induſtriâ ex cœlo petat, cùm perpetuæ ſint, nec inſtrumentis indigeant; adque eas tabulam hanc expendat, & ſicubi opus eſt, corrigat, relictis ijs, quas Brahei induſtria certas prodidit.

Quod verò claram pedis dextri attinet, quia Pes iſte novo hoc ſidere fuit exornatus; digna mihi videbatur, quam quomodocunque poſſem, metirer: apparuit autem bis diſtare à corde Scorpij 11. 53′, qualium genu dextrum à media frontis diſtabat 17. 55′, cùm interſint tantùm 17. 53′. Itaque correcta diſtantia 11. 51′: Et erat ejus altitudo 15. 26′, quæ ablata ab æquatore, relinquit 24. 28′. Itaque locus ejus ſit 15. 50′ Sagit. circiter, cum latitudine 1. 43′ Auſtrali.

Ad ſiniſtri pedis ſtellas Mars venit Martio anni 1606. Die namque 10. St. Novo, manè hora 5, cùm Mars per calculum reponeretur in 1. 42′ Sagit. latit. 1. 5′ Bor. viſus eſt medio ferè loco inter borealiſſimam trianguli

anguli in fronte Scorpij & Talum, proximus imæ cruris, distans dimidio ejus, quod suprema frontis a duplici, & nondum in linea cruris.

Die verò 16. Martij, quo Mars fuit in 3. 51/ Sagit. latit. o. 59/ Bor. diametro Lunæ supra talum pedis sinistri stabat, in linea ex talo supra mediam cruris. Sequenti 17. Martij, quando in 4. 11/ Sagit. fuit, cum lat. o. 58/ Bor. jam superaverat lineam ex corde Scorpij in talum, parumper. Cùm ergo sit cor Scorpij in 4. 17/ Sag: Talus igitur cadit ante 4. 11/ Sag: parum admodum: scil. anno 1604. in 4. 7/ Sagit. Et quia diametro Lunæ, h. e. circiter 32/ minutis inferior Marte: latitudo igitur ei septentrionalis erit o. 26/. Et quia die 17. Martij Mars cum Talo fuit, & in 4. 11/ Sag: die verò 10, in 1. 42/: Processit igitur per 2. 29/. Et distabat ejus prior locus à talo per 1. 32/, viâ transversâ. Et quia Borealissima in triangulo frontis Scorpij est in 29. 8/ Scorpij: hinc ad 1. 42/ Sagit. sunt 2. 34/ quod vides priori distantiæ 2. 32/ esse quam proximè æquale, planè ut supra annotatum. Sequitur hinc, imam cruris sinistri esse ultra 1. 42/ Sag. Proximè igitur in 1. 48/ Sag. cum lat. 1. 38/ Sept.

Hinc verò atque ex 16. Martij fœneramur etiam locum Mediæ cruris, addito, quod linea trium cruris, relinquat genu sinistrum parumper in Occidente, &c.

Rursum die 25. Maij, vesperi hora 11: Mars motu retrogrado jam superaverat talum & cor Scorpij: Nimirum calculus reponit eum in 3. 57/ Sagit. cum lat. 1. 30/. Austr. Vides consensum. Erat Martis, cordis, & cor præcedentis triangulum proximè æquicrurum, & minimum latus cordis & præcedentis. Mars tamen cordi paulò propior, quàm præcedenti, quòd confirmat ejus locum. Porrò linea ex media frontis, per eam, quæ sub vola pedis, transibat sub Marte. Cumq; media frontis sit 1. 54/. Austr. & Mars 1. 30/ Austr. hinc intelligitur volæ latitudinem esse majorem 1. 30/ Austr.

Die 28. Maij vesperi, videri ea, quæ sub vola pedis, non poterat, ob Martis propinquitatem. Ac cùm fuerit tunc Mars in 2. 56/ Sagit. latitudo 1. 51/ Aust. Itaque fixa hæc circiter 3. o/ Sagit. cadit, latit. 1. 50/ Aust. Harum itaque fixarum loca sat certa sunt. In cæteris si me multiplex figurarum rectarumque pensitatio, & qualiscunque meridianarum altitudinum observatio non ad minima scrupula duxit; at certè non longiùs aberrare passa est.

Jam porrò exhibebo & catalogum longitudinis & latitudinis earum, quæ vel à Braheo nondum sunt in catalogum fixarum relatæ; vel præter Ptolemaicas in his sideribus visuntur.

Primùm perverſa eſt denominatio priorum in Serpente. Nam

quæ eſt Braheo	dicitur Ptolemæo
I. Præcedens in ore.	Supra extremum maxillæ in quadrilatero.
II. Quæ in ore.	Naſum contingens.
V. Quæ ad ſiniſtrum oculum.	In medio quadrilateri in rictu.
VI. Quæ ad nares.	Egrediens à capite ad partem Septentrionis.

De his conſului diſtantias Tychonicas obſervatas, easque de novo ſubjeci calculo. Primæ locus idem provenit, qui apud Tychonem: Quæ verò obſervationes tribuebantur ſecundæ, prodiderunt locum eum, quem prima habet apud Tychonem. Pro ſecunda verò nondum inveni quicquam. Nam munda exemplaria obſervationum mihi non contigit adire. Neque recipi potuit hæc ſecunda, multoque minus ſexta informis, intra anguſtias meæ tabulæ.

Quintam verò quod attinet, ejus diſtantiæ à

Capite Herculis 20. 50½′.
Cauda Aquilæ 47. 18′.
} locum arguunt 14. 10′ Scorpionis, anno 1600; non 15. 10′: & latitudinem 37. 17′, non 37. 28′.

De dextro genu Ophiuchi dictum eſt ſupra capite XIII, quod abundet ſcrupulis 4.

Notata eſt & in parvulâ trianguli in fronte Scorpionis, quæ duplex eſt, unius denarij ſcrupulorum abundantia longitudinis. Angulus enim ad claram frontis, rectus eſt ad ſenſum. At ſi numeros Progymnaſmatum ſequaris, angulus fit acutus. Probo ſic, quia angulus rectus, & triangulum, vicinum Eclipticæ, propemodum rectilineum: igitur ut differentia longitudinis duarum ſuperiorum trianguli 87½′ ad differentiam latitudinis 37′, ita differentia latitudinis clariſſimæ & parvæ 51′, ad differentiam earum longitudinis 21½′. At cùm clariſſima ſit anno 1600. in 27. 36′ Scorpij. Igitur additis 21½′, erit parvula hæc in 27. 57′ Scorpij: non in 28. 7′; ut in libro ſcriptum.

SEQVI-

SEQVITVR CATALOGVS QVARVNDAM STELlarum in conſtellationibus Serpentarij, Serpentis & Scorpionis, quæ à Tychone, vel etiam à Ptolemæo omiſſæ ſunt, ad annum 1604. accommodatus: Sed præciſio numerorum non eſt tanta, ut cum Braheano Catalogo componi poſſit.


	Longit. Scorp.	Latit.	Magn.
In Serpente ſupra duplicem, Octava Ptol.	16. 36′	26. 36′ S.	4.
In Criſta — — —	18. 12′	37. 15′ S.	5.
Informis inter humeros Herculis & Oph.	26. 30′	35. 0′ S.	5.
Trium quæ ſiniſtrum pedem Ophiuchi in recta præcedunt, borealiſſima	25. 45′	9. 57′ S.	5.
Media — — —	24. 50′	6. 42′ S.	5.
Infima — — —	24. 8′	3. 45′ S.	5.
Duarum ante frontem Scorpij ſuperior	23. 5′	8. 42′ Auſt.	4.
Inferior — — —	23. 38′	10. 20′ Auſt.	4.
Quæ præcedit genu dextrum —	1. 6′ Sagit.	13. 34′ S.	5.
Duarum inter pedes ſuperior —	6. 54′	11. 50′ S.	6.
Inferior — — —	5. 52′	4. 38′ S.	6.
Trium in crure ſiniſtro, Borealis —	2. 50′	5. 42′ S.	4.
Media — — — —	2. 10′	3. 11′ S.	4.
Infima — — —	1. 48′	1. 38′ S.	4.
In calce ſeu talo ſiniſtri pedis —	4. 7′	0. 26′ S.	4.
Sub vola pedis ſiniſtri — — —	3. 0′	1. 50′ A.	4.
Quæ ſupra cor Scorpionis — —	4. 15′	3. 2′ A.	5.
Quæ ſupra præcedentem cor —	2. 4′	2. 50′ A.	5.
Duarum infra præcedentem cor in corpore, prior — —	0. 50′	6. 37½′ A.	4.
Poſterior — — —	2. 24′	7. 0′ A.	4.
In primo ſpondylo — —	8. 7′	11. 0′ A.	3.
In ſecundo ſpondylo — —	9. 47′	14. 52′ A.	3.
Aculeus caudæ Scorpij — —	18. 32′	13. 54′ A.	3.
In femore dextro — —	15. 42′	17. 28′ S.	5.
In dextro cubito, Ptolemæo: in mea pictura 4. Serpentis à fine — —	19. 5′	14. 57′ S.	4.

	Longit.	Sagit.	Latit.		Magn.
In Isoscele spiræ Serpentis, apex	15.	3′	10.	25′ S.	4.
Prior basis	19.	26′	8.	4′ S.	4
Posterior	20.	12′	10.	23′ S.	4.
Dextri Pedis: Tibia	15.	45′	1.	57′ S.	4.
Digitus	14.	10′	3.	27′ Au.	4.
Dorsum	14.	50′	1.	27′ A.	5.
Palmæ clara	15.	50′	1.	43′ A.	3.
Vola	16.	40′	0.	59′ A.	4.
Calx seu Talus	18.	8′	0.	57′ A.	4.
Quatuor informium in Rhombo ad humerum dextrum borealissima	25.	10′	28.	0′ S.	4.
Mediarum prior	25.	0′	26.	40′ S.	4.
Posterior	26.	53′	26.	28′ S.	4.
Infima	25.	43′	24.	45′ S.	4.
Duarum parvarum supra caudam, superior	29.	52′	26.	38′ S.	6.
Inferior	1.	42′ Capr.	23.	28′ S.	6.
Infra caudam clara	3.	3′	15.	49′ S.	4.
Post pedem dextrum, socia novæ	20.	7′ Sagit.	1.	22′ S.	4.
Trium minimarum inter ultimam & penultimam caudæ Serpentis, præcedens	2.	3′ Capr.	21.	29′ S.	6.
Media	4.	9′	22.	42′ S.	6.
Postrema	6.	43′	24.	52′ S.	6.
Proximè infra ultimam, infor.	10.	25′	25.	2′ S.	6.
Cuspis Sagittæ	25.	23′ Sagit.	6.	54′ A.	3.

*Huc refer figuram ex Cupro, signo * * *, in qua Æ Q æquatorem notat; EC. Eclipticam; α & ε Saturnum; π & ι Jovem; υ Martem; N Novam: hoc discrimine, ut α & π, circuli vacui, designent loca Saturni & Jovis conjunctorum die 7/17 Decembris anni 1603. ε, ι, υ, significent situm Saturni Jovis & Martis die 30. Sept. vel 10. Octob. quo die Pragæ primùm visa est Nova stella. Reliquæ rectæ & curvæ lineæ paulò suprà sunt explicatæ. Stellarum verò cæterarum nomina patent ex imaginum membris, quibus inhærent.*

* * *

De loco


Ad fol. 76.
signum * * *
N
ε
α
η
ι
υ

In Iſo
Prior
Poſter

Dextr
Pedis

Quatu
m
Media
Poſter
Infim

Duaru
Inferi
Infra c
Poſt p

Triun
pr
Media
Poſtre

Proxi
Cuſpi

De loco hujus ſideris in mundi diametro, ſeu de immenſa ejus à centro terræ diſtantia.

CAPUT XV.

QUo diligentiùs hunc locum excoluit ſummus ille Aſtronomus Tycho Braheus, hoc breviùs me hinc ego potero expedire.

Principiò demonſtrabo, ſidus hoc fuiſſe non tantùm ſupra Lunæ orbem collocatum, ſed ne ipſo quidem Sole propinquius.

Sidus hoc caruiſſe Parallaxi.

Demonſtratio facilis eſt. Cùm enim motum verum nullum habuerit; ſi propinquius fuiſſet ipsâ Lunâ, plus locum ſub zodiaco apparentem commutaſſet, quàm Luna: itaque ſaltem ad viſum, per aliquantulum cœli ſpacium diſcurrere apparuiſſet, etſi revera quieſcens. Lucis causâ, capiat lector paulò imperitior, aliquod exemplum. Etſi quidem in Opticis cap. 9. doctrinam parallaxium ſic explicaſſe videor, ut nihil deſiderari poſſit. Sit tamen craſſum & palpabile exemplum hoc. Tene caput immotum, oculos alternis claude, aperto Naſum inſpice. Si dextro inſpexeris, ad ſiniſtram partem libri aut pavimenti naſus videbitur: ſin ſiniſtro inſpexeris oculo, Naſus dextras libri partes occultabit. Quoties oculos permutaveris, Naſus videbitur ſaltum facere, etſi quieſcat.

Poſtea ne naſum, ſed pollicem inſpicito immotum, paulò longius à facie diſtantem: alternatis oculis, faciet eadem pollex, quæ prius naſus fecerat: at ſaltus non ita magnos faciet. Ex quo ſenſus communis judicat, pollicem plus diſtare quàm naſum, quia minorem faciat parallaxin, ſeu apparentis loci commutationem.

Planè quadrat exemplum ad rem noſtram. Quod enim ſunt nobis bini oculi, id ſunt Aſtronomis bina loca in mundo; quod in exemplo Naſus & Pollex, hoc illis, Luna, & remotior aliqua ſtella: quod hîc liber aut pavimentum, hoc illis Sphæra fixarum; quia ut pollex & naſus adhuc multum abſunt à pavimento aut libro, etſi oculis ſolitarijs inſpecti tangere & tegere illa videntur: ita ſidera errantia, non in ſummo æthere inter ipſas fixas ſunt, ſed longè ſub ipſis; videntur tamen in ſummo æthere eſſe: & Luna à diverſis locis mundi inſpecta, apud diverſas videtur conſiſtere fixas. Hæc rudia, fortaſſis aliquibus paulò tardioribus proderunt ad negocium parallaxium intelligendum.

Jam probandum eſt, quod ſidus novum fecerit minorem parallaxin, quàm Luna, & non majorem, quàm Sol: adeóque abſque dubio omnino nullam. Probo id duplici via. Primùm ſic: Obſervatum eſt ſidus menſe Octobri, verſans in Occaſu: Menſibus verò Februario & Martio, verſans in Ortu, habens eundem ſemper locum intra 6. minuta; quę refractionum, & apud me, inſtrumenti vitiolo, deſiderari potuerunt. Nam anno 1604. $\frac{21}{22}$ Octobris ex tribus ſtellis, inventus eſt locus Novę in 17 39/: 17.40/: vel 17.42/ Sagit. cùm verſaretur in Occaſu. At $\frac{7}{12}$ Februarij, quando exoriens fuit obſervata per Aquilam, inventa eſt ſimiliter in 17.40½/, per cor Scorpij in 17. 44½/ Sagit: correctius ex Fabriciana in 17. 42/ Sagit.


Si ſtella fuiſſet in confinio curſus lunaris, quantam factura fuerit loci mutationem apparętem.

At ſi non longius abfuiſſet, quàm ſexaginta terræ ſemidiametris, & quieviſſet ſub eodem fixarum Sphæræ loco; ſatis magnam feciſſet parallaxin. Occidat o/ Sagit: oriatur o/ Gemin: ſit nonageſimus ab ortu o/ Piſcium, qui eleuabitur per tabulas Magini primi mobilis gr. 23 ferè, diſtans à vertice 67. gradibus. Itaque ſecundùm parallacticam doctrinam cap. 9. Opticorum traditam, & per tabulam parallacticam, ſub ſemidiametris 60½, & totali parallaxi 57/, oſtenditur latitudinis parallaxis 52/ 28//, horizontalis longitudinis 22/ 16. Ac cùm ſit locus ſideris in 18/ Sagit: diſtans à o/ Piſc. per 72: Longitudinis igitur parallaxis ſub titulis 22/ & 16//, erit 21/ 10// in Occaſum: & ſidus, etſi ſecundùm veritatem ſub 17.40/ Sagit: apparebit tamen ſub 18. 1/ 10// Sagit. Viciſſim oriatur o/ Capric. ut o/ Libræ ſit nonageſimus, qui elevatur per 33. 20/, diſtans à vertice 59. 40/. Parallaxis igitur latitudinis (poſitis, quæ prius poſueramus) 47/ 37//, quæ jam differentiam latitudinis facit (à priori 52/ 28//) minutorum ferè quinque. At ſemper eadem fuit diſtantia ſideris à capite Ophiuchi, tam anno 1604. occidentis, quàm anno 1605. orientis: itaq; & latitudo ſemper eadem, inter 1. 55/, & 1. 57/ Sept. Sed pertexamus parallaxin longitudinis: prodit enim hìc jam per altitudinem nonageſimi 33. 20/, titulus pro longitudine, 31/ 35//, ſub quo è regione 78, diſtantiæ 18 Sagit. à nonageſimo, oſtenditur parallaxis 30/ 53// in ortum. Itaque manens ſidus in 17. 40/ Sagit: videbitur tamen in 17. 9/ 7// Sagit. Itaque locum permutaverit à 17. 9/ 7// Sagit. in 18. 1/ 10// Sagit. per 52½ minuta.

Atqui locum nihil mutavit: certè nullo, quod cum hac quantitate comparari poſſit.

In Schemate adjecto ſit A centrum, B ſuperficies telluris, E F Ecliptica fixarum, C D iter diurnum Novæ in confinio Lunæ, ſintque

G. H



G. H duæ notæ gradus 18. Sagit. G. Orientis, H. Occidentis; ut sic utrinq; nova hæreat in eâdem lineâ, ex A centro terræ in fixas eductâ, quæ sit A G. in Ortu, mense Februario: A H in Occasu, mense Octobri. Manifestum est, quòd Nova, tam propinqua existens terræ, visa fuisset ex B. loco visus in linea B C E. Oriens, & in B D F. Occidens: hìc igitur ante H notam 18. Sagitt. in F, illic post G. 18. Sagittarij notam, in E: Nequaquam verò apparere potuisset sub eodem loco inter fixas, in G. vel H.

Atque hoc loco quid ego dicam, imò quid non dicã de miserabili conditione nostri temporis: In tanta luce doctrinæ de parallaxibus, tãto consensu Philosophorũ cum Mathematicis, existere tamen unum aliquem, non plebejum, sed Philosophum, medicis libellis clarum, excellentissimumq́; virum: idq́; non in barbara aliqua regione, sed in Italia: n̄on in obscuro ejus angulo; sed Paduæ, in tanta doctissimorũ virorum frequentia, tãto Europæ concursu: non qui dubitet, sed qui apertè contradicat; non qui fateatur ingenij imbecillitatem, exercitationisve defectum, & schematum Mathematicorum insolentiam; sed qui omnem hanc eruditionem præ se ferat: & tamen contra hanc doctrinam, disertis & perspicuis verbis à se ipso explicatam (nisi fortè Mathematicus aliquis, authore longè doctior, hactenus manum ipsi direxit) argumentis pudendis insurgat; abusus authoritate & celebritate nominis, quam sibi arrogat; & confisus solitudine à viris rerum Mathematicarum peritis: ausus est affirmare, decipi Astronomos in doctrina Paralapseon. Ignoscite Grammatici, hæc planè vox est Excellentissimi viri, non mea; nimirum erat dicturus Parallaxeon. Si difficilem hanc doctrinam dixisset, si negasset, Astronomos citra erroris aleam ad unum vel duo scrupula venire: fassurus eram ipse quoque. Nunc verò quid garrit logodædadus? Quid garriat parùm interest; quorsum verò pertineat ejus garritus, videte. Negat esse possibile Astronomis, ex doctrina Parallaxeon de hoc pronunciare; utrum stella sub Luna fuerit. Negat igitur, observationes Mathematicorum intra $52\frac{1}{2}'$ minuta certas esse. Nimirum omnes Mathematicos Germanos, Crabbi nostri; omnes Italos sui similes putat. Quid ad hæc vos Italici Mathematici: Clavi, Ubalde, Magine, Galilæe, Getalde, Rubee, cæteri


teri plurimi? quid Sabaude Creſtine? quid Galli cæteri, in quorum patria excuſus eſt alius Itali hujus libellus, idem agens Latino idiomate? Cur ad hoc tantum dedecus tantâ cum patientia connivetis? An verum ego ſuſpicor, nugas haſce indignas putatis, quas publicè refellatis? Sed planè ridicula eſt ratio Philoſophi. Audivit fortaſſis à Mathematicis, in doctrina parallaxium venire centrum Lunæ ſiderisque in conſiderationem. Ipſe intelligens illud centrum, quod eſt intus & in corpore, exultat gaudio, quòd oblatum ſibi putet effugium: negat quippe illud centrum videri poſſe. Indignum hic ipſi reſpondere coram Mathematicis; ſed ſi quis alius eſt ab hoc cæco Magiſtro dementatus; ei dico, Aſtronomos loqui de centro viſibili rei viſibilis, quantitate viſibili præditæ: quod non opus eſt ſeipſo cerni, ſed extremis viſis & menſuratis, ipſum quoque æſtimatur. Sic enim ſolent Aſtronomi, primò altitudinem obſervant ſummi marginis de Luna, dein imi: tunc differentiæ ſemiſſem adjiciunt minori, ut habeant medij, ſeu centri altitudinem: Ut ſi ſummi altitudo ſit 50.44/, imi 50. 12/, differentia 32/, dimidium 16/: hoc additum ad 50. 12/, efficit 50. 28/: atque hanc centri dicunt altitudinem, viſi per extrema, non per ſe.

Sed quid immoror hiſce, cùm videam ignorare hominem, quid ſit obſervatio Aſtronomorum, nedum ut unquam ipſe obſervaverit. Negat enim Solis centrum videri poſſe, niſi aquilinis oculis. Ac cùm ipſe hiſce careat, ſequitur Solem ab ipſo nunquam obſervatum. Talem hominem non decuit in Paduano cœtu docere ea, quæ ſomniat de ſtella nova, & cæteris aſtronomicis; ſed diſcere à doctiſſimo cœtu, quę hactenus ignoravit.

Ejus quidem librum de rebus cœleſtibus contra Mathematicos ſcriptum, & Pariſijs impreſſum, quanto cum ſtomacho legerim, dici vix poteſt. Erat autem neceſſariò legendus, in gratiam patroni. O egregias occupationes generis humani; quod hic ædificat, alter diruit, quia ædificare non didicit; ſcilicet ut aliquid operæ locique ſuperſit tertio ad reædificandum. Quàm ego lubens hic exclamo meum illud ex Perſio: *O curas hominum, ô quantum eſt in rebus inane.* Sed hæc hactenus.

Dictum enim demonſtratumque eſt, nec quicquam muſſante imperitiſſimo Philoſopho, ſtellam non mutaſſe locum, aliquâ notabili particulâ de minutis 52½/. Jam pergamus altius.

Et quantum in Cumque Soli tribuantur uſitatè 3 minuta parallaxeos; quia 1200 ſemidiametris terræ à terra cenſetur abeſſe; ſintque hæc 3 pars undevicesima



vicesima de 57: divisa jam inventa parallaxi longitudinis, 52½′ minutorum, per 19, prodit, paulò minus 3 minutis. Sol itaq; si 1200 semidiametris à Terra distat; observatus his 2 sitibus, quibus stella est observata, mutasse locum visus esset per 3 minuta, quantumvis quiescens seipso in eodem gradu & minuto zodiaci. At stella nostra non mutavit locum per 3 minuta; quia etsi nonnulla incertitudo, ob causas indicatas, est in observationibus; tamen & Octobri & Februario, utrinque à quibusdam stellis, deprehensa est in 17. 40′ Sagit, utrinque à quibusdam in 17. 42′ vel 43′ Sagit. Et ne existimes, factum hoc esse ideò, quia non ijsdem utrinque stellis sumus usi: Ecce Byrgius mensus est Octobri ab aquila 45. 43′: Ego verò mensus sum Februario ab eadem aquila, post certam correctionem, itidem 45. 43′. *confinio cursus Solaris.*

Memineris autem, in hac argumentatione præsupponi hypotheses usitatas, quæ Terram dicunt stare, fixarum Sphæram converti. Aut si quis est in sententia Copernici: cum hac quidem argumentatione usum, necesse est ponere sidus certâ quâdam distantiâ affixum telluri: sic ut eam sequatur, quomodo apud Braheum orbes sequuntur Solem, apud Copernicum verò Luna Tellurem.

Idem verò probabo etiam aliter, sidus altius esse Lunæ sedibus. Nam si Luna eodem temporis momento & in Bohemia & in Frisia observatur, diversis videtur locis sub zodiaco; ut prius de naso & pollice dictũ: Verbi gratia, intersint gradus 6 circuli magni: Hi totidem ferè minuta variabunt aspectabilem locum, si circa verticem fuerit Luna. Cùm igitur non sit 6 minutorum differentia inter meas & Fabricij observationes: Igitur humilis esse non potuit hæc stella. *II.*

Schema spectat ad folium versum.

Altitudo Novi ſideris per Copernicanas Hypotheſes.

Verùm puerilia ſunt iſta diaſtemata, quæ pro novo ſidere expendimus hactenus; dum in uſitata ſententia, de quiete telluris, manemus. At ſi Copernicanos immenſitatis abyſſos aperiamus; Deus bone, quantam in altitudinem ſidus hoc elevabitur?

Nemo exiſtimet, inanem eſſe hunc laborem, ex ſententia Copernici aliquid demonſtrare. Credat mihi, non tantùm gliſcit hæc ſententia, ſed planè convaleſcit apud Philoſophos. Nec mirum, cùm pro ea certatim pugnent Matheſis & naturalis ſcientia; nec contradicant ſanctiores diſciplinæ; dummodo non ad cujuslibet privati arbitrium detorqueantur, ſed ſuo ex more æſtimentur.

In Schemate præmiſſo ſit C Sol, HKO orbis in quo tellus circumit, D locus novæ ſtellæ, prope Saturni ambitum, vel Saturni ipſius.

Ex Prutenicis igitur videre eſt, ſi Saturnus altiſſimo ſui orbis loco, qui ſit D, (quando decuplo abeſt ejus, quo abeſt Sol à terrâ) ſtaret immobilis; Terrâ ex C D linea, quæ Solem Saturno connectit, ejusque puncto K ad extremum orbitæ ſuæ latus O diſcedente; parallaxin Saturni, ſive angulum C D O fore circiter 6. gradus. At cùm ne decimam quidem unius gradus, locum ſidus mutaverit, angulusque C D O occupaverit, hoc eſt ne ſexageſimam quidem, ſex graduum; neceſſe eſt, altius eſſe ſidus hoc, quàm ſexagecuplo diſtantiæ Saturniæ: & quia hæc decupla ad Solarem; altius igitur, quàm ſexcentuplo ſolaris: ut ita C O diſtantia Solis à terra, non æquet ſexcenteſimam ipſius C D. Itaque ſi 600 diſtantiæ Solis à terra, quælibet habens 1200 ſemidiametros terræ, hoc eſt, ſi ſepties centena & viginti millia ſemidiametrorum terræ, extendantur à tellure ſurſum in ætherem; adhuc illo tam remoto loco, poteſt contingere parallaxis ſex minutorum: At cùm fidiſſimæ obſervationes intra 2 minuta omnes conſenſerint, quæ ſunt tertia pars de ſex: igitur certum eſt ſecundùm Copernici quidem ſententiam, ſidus hoc triplo ad minimum fuiſſe altius, itaque vicies ſemel centena & ſexaginta millia ſemidiametrorum terræ, hoc inter & tellurem interfuiſſe. Quid multis, fatigatur animus, in hac immenſitate mundi oberrans, in qua nullam invenit numerando requiem, nullam ſtationem, nullam revertendi metam. Itaque miſſis numerorum ſectionibus nimium ſubtilibus, ad totius contemplationem geometricam aſpiremus.

De im-

De immensitate Sphæræ fixarum in hypothesibus Copernici: deque Novi sideris magnitudine.

CAPUT XVI.

HIc certus sum, eorum, qui lecturi sunt, alios irrisuros insaniam Copernici; alios, qui sententiam ejus complectuntur, ob Astronomica & Physica alia argumenta; hac tamen immensitate offensum iri, & dubitare incepturos, an omnino verè dicantur, quæ ad stabiliendam Copernici sententiam ex alijs scientijs afferuntur; an verò aliqua ratione dissolvi illa, & ostendi occasio possit, qua in errorem pertracti sint Copernicani.

Quæ Braheus Copernico solitus sit objicere.

Et addidit Braheus objectioni vires, dum concinnitatem in perfectissimo opere desiderat; si Sphæræ unius fixarum tam insana sit vastitas; mobilium verò omnium tam contempta exilitas. Quemadmodum, ait, in corpore humano ingens vitium, si digitus, si nasus, multis partibus superet molem totius reliqui corporis. Ut igitur hanc objectionem per occasionem diluam, tria dicam: primò multò incredibiliora provenire ex sententia antiquorum & Ptolemæi, circa motum fixarum: deinde proportionis inæstimabilem magnitudinem, exemplis alijs ex mundo desumptis stabiliam: Denique compensationem mutuam ostendam, quâ nonnulla exsurgit inæqualissimorum æqualitas.

Quæ sit motuum commensuratio apud Copernicum.

Igitur quod motum corporum mundanorum attinet, in Copernici hypothesibus globus Saturni in unâ horâ tranat 300 milliaria germanica ferè, Jovis 400, Martis 600, telluris centri 740, Veneris 800, Mercurij 1000. Pulchra proportio, ubi semper velocior, qui est Soli quiescenti, motusque omnis dispensatori propinquior. Et quia tellus non tantùm transfertur annuatim; sed etiam volvitur dietim: Unâ igitur horâ partes telluris, quæ subsunt æquatori, 240 milliaria germanica citra centrum conficiunt, reliquæ minus, ut quæque polis vicinior est. Additis igitur 240 milliaribus superficiei ad 740 centri, consurgunt mille ferè milliaria, quantum ætheris spacium urbs aliqua sub Æquatore sita, emetitur in una hora mediæ noctis: ita subtractis 240, à 720, restant 500 milliaria, iter unius horæ meridianæ, sub Æquatore, per auram ætheriam. Unde subit considerare, quia duplo celerior est

De causa frigiditatis noctium & matutini temporis.

trajectus terrarum, nocturnus diurno sub Æquatore; an hoc aliquid possit ad frigiditatem noctium, ex hac ceu quadam ventilatione, & an etiam ob hanc causam, tempori matutino major gratia; quia partes telluris, in quibus Sol jam oritur, eo momento rectà feruntur ob viam auræ ætheriæ; cùm partes, ubi Sol occidit, eo tempore quasi eripiantur ex aura ætherea. Superest nobis Luna, quæ super centro Telluris in una hora 476 milliaria conficit; quia 60 semidiametris à Tellure abest. Adde 476 ad iter centri Telluris 740, consurgit iter Lunæ plenæ 1216 milliaria per auram ætheream. Subtrahe vicissim 476 ab itinere centri, 740, relinquitur iter Lunæ novæ in una hora 264 milliaria. Habes commensuratam omnium siderum celeritatem ex Copernico. Fixæ enim pro loco sunt; & quiescunt: Sol pro Motore est, & tuetur mediam Mundi stationem immobilis; nisi quod physicis rationibus consentaneum effeci, in commentarijs de motibus stellæ Martis; corpus ipsius converti in suo spacio; ut hac convèrsione speciem immateriatam, motricem, per amplitudinem Mundi circumagitet, quam sidera errantia omnia sequantur, ut quodque propius, ita celerius.

Fixarum ἱρέμησις.

Solis Nixus.

Ne verò hic trajectus, in una hora per mille milliaria, etiamnum tibi videatur incredibilis; jubeo te considerare proportionem densitatis aeris ad densitatem ætheris, quam in Opticis demonstravi; ex qua efficitur, ut multis partibus, incredibili numero, tranquillior sit Trajectus mille milliarium in una hora per ætherem, quàm est Trajectus unius milliaris in una hora per nostrum aerem.


Motuum incredibilis pernicitas in Ptolemæo & receptâ sententiâ.

Ito nunc ad Ptolemæum, & antiquam sententiam; omnia invenies incredibiliora. In illa semidiameter Sphæræ fixarum vicies millenas Telluris semidiametros possidet: ambitus igitur erit sexagies ter millium. Modesta sanè multitudo, comparata ad Copernicanam; sed quæ omnis in uno die circumire dicitur. Debentur igitur uni horæ semidiametri 2625: quarum quælibet 860 milliaria continet. Hic vide mihi immensum discrimen; Saturnus, qui est apud Ptolemæum fixis proximus, ut eas tantùm non tangat, Copernico in una hora trajicit per 300 milliaria, Ptolemæo vicies bis centena millia quinquagies septies mille quingenta milliaria. Credendus est igitur velocior apud Ptolomæum, quàm est apud Copernicum, septies millies, quingenties vicies quinquies. Quicunque tentaverit mente comprehendere hanc incredibilem velocitatem; æquè fatigabitur, & vehementius etiam, quàm qui Copernicanam immensitatem.

tem. Interim perpende Philoſophe, multò magis hìc deſiderarì proportionem accidentis ad ſuum ſubjectum, quam jure quis apud Copernicum deſiderare poteſt proportionem Partis mundi ad partem. Nec enim accidentia ſunt ſine ſubjecto idoneo. Credibilius, màgnum eſſe ſubjectum ſine motu, quàm magnum motum in parvo ſubjecto. Itaque ſi proportionem motuum Ptolemaicam ego traduxero ad proportionem corporum Copernicanam; majori Philoſophorũ applauſu id fecero. Ptolemæus Ariſtarchi ſeu Copernici motum multiplicat ſepties & ſemis millies. Multiplicabo ego toties corpus fixarum Ptolemaicum, 20000 ſemidiametrorum, ut conſurgant quindecies centena millia ſemidiametrorum ſumpta centies, hoc eſt 1505000000; quæ in ſummas duodecies centenarum (qui eſt modulus intervalli inter Solem & Tellurem) diſtributa, conſtituunt diaſtematum ſolarium centum viginti quinque millia, hoc eſt, 125417. Atqui non indigemus tanta mole ad defendendum Copernicum; quanta antiquis opus eſt pernicitate ad defendendum Ptolemæum, quod ſic apparet. Concipiemus Mundo ſuam proportionis concinnitatem, non quam Braheus ſolitus eſt deſiderare, magnitudinis; ſed pulchritudinis & rationis. Mundi perfectio eſt motus, quæ ejus quaſi quædam vita eſt. Ad motum tria requiruntur, Motor, Mobile, Locus Motor eſt Sol: Mobilia ſunt à Mercurio uſque ad Saturnum: Locus eſt extima fixarum Sphæra. Quod ſi phyſicam rem licet enunciare mathematicè; Mobilia ſunt medium proportionale inter Motorem & Locum. Nam quietem quidem loci ſeu ambientis corporis affectant, renitentia, & quodam quaſi pondere (quid ridetis cœleſtium inexperti Philoſophraſti, rerum imaginariarum copia locupletes, verarum egentiſſimi?) ex quo ſingulis ſuæ obveniunt periodi temporum (nam quod motorem attinet, is unicus eſt, & uniformiter movet:) contrà, motum ex motore ſuſcipiunt, ita ut in Mobilibus, & Motus, & quies quodammodo miſceantur. Quod ſi Mobilia ſunt phyſicè medium proportionale inter Motorem & Locum; quid veriſimilius, mathematicè quoque, diametrum mobilium, eſſe medium proportionale inter diametrum Solis Motoris, & diametrum loci ſeu fixarum. Hoc poſito, facile eſt indagare quantitatem fixarum. Nam Solis diameter ſuperat diametrum Telluris quinquies ſemis: ſuperet ſexies plenè; quod cùm dico, diſtantiæ Solis & Terræ tribuo non 1200, ſed 1432 ſemidiametros. Eſto tamen hoc: ſim liberalis, ut omnino magnus fiat mundus. In ſequente ſchemate ſit CE ſemidiameter corporis Solis 6, qualium CK

Comparatio incredibilis in Ptolemæo pernicitatis, cum incredibili mole in Copernico.

Unde ſit deſumenda proportio Sphæræ fixarum, ad corpus Solis, eiuſq; pulchritudo.



distantia Solis & terræ est 1432. Sit Sphæra Saturni altior G B. Jam Saturnus decuplo distat ejus, quo Sol distat, nimirum C G est decupla ipsius C K. Minus quidem aliquid est, sed tamen & hic impleatur numerus. Distabit igitur Saturnus 14320 terræ semidiametris, & hæc est longitudo ipsius CG. Jam itaque sit, ut semidiameter corporis solaris CO, sex semidiametrorum terræ, ad semidiametrum orbis Saturni CG vel CB, 14320 semidiametrorum terræ; sic hæc CB ad CD semidiametrum fixarum: quod fit continuatâ CG, & super hac lineâ constituto semicirculo EBD, per signa E, B traducto, cujus centrum A: prodibit nobis pro fixis, summa semidiametrorum terræ, trecenties quadragies centena septuaginta septem millia, hoc est $340770\frac{66}{3}$, quæ summa nondum est pars quarta de illa priore, quam ad exemplum multiplicatæ in veteri sententia celeritatis assumpseramus.

Quid igitur satagunt Philosophi, eximere ex oculo Copernici festucam hanc immensitatis fixarum, cùm interim dissimulent in suo oculo, trabem ingentem, amplius quàm quater majorem, insanæ celeritatis fixarum; tantò absurdiores, quàm Copernicus; quantò difficilius est, accidens præter modulum subjecti intendere, quàm subjectum augere sine accidente. Tycho Braheus aliquid hic adjuvit sententiam veterum, retentâ de Saturni altitudine parte solummodo tertia, paulò plus; quia ponit illam semidiametrorum terræ septem millium: fixis verò largitur duplum hujus: illud quidem necessaria demonstratione, ex suppositâ propria Mundi forma: hoc verò ex probabili conjectura. At sive duæ tertiæ, sive una; utrinque adhuc pars quarta vel quinta exceditur. Et quid unica Saturni stella ad immanem fixarum multitudinem? quæ omnes apud receptas hypotheses illo

perniciſſimo

perniciſſimo motu moventur, apud Copernicum immobiles quieſcũt; ſolis ſeptem corpuſculis euntibus.

Sed fortaſſe mundus, hac à me cõmonſtrata proportione exornatus, fiet anguſtus, & tam propinquus, ut parallaxin aliquam faciant fixæ, hoc eſt, ut lineæ CK, vel CO, quâ Sol & Terra diſtant, proportio fiat ſenſibilis ad CD diſtantiam Solis & fixarum? Minimè. Nam paulò ſupra, diſtantia vicies ſemel (quæ paulò minor eſt ſedecima hujus parte, nempe trecenties quadragies) potuit facere duorum minutorum parallaxin; itaque trecenties quadragies, ſedecimum hujus paulò minus, parallaxi vindicabit, ſcilicet circiter octavam partem unius minuti. Vel artificioſiùs & breviùs ſic: Quia Sol habet minuta 30, conſpectus ex terrâ, hoc eſt, quia angulus CKI eſt 15′: & verò Saturnus decuplo altior eſt: Sol igitur ex Saturno conſpectus, habebit decimam partem de 30′ minutis, hoc eſt 3′ minuta; nempe hæc quantitas, eſt duplum anguli CGI. Sed ponitur ut IC Sol ad CG ſemidiametrum ambitus Saturni, ſic CG vel CB, ad CD ſemidiametrum fixarum: connexis itaque BD punctis, triangula BCD, & ICG erunt ſimilia; quare anguli B C D & IGC æquales. Ergo etiam hic Saturni ambitus CB, ex Sphæra fixarum ſeu puncto D conſpectus, ſpeciem exhiberet 1½′ minutorum. Ac cum C O telluris cœlum ſit decima pars diametri Saturnij C B; Ergo angulus O D C erit pars decima de angulo BDC ferè, ut ita ſemidiameter orbis annui telluris CO non plus quàm 9″, hoc eſt, ſeptimæ partis minuti unius parallaxin cauſetur. At nemo eſt Aſtronomorum, peritus obſervandi, qui ſeptimam vel octavam minuti partem obſervando aſſequi glorietur: Verbi gratia, etſi diſtantia binarum ſtellarum apud D ſignum, terræ verſanti in O, (quando D reputatur in quadrato Solis ſeu linea O C) ſeptima minuti parte minor ſit, quàm cùm D eſt in oppoſito Solis, terrâ in K verſante: Aſtronomus tamen non diſcernet has diſtantias, obſervans eas & in O quadrato, & in K oppoſito Solis; cùm ipſa fixarum corpora plerunque unum, duo, tria vel quatuor minuta corporibus occupent & ſubtendant.

Sic igitur oſtenſum eſt, nemini conſultum eſſe, ut immenſitatem Mundi objiciat Copernico, qui quamcunque ex hypotheſibus pro vera amplectitur, neque univerſam Aſtronomiam funditus everſam cupit.

Jam etiam videndum, quibuſnam exemplis immanis iſta proportio nobis miteſcat. Hic ſolitus ſum objicere Braheo proportionem animalculi, quod cuniculos ſupter cutem manus agit, ad Serpentem illum *Immanes proportiones non*

esse raras inter creaturas.

illum Plinianum CXX pedum, cujus exuuiæ Romæ asservabantur, & quo majorem & in Septentrione visum Braheus asseverabat. Proportio excurrebat ad centum millia longitudinis. Sed ludicrum exemplum est. Aliud cape. Quantulus quæso est homo ad telluris globum? Computemus. A superficie ad centrum sunt 860 milliaria, quæ duc in 5000 passus. Ergo passuum sunt 4300000. Quintuplum autem est pedum, nempe 21500000. Da hominis longitudini pedes omnino septem,& divide per hos illum numerum. Ergo si tricies semel centena hominum millia per ordinem in eandem componas longitudinem, illa pertinget à superficie terræ ad ejus centrum. Et una telluris diameter æquabit sexcentas amplius Myriadas humanę altitudinis. Hanc proportionem immensam hominis ad globum telluris fatentur omnes; at jam incredibilem dicunt proportionem Telluris ad cœlum Saturni,quæ est unius ad duodecim millia,incredibilem proportionem cœlorum mobilium ad cœlum fixarum immobile, quæ est unius ad tria millia,multò quàm illa minor. Nempe non proportionem respiciunt, sed magnitudinem,cùm ipsi parvi sint. Equidem mundus Deo magnus non est,at nos mundo exigui. Vide tamen etiam analogiam. Ubi superat magnitudo,ibi deficit perfectio, & in molis deminutionem succedit nobilitas. Amplissima sanè est Copernico Sphæra fixarum; sed iners, motu nullo. Sequitur Mundus mobilis. Hic jam quantò minor, tantò divinior, quòd motum accepit tam admirabilem, tam ordinatum. Neque tamen vegetante facultate constat locus iste; neque ratiocinatur,neque discurrit: quod agit (dum movetur,) non didicit, sed impressum sibi à principio retinet; quod non est, neque erit unquam; quod est,id à seipso non est factus; idem manet, qui conditus est. Succedit ergo pilula hæc nostra, tuguriolum nostrum, quod Tellurem dicimus, matrix vegetabilium, ipsa intus informata facultate quadam, mirabilium operum architectatrice; quæ accendit de se ipsâ tot stirpium,tot piscium,tot insectorum animulas quotidie; ut facile molem reliquam præ hac sua nobilitate contemnat. Denique vide mihi corpuscula, quæ animalia dicimus, quibus quid exilius in comparatione mundi fingi potest? At ibi jam sensus, & voluntarij motus, architectura corporum infinita. Vide mihi inter illa, pulviculos hos, quos Homines dicunt; quibus Creator hoc dedit, ut quodammodo à seipsis nascantur, seipsos vestiant, arment, doceant infinitas artes, & quotidie proficiant in melius; in quibus Dei imago; qui domini quodammodo sunt totius molis. Et quis est nostrûm, qui optet sibi corpus,

Humani corpuscula contempta proportio ad globum Telluris.

Quomodo exilitas creaturarum compensetur nobilitate.

pus, Mundi amplitudine, ut pro ea careat anima? Discamus igitur creatoris beneplacitum; qui & rudis molis, & minutorum perfectionis author est: nec tamen mole gloriatur, sed nobilitat illa, quæ minuta esse voluit.

Deniq; per hæc intervalla à Tellure ad Solem, à Sole ad Saturnum, à Saturno ad fixas, discamus paulatim conscendere ad agnoscendam divinæ potentiæ immensitatem.

Novi sideris ingens moles.

Et hæc, de objecta Copernico vastitate fixarum, tantò libentius inserui, quòd pertinuerint ad incredibilem novi sideris magnitudinem æstimandam. Nam si quatuor solùm minuta occupavit (quantus Sirius apparet) jam per hanc hypothesin Copernici totâ machinâ mobilium multò fuit major; ut cui tria solùm minuta tribuebamus supra, si quis illam à fixis respiceret. Quam quidem magnitudinem numeris exprimere supersedeo; veritus, ne jam antea nimium ista profano vulgo ad deridendum obtruserim.

De alijs argumentis, quibus Novum hoc Phænomenon inter affixa sidera stetisse probatur.

CAPUT XVII.

Immobilitas argumentum physicum loci inter fixas.

AUdisti argumentum mathematicum, audi nunc & physica duo, unum à motu, reliquum à lumine deductum. Quanquam quod à motu deducitur, pugnat etiam mathematicè. Toto tempore durationis stetit eodem loco sub fixis; schematismos, cum stellis pedis, tibię, genuq; dextri Serpentarij, cumq; Triangulo in spira Serpentis, ne minimum quidem, quod in sensus incurrat, mutavit. Non ea Cometarum natura, qui per mobilium regionem inveniuntur: nec enim ullus hactenus per multos dies immobilis est animadversus, qui tanta propinquitate esset; ut diurno tempore visum locũ sub fixis commutaret. Quotcunque tam propinqui fuère, ut parallaxin admitterent diurnam vel annuam: omnes illi præter hanc tralationem opticam, quam Parallaxin dicimus, etiam motu quodã proprio discurrere sunt deprehensi. Quare consentaneum est, illas stellas novas, quæ, ut Plinius lib. 11. cap. 25. ait, moventur errantium modo, in regione quoque errantium esse: quæ verò hærent immobiles, inter fixas stare; ut cujusque proprietatis communio, etiam locum arguat communem.


Hæc immobilitas, quæ nobis prius in hypothesi Copernicana prę-

Novum sidus etiam in receptis hypotheſibus inter fixas referri.

buit argumentum nullius parallaxeos annuæ, quam tralatio Telluris cauſaretur; eadem nunc etiam in forma Hypotheſium uſitata Ptolemæi, inque recentiſſima Brahei, quibus Tellus loco ſuo manet immobilis, viâ aliâ quàm per parallaxin annuam, planè convincit, non poſſe Novo ſideri locum infra Saturnum aſſignari. Nam quod Ptolemæum attinet, quatenus eum recepta antiquitus ſententia ſequitur; habet ille omnes orbes ſolidos, inde à Luna infima, uſque ad Saturnum extimum. Igitur ſi ſtella eſſet intra complexum cœli Saturnij, (quia per omnes tres hypotheſium formas certiſſimum eſt, ſupra Lunam collocari) eſſet igitur in aliquo orbium ſolidorum. Ac cùm non detur penetratio corporum; planè raperetur cum orbibus; quia eorum nullus eſt, qui ſtet iners & immobilis.

Idem in Brabeanis.

Quantum ad Tychonem Brahe, primùm is pugnabit dilemmate: Nam aut Sphæræ ſolidæ ſe mutuò contingunt, ut volunt Ariſtotelici, & ſic non potuit eſſe nova ſtella intra orbes Planetarum; quin eas in partes transferretur, in quas orbis ille volvebatur, qui ſtellæ præbuit hoſpitium, cùm omnes orbes moveri ponantur: aut Sphæræ ſolidæ nullæ ſunt, contactus, raptúsve nullus, ut Tychoni placet: & tunc quæret Tycho, ſi nova hæc intra regionem mobilium fuit: quâ igitur mentis agitatione corruptibile aliquod & temporaneum corpus, fixas ſtellas pedis Serpentarij, in quarum regionem & complexum non admittitur ab opponente, adeò religioſè diurno motu potuerit ſequi, ut eas ne latum unguem deſereret, toties jam circa terram revolutum. Nam Planetæ quidem à fixis diurno motu recedunt, ob proprios motus: quod idem & omnes Cometæ fecerunt, qui inter Planetas ſtetiſſe obſervati ſunt: ut ita locus Novæ non ſit inter Planetas. Deinde vult Tycho, Planetas omnes ſequi Solem, hoc pacto, ut ſi mente removeas motum Planetæ proprium, id eſt, ſi contingeret Planetam per ſeſe à peculiari ſuo curſu vacare: nihilominus tamen, Sole circumeunte, naturali quadam ſympathias lege, ceu ſimius aliquis, conſimilem planè viam viæ Solari, planeq; , quoad dimenſiones & tempora, æqualem, in aura ætherea circumeat, quilibet ſuo loco. In Schemate adjecto ſit A Terra, BCDE circuitus Solis: ſit primò Sol in B, Planeta in P, ut linea Solem Planetæ



conne-

connectens, sit B P, quæ educta sub fixas cadat in F. Dato igitur, quòd Planeta proprio motu careat, ut hæc Nova caruit: tamen lege συμπαθείας, linea B P (& in ejus extremo Planeta in P) cum ipso Sole circumit, manens ipsa sibi parallelos, & sistitur in Q C, X D, I E: itaque Planeta scribit hoc raptu extraneo, circuitum P Q X I, æqualem ipsi B C D E, apparet verò sub fixis in F K Z Y. Qui hoc statuit, quid causæ afferat, quominus idem faciat Novum sidus, quod faciunt Planetæ omnes, si eodem cum Planetis loco constitit? An Planetarū nullus adeò fortis est, qui Soli circumagenti resistat, omnes vincuntur, omnes trahuntur: solum hoc novum sidus viam didicit contrariam, vim adeptum est tantam, qua vi, quâque viâ iter illud, per quod raptabatur, contrario nisu relegeret, itaque Sole elusо, suo loco consisteret? Quàm hæc sunt incredibilia? quàm ἀναπολόγητα. Et tamen certum est, ex immobilitate sideris apparenti, aut sic translatum non esse ad imitationem motus Solis annui; aut translationem hanc in tanta altitudine, tantaq; fixarum amplitudine contigisse, ut in eâ, tota Solis orbita non duûm minutorum arcum occupare possit. Hoc verò jam repugnat hypothesibus dicti authoris; ut qui fixarum Sphæræ diametro tribuit non plus quatuordecim millibus semidiametrorum terræ ad summum. At si in Saturnia regione translatio hujusmodi sideris (à proprio motu aliàs immunis) contigisset; omnino ad duodecim graduum feciſſet motus per Y Z F K apparentiam. Finge namque verum ejus locum fuisse in 18 Sagit. lineâ ex Sole per sidus eductâ, inque hac mobili linea hæsisse immobilem: certè equidem lineâ hâc, unâ cum sidere ad motum Solis translatâ, sidus Octobri mense apparuisset in 12 Sagit. (posito quòd fixarum Sphæra statim succedat Saturno) mense Junio anni 1605, in 24 Sagit. circiter. Itaque ut immunis ab omni extranea, per Solem facta, raptatione consistere posset: omnino necesse fuit, altius à Saturno elevatum, inter ipsas fixas fuisse abditum, ut illâ tam numerosa societate suffultum, tantò facilius Soli vecturienti resistere posset. Nam Sphæra hæc, ejusque lucida corpora, apud Braheum, Solis isthoc in sese imperium non agnoscunt: Vide Progymnasm. Tychonis Brahe, fol. 406. & 437. cum seqq. Atque hæc de immobilitate.

Scintillatio & luminis puritas stellam inter fixas collocant.

Sequitur de Lumine; cujus claritas & scintillatio rapidissima, stellam hanc fixis omnino similimam fecit. Etenim tritum est ab Aristotele axioma hoc, scintillationem inter errantes & immobiles stellas, quæ in octava Sphæra hærent, distinguere. Etsi enim sua Marti scintillatio, & Mercurio, nec obscura & Veneri; nescio tamen, quo pacto

diversa est à scintillatione fixarum; lenta nimirum & magnis intervallis continuata : cùm fixarum scintillatio abruptâ & rapidissimâ reciprocatione visum confundat, aliâ aliam obruente exundatione radiorum. Quarum fixarum cùm nulla sit, quam nova hæc non superaverit, tam puritate luminis, quàm scintillarum promicatione rapidissima: nihil est cur physicus, in Aristotelis schola doctus, de loco ejus cum stellis fixis communi dubitare pergat.

De puritate luminis, coloribus, & scintillatione Novi sideris.

CAPUT XVIII.

PLacet verò locum hunc diligentius pertractare. Quid enim est quod nobis hujus novi sideris notitiâ conciliavit, nisi hoc ipsum ejus lumen, tam fulgidum, tam admirabile? Itaque magnum operę pretium; si, quod tento, causas hujus fulgoris ex naturâ penetralibus pæssim eruero.

Causæ scintillationis.

J. C. Scaliger Exotericarum exercitationum 63. causas affert ad scintillationem concurrentes quinque : Magnitúdinem, Claritatem, Motum sideris, Medium aëris, & Motum luminis in sidere. Quas causas qui diligenter examinaverit, is primam, secundam, & quartam inter adjuvantes comperiet; tertiam aut quintam pro præcipua habebit. Etenim quod prius cum Aristotele sum argumentatus ex scintillatione ad altitudinem: feci ad convicendos Aristotelicos. Rem ipsam quod attinet, nihil altitudo per se potest; nisi adsint causæ cæteræ, aut per altitudinem præstentur. Dictum est enim, ipsis etiam Planetis quodammodo convenire scintillationem; præcipuè Veneri & Mercurio; Marti obscurè admodum; cæteris minimè. Et sunt tamen hi superiores, illi tres humiles; & Venus quidem humilior ipso Marte. Igitur in ea maneo sententia, quam cap. 6. Opticorum tradidi, quam & Scaliger defendit; causam scintillationis ipsis stellarum corporibus inesse, seu luminis ea sit motus, seu corporis. Et prius de luminis motu.

I. Motus luminis.

Placet Scaligero, & ipse vehementer approbo, *naturalem esse in sideris corpore vim luminis sese spargentis non sine motu.* Rei obscurę explicatio non admodùm dilucida: declarabo exemplis, si forte sensum authoris assequar, dum meum promo. Exemplum puto satis aptum in motu cordis, arteriarumque; ut hoc quoq; cordi cum Sole, vitæ cum lumine, prę-

ter ea,

ter ea, quæ cap. 1. & 6. Optices dixi, commune sit. Non huc trahas exemplum, quasi ut cor spiritu compressione elidit, & transfundit in corpus, sic stellæ corpus quasi quadam coarctatione sui, lumen exprimat. Spiritus enim vitalis corporeum quippiam est: lumen, sinceriſſima qualitas, crassa ista impulsione non indiget. Sed tamen analogus aliquis intelligatur in stella motus, non localis, sed alterationis, secundum eam qualitatem, quâ stella lucidum est corpus. Imò verò vivũ propono hujus alterationis exemplum, in vivis carbonibus; qui ab hoc ipso motu, & quasi vigore alternante, nomen vivorum sunt adepti. Etsi hoc exemplum, si & celeritatem ei majorem affingas, Veneris scintillationi magis respondet.

Hem hoccine est philosophari, eo paupertatis redigi: ut sententiæ, ut rerũ causæ à vulgo sint mendicãdæ? Nam me Christe, nihil est aptius pro exemplo, quàm id quod omnes concipiunt, quodq; Patriciũs, altissimum sapere visus, seu censens ita, seu ex barbarica Philosophia loquens, certè imitatus est unicè; stellas pronuncians esse flammulas; nimirum id quod vulgo videntur, & cujus rei expressam gerunt similitudinem, & unde apud plerosque, præcipuè Poëtas, denominantur: quod supra & de novo nostro sidere usurpavimus.

An ergo hæc est in fixis causa scintillandi, quæ nostris faculis causa evomendi, ex interrupto, alios atq; alios radios? Nescio. Et quidem de nostra nova stella facilius hoc dixero, quia disparuit, quia subitò ingens reluxit, nullis adolescens incrementis: de fixis verò, qui æterni sunt ignes, causa est, cur non possim hoc affirmare. Nam si quæras rationem, cur nostri ignes ita fulgurent, tam in foco, quàm in cãdelis, & maximè in furnis Chymicorum, dum metalla urunt; invenies id, quod in fixis inveniri non debet, ne illas olim cũ nostris ignibus extinguamus. Pugna nempe existit circumstantis humidi aëris, aut efflati ex metallo spiritus, cum igne ficciſſimo & tenuiſſimo. Semper, qui locus igne occupatur, cùm ab igne per vim extenuetur; circumstantem aërem, gravem levi per sese incumbentem, in sese rapit; semper ignis novas à materia vires adeptus, copia subvectus, dispellit aërem. Igitur & pabulo nutritur, quantisper durat, & à circumstante medio impugnatur. Hæc verò quomodo de fixis dici poterunt? aut quod ipsis pabulum? quis aër inimicus? quæ ætas? quando ullam ab his sexies mille annis desideravimus? Itaque sint ista exempla non substantiæ, sed luminis: de fixis verò maneat sententia Scaligeri; vim inesse in corpore perenni, adde & pellucido, luminis reciprocantis, analo-

Cur scintillent flammæ nostræ.

gon deflagrationi noſtrarũ flammarum. Noſtro verò ſideri, vel idem corpus, vel eandem vim luminis tribuemus, prout poſtea videbitur.

II. Δίνησις ſideris.

Expendamus verò & alteram cauſam ſcintillationis, à motu ductam: Motu verò non translationis, quem Scaliger allegat; ſed quem in Adamante oſtendi, converſionis; quâ partium & angulorum politi pellucidiq; corporis, alia poſt aliam explicetur: Ubi prima quidem cauſa non tollitur (lucem enim ſideri nulla rotatio conciliat) ſed inſtruitur hac ſecunda, ceu quodam inſtrumento; ut & fulgura & colores varios, ipſa ſeſe quietè continens, explicare poſſit: ſi fortaſſe prius tanta motus varietas, in perennis corporis perenni facultate, non ſatis æquis Philoſophorum ſententiis excepta fuerit. Et translationis quidem motum, qui Scaligero erat in animo, nihil ad ſcintillationem poſſe, ratione patet & experimento. Nam quid officiat radijs motus diurnus; ſi is vel non eſt fixarum (de Copernici ſententia) vel fixas in tranquillo relinquit, & quaſi in capſa incluſas circumducit, de veteri receptâ ſententiâ. Nam quòd aër noſter per hunc motum à cœlo atteritur, id fit infra Lunam. Itaque ſi quid poſſet hoc ad ſcintillationem; ſcintillaret etiam Saturnus & Jupiter. Tum autem quæ conſequentia, ab attritu aëris ad ſcintillationem? Videtur de ſoleis equorum ferreis loqui, cum in lapides aut duriſſimam glaciem atteruntur. Experimenta verò teſtantur inſuper, non omnes fixas æqualiter ſcintillare; quamvis elevatione æquali ſuper horizontem, æquali etiam magnitudine. Itaque cùm diurnus motus omnibus æquè communis ſit, non eſt idoneus ad efficiendam ſcintillationem.

Motum tralationis non eſſe cauſam ſcintillationis.

At illa, quam ego dixi, ſingularum fixarum rotatio, his omnibus nominibus eſt potior. Nam & modum indicat ſcintillationis & colorum, quæ ſunt pellucidis familiares, ut in Opticis oſtendi; eumque modum ex ipſa diſpoſitione corporum ſtellarum deducit; tantò veriſimiliùs, quod & colores perpetuos illos, qui ſunt alijs ſtellis alij, in hac ipſa diſpoſitione corporis ſtellæ ineſſe neceſſe eſt, ut in Opticis probavi. Quare non metuo, ut perpetua eſſe non poſſint corpora ſtellarum, ſi anguloſa, aut ſi intus inæqualiter denſa ſunt, ut ſolent Uniones, partibus alijs aliter pellucidi. Nam & hoſtis illinc abeſt, qui vim inferat; & ſunt nobis in hac Tellure gemmæ, ſi vim auferas, æternæ; & eæ tamen partim maculoſæ, partim fiſſæ, partim nubilæ.

Fixas in ſuis ſpaciis manentes διὰ τὸ θεῖν, converti.

Tum autem ipſa per ſe rotatio fixarũ magna probilitate, magnis exemplis nititur. Sed exemplum ſolus Copernicus dederit, hãc noſtram Tellurem; quæ ut undiquaq; Solis conſpectu frui poſſit, rotatur in dies ſingulos,

ſingulos, ſeſeque quaſi aſſat ad hunc ignem. Credibile eſt igitur, & Planetas & fixas omnes, quosque in ſuis rotari ſpacijs; ne ſit aliquid in Mundo, quod centri, nobiliſſimi corporis, radijs vitalibus & lumine ſplendidiſſimo penitus privetur. Nam quod de Luna tibi forſan occurrit, eam eodem ſemper vultu terras reſpicere, dum circum eam circumagitur: illa verò hoc ipſo circumactu, cùm non Solem, ſed ſolam terram amplectatur; hac ipſa conſtantis vultus ad Terram affixione efficit, ut Sole ex omni parte menſis unius ſpacio fruatur; eminus in plenilunio, faciei parte à nobis conſpicuâ; comminus in novilunio, parte à nobis aversâ.

Quæ objici poſſunt rotationi fixarum.

Duæ mihi occurrunt objectiones, prima, quòd nihil ad fixas attinere videtur conſpectus Solis; quia dictum, totam Saturni Sphæram, apud fixas vix occupare trium minutorum angulum. Sol igitur, qui tantulam portionem obtinet de cœli Saturnij diametro; penes fixas omnino evaneſcet: minor enim quàm ſeptingenteſima pars unius minuti apparebit? Altera quòd ſcintillationes oppidò celeres ſunt: mirum igitur, ſi tam vaſta corpora, quorum aliqua ſuperant Saturni cœlum, convertuntur.

Primùm, ſi multas habent partes ejuſmodi, quales diximus ſcintillationibus & coloribus ſervire; quod quidem eum par eſt concedere (eo ipſo quòd corpora ſunt ingentia) qui de cætero cauſam hanc recipit; jam non eſt neceſſe, ut quoties una emicat ſcintillatio, toties una integra ſit abſoluta rotatio; ſed ut rota multos clavos, ſic hæc corpora multos angulos, multa fulgura, unicâ rotatione exſerere credentur. Et quid ſi omnino celeres ſint iſti rotatus, in compenſationem negatæ ipſis tralationis in ſolidum; aut ob hoc ipſum, quòd lumen Solis apud ipſas tam debile? Non enim evaneſcit Sol ipſi rerum naturæ, redactus ad ſeptingenteſimam minuti; quia fortè, & omnino quidem, noſtris oculis illic conſtitutis evaneſceret. Nec enim æquum eſt, noſtra viſus hebetudine, vim æſtimare & acumen naturæ; quemadmodum neque noſtrorum corpuſculorum contempta exilitas præjudicium creat in agnoſcenda cœlorum amplitudine. Si tam eſt potens Deus in mole, ut ſupra expendimus: quin igitur & tam acutus atque ſubtilis eſt in diſpenſando Solis lumine. Quæſo te lector, ut mihi condones, ſi minutus ſum, argumentando de re, ad quam ſupra vidiſti nos homines, noſtrumque globum, globique cœlum, adeoque & illius cœli decuplum, eſſe planè minutiſſimum. Maneat autem ſuo loco hæc ſcintillationis cauſa, rotatio. Videamus jam reliquas Scaligeri.

Veriſ-

III. Claritas luminis.

Veriſſimè dicit ſecundo loco, debilitatem luminis obſtare ſcintillationi, quam interpretor hebetudinem. Claritas ergo & puritas luminis à materia defecati, plurimùm ſcintillationem adjuvabit. Utique. Nam quia lumen eſt origo ſcintillarum: quo purius ergo lumen, hoc expeditior eſt ſcintillatio. Propterea Planetarum valentia quidem ſunt lumina, & evidentia, utique ob propinquitatem; ſed pinguia, plena, corpulenta, colorata multùm: atque ea minus ſcintillant: fixarum verò magis aquea, exilia, acuta, vitrea, pellucida, ſeu diluta. Atque hæc cauſa eſt, cur tam rapida fuerit in noſtrâ Novâ ſtellâ ſcintillatio. Nam nihil purius, nihil clarius, nihil amœnius eximio illo lumine eſſe aut fingi potuit.

IV. Magnitudo ſideris.

Sequitur magnitudo, quæ Scaligero primo loco ponitur. Rurſum autem nihil magnitudo poſſet, ſi lumen abeſſet. Hæc igitur efficit, ut ſtella magis ſit aſpectabilis; quare & ejus ſcintillatio. Adjuuat itaque reſpectu noſtri viſus, qui magnis validè movetur. Ecce rurſus hanc Novam, quando maxima, & flagrantiſſimam: ubi magnitudine decrevit, ſcintillationem quoque minuit.

V. Medium aëris.

Ultimo loco quartam Scaligeri pono; Medij, puta aëris, habitum alium atque alium, qui viſus noſtri reſpectu, paria facit cum magnitudine. Ventis enim perflantibus, & humente aura, qualis fuit toto menſe Octobri anni 1604. fulgidiſſima ſunt ſidera, & grandia, hoc eſt, conſpicua valde: quare etiam eorum ſcintillatio: quod in Opticis putavi contingere ob contactum oculi, ut in lacrumantibus. Non mirum igitur, quòd menſe dicto tantum præ ſe tulerit ardorem hoc ſidus: cùm eſſet per ſe magnum & clarum, plusquam reliqua omnia. Sed alia ratione pugnat hæc cauſa, quòd non hæc tantùm ſtella Nova, ſed & reliquæ omnes, quæ ſcintillant, magis id præſtant recens ortæ, aut jam occaſuræ, cùm promicant è vaporibus; quàm ubi paulò antè vel pòſt ad medium cœli appulerint. Atque hæc cauſa fuit, cur Nova in Occidente poſita, tantum repræſentaret exſultantium flammarum incendium. Ratio forte utrinque eſt eadem, non contactus oculi, ſed profundior aer, limpidus tamen & perſpicuus. Nam qua parte is fumis obnubilatur: viſui obſtat, ſtellarum conſpectum eripit, ferrugineum Soli, rubentemve & huic, & ſideribus cæteris colorem inducit. Solent etiam ſidera, utplurimũ ab exortu, colores projicere Iridis: credo quia lumen objectu aqueæ materiæ (quæ quantum denſitatis, tantum habet tenebrarum) diluitur. Tunc radijs per humores ingreſſis, quæcunque cauſa ipſis ineſt ſideribus, lumen coloribus imbuens; ejus effectus tantò evi-

tò evidentius repræsentatur; quod ipsi per se humores, seu media densa pellucida, refractione adjuvante, colores eosdem Iridis procreant, ut videre est in Prismatibus Crystallinis. Vide de his Optica mea passim; præcipuè Cap. 1. Ut autem concludam hunc locum; etsi verum est, & clarissimam, purissimamque fuisse stellam, & majorem omnibus, & ut plurimùm in Occasu circa horizontem conspectam, humidissimo aëre: nihil tamen potuissent omnes hæ causæ conjunctæ; nisi lumen ipsum in corpore stellæ, motu, vel facultatis internæ, vel corporis ipsius creberrimo, causas scintillationis & colorum invenisset.

De Materia Novi sideris.

CAPUT XIX.

OMnis de materia stellæ disputatio ab ijs dependet, quæ hactenus diximus. Cùm enim in cœlo nemo præsens affuerit: certè quidquid hîc oculis non consequimur, ad quos lumina stellarum quadam speciei propagatione delabuntur; id frustra nitimur indagare. Constat igitur ex disputatione de lumine, deque scintillatione, duorum alterum fuisse; aut flammam, aut corpus, suâ constans materiâ. Si corpus fuit, aut igitur motum illum palpitantem intra sese tenuit, ex cujus paroxysmis illa scintillatio emicuit; aut ipsum per se pellucidum, convolutione rapidissima rotatum fuit. Neutrobique res citra vitæ cujusdam imaginem, citraque ministerium informantis, moventis vel vegetantis facultatis peragitur. Equidem faveo sententiæ primæ, flammam fuisse; quia ut flamma, consumpta est, quasi deficiente alimento. Tunc enim necesse non fuerit ad scintillationem demonstrandam assumere vitam; nisi illam, quæ est flammæ, quæ carbonum. At illud explicare non possum, cur circumcirca sparserit radios? cùm nostrates flammæ à certa & fixa radice succrescant in altum; nec verisimile, eandem illic esse pugnam humoris cum igne, quæ hîc apud nos undulantem illum motum flammarum efficit; nisi quis fortè hanc nostri aëris humiditatem, reclamante Optica disciplina, in altissimum usque ætherem subvehere velit. Quod si circumcirca radij; nutrimentum igitur in medio, corpus igitur. In hac fluctuatione sequatur quilibet quod volet. Certum est, aut flammâ fuisse, aut

An flammeum fuerit sidus.

vitam habuisse; nisi fortè rerum earundem (luminis, colorum, scintillationis) effectrices causæ, non sunt eædem sub Luna, & inter fixas.

Cognatio cœlestium cum sublunaribus.

Quod qui objicit, is omnem inquisitionem rei nobis exprobrat. At multa sunt, quædam in Opticis etiam à me sunt allata, quæ arguunt, non tam essentiæ dissimilitudine, quàm intervallis, distincta esse illa cœlestia ab his sublunaribus. Ut Mosen taceam, qui has aquas ab illis aquis sola expansione (sic Hebraicè docti, accipiunt vocem Raquiah) separat; cùm essent in Mundi primordio confusæ. Ut Copernicum etiam mittam, qui Telluri ipsi jus civitatis in cœlo dedit.

Sideri fuisse suam materiam.

Utcunque habeat; illud in genere verum, stellam hanc, corpus & materiam suam habuisse. Nam Patriciani ignes, immateriati & viventes, quales stellas facit, pridem refrixerunt, adeoque extincti sunt. Ostendatur exemplum, ubi lumen vel seipso stans, vel ab illustratione alterius dependens, caruerit subjecto materiato, corporato. Dicet fortasse Patricius, tale lumen esse Solem? Principium petitur: de illis in cœlo, quæ sese non præbent contrectanda, disputatio est; quæro exemplum in terra. Dicet illa cœlestia non esse similia his terrestribus? Cur igitur disputat, ipse homo de Terra; in cujus mente nihil est, quod non fuerit ingressum per sensuum terrestrium portas? Imo verò illa ipsa cœlestia lumina ad nos descendunt in terras. Ostendat igitur aliquo loco lumen cœleste, speciem Solis, Lunæ, aut stellæ, ubi absit aliquod subjectum illustrabile. Nusquam inveniet, sed aut splendorem in aere, quando is valde crassus est; aut in nube, quæ jam est aquea; aut in speculo.

Imago specularis, in aere pendula.

Nam quòd in cavis speculis imagines spectantem inter & speculum consistunt: ut videtur (in aere, & quasi sine corpore) deceptio est visus, ut in Opticis explicatur; unde & ab imaginatione accepit nomen; in qua locus quidem in aere concipitur; species ipsa visa non est alibi, nisi in suo proprio subjecto ceu fonte, inque oculo spectantis, licet aversò à re; per illustrationem à speculo repercussam, ut in Opticis docetur. At nobis hic jam non est quæstio de loco, sed de corpore, quod fulgorem illum, quo de loquimur, repræsentaverit. Dicat Patricius si placet, etiam illic fuisse speculum aliquod, dummodo corpus fateatur, neque immateriatos nobis ignes obtrudat.

Planetas esse corpora non immateriata lumina.

Porrò neque automatos ignes ullos ostendere potest, citra materiam. Planetæ certè omnes, rotunditate, maculis, coloribus, incrementis ex appropinquando, parallaxibus, quibus in cognitionem venimus earum certæ altitudinis, arguùtur esse corpora, non immateriati ignes;

atque

atque horum aliqua fixæ cum Planetis habent communia. In his terris verò quis unquam vidit ignem, cui non fuerit corpus? Loquor de rebus naturalibus. Nihil enim hic moror ſpiritus, nihil lumina divina, quæ vident, qui vel arcanis fruuntur alloquijs, vel exſecrandà curioſitate, dæmonum gaudent commercijs. Nam ſi ſtella hæc tale lumen fuit: jam Patricianus aliquis, qui materiam illi tantopere negat, præſtigias ex illa fecerit, aut planè divinum lumen, inter naturalia circumſtantia infinita: id quod ego facilè concedo, ut quis, cui placuerit, credat. In præſens verò viam tento; qua id quod inter naturalia apparuit, naturalibus etiam requiſitis inſtruam. Nec aliud Patricius egit, quàm ut illos æternos cœlorum ignes, quos Naturæ partes eſſe ſcimus, immateriatos oſtenderet; quod in præſens ipſi nego. Dicat igitur aliquis ignem aut lumen mihi ſine ſubjecto. Si ullum eſt exemplum, ignes fatui ſunt; at ij circa uliginoſa loca & paludes oberrant; ut conſtet, eos uti pingui exhalatione pro ſubjecto. Trajectiones, rem ſtellis ſimilimam, probat Ariſtoteles, ſuâ conſtare materiâ; & docuit me olim experientia, cùm ingens in hac urbe ortum eſſet incendium; plures una nocte cœlo ſereno vidi trajectiones, quàm integro decennio ante-acto. Aliqua igitur ſeu pinguedo ſeu arida materia, æſtu ſubvecta in frigidum aerem, & diſtributim conſiſtens, coactaque in globulos, & ſic incenſa, ſeu mavis illuminata, tot ſpecies exhibuit ignium diſcurrentium. In ſumma nihil horum ſine materia. Concludamus igitur magna veri ſimilitudine: Materiam novo ſideri præbitam, vel pinguem, quæ frigore fuerit incenſa, ut trajectiones: vel aqueam, in qua ſeu Sol ſeu æternum lumen refulſerit. Habet utrumque probabilitatis aliquid. Nam quod trajectoriam attinet; vidi nuperrimè anno 1605. $\frac{8}{18}$ Decembris, jam ingruente, poſt teporem, juſto frigore, ſtellam cadentem, Novæ, qualis initio fulſit, ſimilimam, candidiſſimam, limpidiſſimam, flammis diſſilientem aliquoties, inſtar artificialium ignium quos Raketulos appellant, Plinius Bolides diceret. Pro aqueo verò globo faciunt colores Iridis, & ſcintillatio, quam ſententiam & in Opticis tetigi.

Lumina divina.

Ignium fatuorum materia.

Trajectionum materia.

Materia novi ſideris qualis.

An jam olim extiterit materia corpusque Novi sideris.

CAPUT XX.

HIc jam quæritur, unde stellæ in summo æthere, tanta materiæ moles, quæ sufficere potuit ad tantum incendium inflammandum? Non utique ex Terra nostra, ex qua fumi reliqui, trajectionesque; nimio enim parva est ad illam amplitudinem. Quod si quis morosius hîc obloqui contendat, aut materiam ex terra educens in ætherem, aut stellam ex æthere detrahens sub Lunam: huic ego prædico, me obduratis auribus exiturum è peripato, relicto illo clamante & insaniente. Nam assertores tam pertinaces non aliter obmutescunt, nisi prior obfirmato silentio clamores ipsorum neglexeris. Ego cum æquis agam. Primùm de magnitudine non est laborandum, si de loco constat; cui equidem non major fuit hæc stella, quàm est aliqua trajectio nostro aëri.

Plutarchus de placitis Philosophorum cap. 2. lib. 3.

Pythagoreorum quidam Cometam putant esse stellam ex earum numero, quæ non semper videantur, sed stato tempore sua revolutione exoriantur.

Idem Plinius & Aristoteles, qui hos refutat, quòd dixissent, tunc cùm non videantur; sub Solem δύνειν. At inquit ille, multi ἄνευ δύσεως ἠφανίσθησαν, loco supra horizontem conspicuo. Hanc Pericopen Plinius ridiculè transtulit, in occasura cœli parte non conspici Cometas.

Sunt autem duæ sententiæ quæ ad rem faciunt, altera eorum, qui negant novi quid in cœlo post primum illud creationis sabbathum existere: sed latere hujusmodi corpora in quodam Naturæ promptuario, inde à rerum origine, carentia lumine; nisi quando Deo visum fuerit, aliquid per illa significare: cæteri verò, non lumen tantùm, sed & corpora ipsa in cœlo existere repentina & nova: seu creentur absolutâ illâ divinæ majestatis potentiâ; qua Deus totum initio mundum est fabricatus: seu consistant aliquâ cœlestis Naturæ vi, ad eum modum, quo in hoc sublunari aëre consistunt pingues illæ, seu mavis, aridæ exhalationes; quæ conglobatæ vi frigoris, in stellas discurrentes convertuntur.

Velitatio cum Davide Fabricio.

Illam sententiam Theologi potissimùm amplectuntur; & disputat ad ejus tenorem amicus meus Fabricius, & ipse Theologus, itaque ad traditiones ἀναγτιολογήτως propensior; quod in Astrologicis, ut qui maximè, demonstrat. A quo, non indignante, sed gaudente, & applaudente,

dente, ultroque provocante, atque idem contrà faciente, ſicut creberrimis literarum permutationibus ſubinde diſſentire ſoleo; ita dabit mihi veniam, ſi ſententiam hanc ipſius, quæ ſeſe ex noſtris privatis epiſtolis in publicum proripuit, eôdem refutando perſequar. Primùm exorſus ille à Theologis, rationem eorum de requiete Dei poſt diem ſeptimum, ipſe quoque imbecillem arguit; ſecutus hactenus mearum literarum filium. Sic enim ego ipſi, Theologicam hanc interpellationem ex aliorum ſententia proponenti, reſpondebam: Metum videri non neceſſarium, ne Deum in novum ſcilicet laborem conjiciamus, ſi novi quid creet. Atqui ſi vel à principio conſiſtant iſta corpora: novum tamen & hoc fatendum; quòd quę olim lumine carebant, jam illuminentur: quam actionem, qui Deo tranſcribit; creatorem per eam conſtituit novi alicujus. Quid enim? Nunquid ſex diebus creavit Deus cœlum & terram? Quid igitur die primo? Dixit Deus, inquit divinus Propheta, Fiat lux: atq; hujus inſtitutione finivit Deus diem primum. Itaq; lucem producere, creare eſt. Niſi forte lucem non novam intus in ſtella creavit, ſed impedimentum & umbraculum externum removit? Quaſi verò hoc Deo levius fortaſſe fuerit, quàm creare novũ aliquid; aut quaſi hoc non pertineat ad creationem? Nam quid rurſum die ſecũdo creavit Deus? quid aliud, niſi quòd facto firmamento ſeparavit aquas ab aquis? Itaque inter ſecundæ diei opera fuerunt & iſta, conjuncta ſeparare, obſtantia removere. Tum autem pollicetur Deus ipſe, creare novũ cœlum & novam terram. Atq; hoc inter præcipuos Chriſtianæ religionis articulos relatum, credunt omnes Orthodoxi. Adde, quòd ijdem illi Theologi, qui Deo poteſtatem in cœlo creandi novi ſideris abrogârunt: agnoſcunt quotidianam ejuſdem ἐνέργειαν in creandis novis animabus. Hoc ego ijs objecerã, quibus cùm erat mihi res. At Fabricius, idem objiciens, enervat: litẽ de animabus, in ſuſpenſo relinquens; quod neceſſe non erat, agenti cum certo adverſario. Et hactenus de re ipſa inter nos conſenſus. Statim hinc digreſſus, ſententiã hactenus oppugnatã ſuſcipit moderandam: Noviter quidẽ lucere iſta ſidera; corporibus nova non eſſe. Primùm aſtronomicã putat opinionem, corpora ſiderum horum de novo exiſtere. Negaveram in literis, Aſtronomicum eſſe dogma, qui primùm atq; à lumine deſerũtur, nihil habẽt amplius, quod vel ſtatuãt vel refutent. Incenſam eſſe ſubitò ſtellã hãc, indeq; paulatim extinctã; hoc Aſtronomi viſu indice confirmant: utrum aũt corpora fuerint ante lucem ſuſceptam; id Fabricio Theologo, cæterisq; Phyſicis relinquunt expendendum. Ego pridem hanc Phyſicam ex Aſtronomia ingreſſus

diſquiſitionem; quatuor Fabricij rationes, quibus corpus ſideris probare vult ſemper extitiſſe, expendam. Primò Lunam ait ſæpè extingui, retento corpore: Hoc idem ergo, & de inſolitis ſtellis credibile. Nego tibi Fabrici, veriſimilitudinem ab hoc exemplo ſequi; poſſibilitas rei ſolummodo ſequitur, ſi aliunde conjecturæ ſuppetant, quæ rem ipſam ſuadeant. Non igitur argumentum affers, ſed ſcrupulum tollis, ſi quæ fortè argumenta ſequantur: ſin minus, ne ſcrupulus quidem erit; neminem enim ſcrupulus urget, niſi calceatum. Alterum argumentum ducit à motu Cometarum: in quo nobilitatis aliquid invenit, ſimile Planetis perennibus, ut eſt ſtatio, retroceſſus, intentio & remiſſio motûs. Itaque putat, & corpora Cometarum, propter hanc divinitatem eſſe perennia, nec cum fulgore ſuo extincto ſtatim annihilari. Quod ſi Cometæ tales; pronum igitur credere, & nova ſidera eſſe talia. Umbrâ nos feris ô Fabrici, ut in ſententiam tuam ire cogas, pavida pecora. Nam quid motui Cometarum, cum immobilitate hujus Novæ fixæ? Si ex motu Cometarum divinitatem, ex hac perennitatem aſtruis: Noſtro igitur ſideri motum adimens, divinitatem etiam & unâ perpetuitatem, quam aſtruere volueras, eripuiſti. Deinde quos tu retroceſſus admiraris in Planetis, quasque ſtationes, & quas motuum inæqualitates: eæ hactenus torſerant phyſicos jure meritò, ut res trajectionibus noſtris ſublunaribus familiares; divinis illis & perennibus corporibus Planetarum parum aptæ. Itaque inventi ſunt Copernicus, ex vetuſtiſſimo Ariſtarcho novus, & Tycho Brahe: qui turbulenta iſta è cœlo tentarent tollere: quod feliciſſimè quidem ſucceſſit. Itaque per Planetas quidem nobis eſt integrum Cometas tuos ſub Lunam detrudere, & mutationi ſubjicere, eodem argumento, quo tu eadem niteris æternitati conſecrare: niſi etiam ab his eadem dexteritate, phantaſias iſtas ſtationum & retrogradationum abſtuleris, eumque motum, qui ſuperfuerit ipſis Cometis per ſeſe, enucleatus ab hac apparentia, penitus circularem deprehenderis.

At liberabo te labore. Tentavi rem ipſe quoque, ut vides me in Opticis profeſſum. Itaque remoto illo motu, qui Cometis conciliabatur, ob Tychonis & Copernici orbem annuum, relinquebatur non circularis; ſed omnino rectus ut plurimum, & trajectionum ſimilimus motus. Niſi quod idem per plura media fieri poteſt: unde Braheus & Mæſtlinus in Cometa anni 1577. etiam circulos, diverſiſſima quidem ratione, excogitarunt. Atq; ego, niſi alia haberem argumenta, quibus Cometis cœlum aſſigno; per hoc tuum argumentum illos facile ſub

Luna

Luna diversari paterer. Hæc itaque secunda verisimilitudo tibi recidit in contrarium.

Tertiam Fabricius indicat conjecturam, quòd hiatus successerit in locum Novi sideris, quod effulserat anno 1572. extinctumque est anno 1574: Braheo teste fol. 795. progymnasmatum. Hunc hiatum Fabricius putat ipsum stellæ corpus, spoliatum lumine. Si hoc credidit Fabricius, hiatum illum esse corpus stellæ: justam fateor habuisse causam, condendi novi dogmatis, per se quidem informis. Quis enim oculis obloquatur? At spero me Fabricio, ingenioso homini, erepturum istam persuasionem. Primùm addit ipse quantitatem loci, æqualem Lunæ semiplenæ. Stella verò ejus anni cum omni radiorum explicatione (quæ solet procurrere ad sensum ultra terminos corporum) fuit minor Venere. Ut nihil jam dicam, quod si stellæ corpus videtur; per lumen igitur videatur; stella igitur nondum extincta sit: neque illud vehementer urgeo, quòd videatur Deus non benè consuluisse thesauro illi suo, quem latere voluit ad usque aliam occasionem; cùm Fabricius, cùm Braheus, eodem etiamnum potiantur, quasi non extincto. Illud diligenter considerare jubeo, omnem in via lactea lacunam, hiatum videri; etsi nulla unquam ibi stella fulserit. Nam hoc ex Aristotelis meteoris habent physici cognitum, si locum obscurum & luce carentem, limbus lucidus aut albus undiq; circumeat: videri foveam in medio, quod Græci Chasma dicunt. Itaque ingenti cum applausu exceptus est Braheus, cùm hunc hiatum applicasset ad confirmandam suam sententiam, ejus anni stellam ex materia viæ lacteæ, quanta per hunc hiatum erat dispersa, fuisse coactum; consumptaque & quasi exusta stellæ materiâ, relictum esse locum à lacte vacuum. Quæ Braheanæ sententiæ verisimilitudo sic certat cum Fabricianâ, ut ei convellendæ non alijs argumentis opus sit.

Quartam conjecturam Fabricius à loco deducit; inter fixas consistere: igitur ut fixæ, sic has quoque stellas, videri perennes. Cur non etiam ad luminis perennitatem detorsit argumentum? Itaque si, quod est stellis maxime proprium, Lucere; hoc quibusdam de Novo contingit, ut luceant, quæ prius non luxerant; quid mirum, si etiam inter fixas aliquæ esse incipiunt, quæ prius non erant, & cum lumine, ipsa etiam corpora, peractâ periodo, deperdant?

Satis opinor patere, causam nullam idoneam esse, cur quis existimet, novas istas stellas prius extitisse, quàm viderentur; & postquam extinctę sunt, reservari superstites, ad novam illuminationem.

An

An motu recepta sit hæc stella in profundum ætheris, & an fixarum Sphæra in infinitum procurrat?

CAPUT XXI.

SED est alia philosophantium secta, eorum, qui (ut Aristoteles de Pythagoreorum sententia, à Copernico repetitâ, immeritò quidem pronunciat) non initium ratiocinationis ex sensibus deducunt, neque causas rerum ad experimenta accommodant: sed qui ex abrupto, & quasi quodam Enthusiasmo, concipiunt & depingunt intra sui cerebri parietes, aliquam de Mundi constitutione opinionem: eamque ubi mordicus fuerint amplexi; jam porrò ea quæ sub experientiam cadunt, quæque quotidie eueniunt & apparent, crinibus pertracta ad axiomata sua accommodant. Iis placet, novum hoc sidus, & si qua alia fuerunt hujusmodi, ex penitissimo Naturæ sinu, quem in infinitam altitudinem exporrigi affirmant, paulatim descendisse; donec ratione Optica in tanta quantitate apparens, oculos hominum in se converteret; indeque vestigijs retrò lectis, rursum in illam infinitam altitudinem subductam, tantò quotidiè minorem, quantò pervaserat altiùs. Qui hoc affirmant, pars naturæ cœlorum consulentes, lege circulari hoc factum esse pronunciant: ut ita causa sit, cur ex descensu, nexus, & quodammodo prognatus fuerit contrarius ascensus. Id enim quomodo fiat, in rotis est obvium. At uno verbo repelluntur: indulgent nempe suo vitio, clausis oculis, ut verba, sic sententias quoque, ab intus proferentes, nunquam intrò receptas, sed ibi natas. Etenim si propter circuli convexitatem, stella descensu peracto, cœpit rursum ascendere, manente eodem circuli motu: ergo cùm esset humilima; debuit sub fixis transferri de loco in locum, verbi gratiâ, à dextris circuli partibus, quibus demittebatur; ad sinistras, quibus rursum elevabatur. Dictum verò est, non duo minuta, quod minimum aliquid est, fuisse loco motam; nec potuisse visum testari de minori aliquo spaciolo. Sed ajunt, circulum illum, in quo descenderit stella, adeò fuisse à nobis remotum, ut ejus diameter nullam haberet proportionem ad visus humanos? O rem stultam, stella ipsa suâ diametro occupavit aliquot minuta. Igitur circulus, quo vectabatur sidus, minor fuerit ipso sidere: quomodo

In schemate fol. 90. ab I X *ad* QP, *& ab* Y *loco apparenti sub fixis ad* K.

mòdo igitur hanc illi apparentiam magnitudinis ex appropinquando præstare potuit? Adde quòd non, ut paulatim visa est minui, sic paulatim & incrementa sumpsit, sed subitò effulsit maxima.

Fuerunt itaque qui ante hos triginta annos ista sobriè magis exponerent: stellam anni 1572, in rectâ, à centro sursum in ætherem porrecta, motum suum peregisse. Ij verò & causam dicant, cur subitò per immane illud spacium demissa (quia subitò effulsit), inde non subitò, sed paulatim revolaverit, & quę causa conversi cursus. Naturalium enim rerum hæc proprietas non est. Si verò supernaturalem dicunt causam fuisse; an non æquè facilè ego affirmare possum, à Deo creatam ex nihilo, ac ipsi dicunt, ab eodem demissam ex alto; cùm utrumque ejusdem potentiæ sit opus. Verùm & aliàs sæpe, & nunc iterum abrumpo disputationem, quoties ad absolutam Dei potentiam provocant. Certum enim, nihil nos ad rem dicere posse, quod quicquam in ullam partem habeat momenti, si naturæ terminos excesserimus. Hoc potius illis dicamus, illâ fixarum infinitate seipsos, ceu labyrinthis inexplicabilibus induere.

Adeoque eripiamus illis, si potest fieri, hanc immensitatem: tunc enim ascensus ille per se cadet. Reducitur illa ex antiquis gentilium Philosophorum scholis, hoc præcipuè argumento; quod Aristoteles ex motu finitum mundum demonstraverit: Copernicus verò fixarum Sphæram, adempto motu, infinitam esse patiatur. *Fixarum Sphæram non esse infimtæ altitudinis, aut crassitiei.*

Itaque defendit illam infelix ille Jordanus Prunus: nec obscurè asseruit, specie dubitantis, & Gulielmus Gilbertus, libro de Magnete, cætera præclarissimo, Religiosum tamen affectum eo demonstravit, quòd existimaret non aliâ re rectius intelligi infinitam Dei potentiam; quàm si infinitum mole conderet mundum. Sed Prunus ita infinitum facit mundum, ut quot sunt stellæ fixæ, tot mundos, & hâc nostram regionem mobilium, unum ex innumerabilibus mũdis faciat, nulla ferè notâ à cæteris circumpositis distinctam: adeoq; si quis in stellaCanis esset (puto unus exCynocephalis Luciani); ei faciem eãdem mũdi inde esse apparituram, quæ nobis hinc apparet, ex nostro mundo fixas suspectantibus. Itaq; secundùm illos, hoc novum sidus, novus aliquis mundus fuerit. Quæ sola cogitatio, nescio quid horroris occulti prę se fert; dum errare sese quis deprehendit in hoc immenso; cujus termini, cujus medium, ideoque & certa loca, negantur. Et præstiterit fortasse, Mosis authoritatem obtendere, finitas nobis aquas exhibentis, ijsq; supervectum Spiritum Domini: tum die secundo distinctas aquas ab aquis.

Sed quia secta hæc abutitur authoritate Copernicanæ, adeoq; universæ Astronomiæ; quod Copernicus fixas immobiles, omnis verò Astronomia, ac præcipuè Copernicana, incredibiliter altas præstet: Age petamus etiam ab ipsa Astronomia remedium: Ut, cujus indulgentiâ proritata isthæc philosophantium insania, ruptis locis & repagulis, sese in hanc immensitatem extulit: ejusdem etiam artibus & blandientibus poppysmis revertatur intra Mundi metas, atque carceres suos. Certè equidem vaganti per illud infinitum benè non est.

Ajo primùm, ex Astronomia doceri posse certissimè, fixarum regionem deorsum evidenti limite terminatam: neq; verum esse, quod ponunt, nihil differre aspectu mundum hunc inferiorem, suo cum Sole, à qualibet stellarum fixarum, hoc est regionem à regione, sive loco.

Nam, esto inter principia, extendantur fixæ in infinitum forâs; verum tamen est, in hoc intimo sinu, cavitatem esse insignem, distinctamque ab intervallis, quæ sunt inter fixas stellas, immani proportionis dissimilitudine: sic, ut si cui hanc solam cavitatem contingeret inspicere, ignoranti etiam de octo corpusculis, circa hujus spacij centrum, angustissimo quidem intervallo, circumvolantibus, quæ, qualia, quotve sint: tamen is ex sola hac vacuitate, comparatâ cum circumambeunte sphærica regione, stellis refertissimâ, omnino esset concluSurus, peculiarem aliquem locum hîc esse; àdeoque præcipuum mundi sinum. Etenim sumamus, exempli causâ, tres stellas secundæ magnitudinis in cingulo Orionis, quarum quælibet à vicina distat per minuta 81/, cùm ipsa habeat in diametro minuta minimum duo. Itaque si ponantur in eadem superficie sphærica, cujus nos sumus centrum: oculus in una illarum collocatus, videbit alteram, sub quantitate anguli graduum $2\frac{3}{4}$ ferè; quantum nobis in terra non occupaverint quinque Soles, ordine positi, seque tangentes invicem. Atqui nondum sunt hæ omnium viciniſſimæ invicem fixæ. Innumerabiles enim interspersæ sunt minores. Itaque si quis esset in illo Orionis cingulo constitutus, habens Solem nostrum, & mundi centrum, super suum verticem: videret ille primò perpetuum quoddam quasi mare ingentium stellarum, sese mutuò contingentium ad visum: inde, quo magis oculos levaret sursum, hoc minores videret stellas, hocque minus sese contingentes; sed jam paulatim magis atque magis sparsas; circa ipsum verò suum verticem, easdem nobiscum videret; sed duplo minores, tantoque invicem propiores, quàm nos illas videmus. Non ea penes nos cœli facies; qui stellas undique cernimus, variæ quidem magnitudinis;

at &

at & hoc undique æqualiter ut plurimum : circa Orionem quidem & Geminos, multas, magnas & confertas intuemur : Oculum Tauri, Capellam, Capita Geminorum, Canes, Humeros, cingulum & pedem Orionis. At in oppoſita cœli parte ſunt æquè magnæ : Lyra, Aquila, Cor & frons Scorpij, Ophiuchus, Libræ lances ; & anteriùs Arturus, Spica virginis; item poſteriùs, Ultima Aquarij & ſimiles.

Hoc ego thema cùm olim quibuſdam propoſuiſſem ; qui, ut me exerceret, infinitatis cauſam, ex ante dictis authoribus ſuſceptam, adverſum me propugnabant acriter: ij putabant, ſibi facile eſſe, conceſſa infinitate, tam longè binas fixas ab invicem ſeparare, quas nos in terra proximas æſtimamus; quàm longè nos à fixis abeſſe certi ſumus. At hoc impoſſibile eſt. Eſto enim ut binas fixas æqualiter à centro mobilis mundi diſtantes, pro lubitu poſſis attollere: fiet ſanè, quod dicunt, ut illæ ab inuicem tam longè digrediantur, quàm longè jam ab utrâque abeſt centrum mobilium. At meminerint, ſi fixas attollunt; augeri unâ hoc vacuum, quod eſt in medio & circulari fixarum complexu. Ipſi verò incogitanter ponebant, manere nobis hoc vacuum, fixis aſcendentibus. Quid ſi verò, inquiunt, ex aſſumptis binis ſtellis Cinguli Orionis, alterâ quidem manente in eâ Sphærâ, quâ inferiorem ſtellam non admittit doctrina parallaxeon : reliqua dicatur infinitis intervallis altior? Numquid hoc pacto efficiemus, ut æquè parvæ appareant altera ex alterâ conſpecta, atque penes nos jam utraque apparet? utque inveniantur intervalla inter utramque, ſtellis vacua; æqualia his intervallis inter nos & utramque?

Fortaſſis, inquam, res hoc pacto adjuvari poſſet; ſi duæ ſolæ aut paucæ ſtellæ eſſent, ſi non in orbem circumjectæ & diſſeminatæ. Equidem aut alternis hujuſmodi ſtellas attolles & relinques; aut univerſas. Si alternis, non eſt ſublata quæſtio; etſi parumper imminuta. Quæ enim propinquæ manſerunt, de ijs manet etiamnum eadem affirmatio; propiores invicem eſſe binas, comparatione inſtituta diſtantiarum ad diametros, adque diſtantiam earum à Sole. Quæ verò ſunt altius ſublatæ : diſtabunt quidem longiùs; ſed in magna nihilominus proportione erunt. Atque hoc ego quidem citra cauſæ detrimentum facile conceſſerim : affixa omnia eàdem eſſe magnitudine; quorum quæ magna nobis apparent, propinqua ſint nobis; quæ parva, tantò remotiora: *Non quod clara minus, ſed quod magis alta recedant* : ut canit Manilius.

Vtrùm omnes fixæ ſint æquali corpore, & inæqualibus intervallis

Conceſſerim inquam, non affirmaverim. Nam æquè facilè credi poſſunt, ut claritate, ut coloribus; ſic etiá magnitudine revera differre.

lis abſint, an æqualibus ſpatiis à nobis ab ſentes, diametros obtineant inæquales?

Ac fortè utrumque verum eſt; ad exemplum Planetarum, quorum alij alijs revera majores; alij etiam apparent majores; etſi per ſeſe minores; quia ſcilicet nobis ſunt propiores.

Sed pergamus ad alterum membrum, dicentes quid obtineatur, ſi omnes ad unum ſtellæ ab invicem, ſuo quælibet diaſtemate divellantur: ſic, ut quæ nobis proxima, retineat hanc propinquitatem, quam modo Aſtronomia metam figit univerſis, nullam propius admittens: ab eâ reliquæ omnes attollantur, quælibet vicina, tantò altius, quanta eſt humilimæ à nobis diſtantia. Nihil ne ſic quidem efficitur. Nunquam res eò redigitur, ut ſimilia ijs, quæ nobis apparent, appareant etiam his, qui in illis ſtellis, verbi causâ, obſervare finguntur: ex quo colligitur, hunc locum, in quo nos ſumus, ſemper peculiare quid, omnibusque per totam infinitatem illam incommunicabile obtinere. Nam ſi ſic res habeat, uti dictum; certè ut quælibet duplo, triplo, centuplo altior, ita duplo, triplo centuplo erit & major. Quippe quantumcunque dicas elevatam; nunquam efficies, ut non videatur habere à nobis duûm minutorum diametrum. Semper igitur diameter diſtantiæ à nobis erit pars bis milleſima, aut milleſima, aut tale quippiam: diſtantiæ verò duarum fixarum à ſe mutuò (utpote multis partibus minoris, quàm eſt earum à nobis diſtantia) erit iſta diameter pars multò major. Etſi igitur ex unâ ſtellâ nobis proximâ, eadem penè facies cœli apparebit, quę penes nos: at ex cæteris, quo quælibet eſt remotior; hoc magis ex ea variabitur aſpectus mundi. Manentibus quippe intervallis binarum ſtellarum (quæ nobis videntur viciniſſimæ) augebitur proportio aſpectus. Itaq; quo magis quis ſtellas in infinitam ſubvehit altitudinem; hoc monſtroſiores illic fingit moles; quales ex hoc noſtro mundi loco non cernuntur. Sic etiam dicendum de ſpacio, quod hujuſmodi peregrinator aliquis ſemper unâ auget, quoties ſtellas, ex una ordine omnes, poſteriorem quamque altiùs evehit. Diceres illum ædiculam Limaci extruere, quo magis extrorſum continuatur, hoc magis hiantem. Deorſum enim ſtellã à ſtella diſtrahere non poteſt, quod non fert doctrina parallaxium, quæ certam appropinquationis metam fixit: in latus non poteſt illas diſtrahere; quia jam poſſident ſua dimenſa loca, viſu indice: relinquitur igitur, ut ſurſum diſtrahat ſtellas; atque ſic unâ auget hoc nobis circumjectum ſpacium; in quo ſtellas planè nullas invenit, præterquam hos octo globulos, in ipſiſſimo & peniſſimo vacuitatis hujus centro.

Ex dictis patet, quantumcunque quis mundum aſſumat; eam tamen

men esse rationem dispositionis fixarum, visu nostro indice: ut hic noster locus inter fixas illas peculiare, quid obtineat, evidentique notâ (quæ est, à stellis fixis ampla vacuitas) sit à loco, per quem illæ dissem-inatæ sunt, distinctus. *Mundus habet certum aliquod medium.*

Est igitur certum, introrsum versus Solem & Planetas finitum esse mundum, & quodammodo excavatum. Quod reliquum est, Metaphysica superstruat. Nam si talis est locus in infinito aliquo, quod ferût, corpore: medius igitur erit totius corporis; & quæ circumstant fixæ, non habebunt eandem rationem; sic ut passim tales sint mundi, qualis est hic noster; sed circumdabunt illæ hunc locum; in formâ sphæricâ, in sese coëuntes: Maximè & manifestissimè via lactea inter ipsas consita; quæ, non interrupto circulo, medium fixarum orbem permeat, medio nos complexu tenens. Itaque & hæc & fixæ, rationem extremitatis habent. Terminât enim hoc nostrum spacium, & in ejus exortu vicissim terminantur. An igitur credibile sit, illas hinc terminatas, inde procurrere in infinitum? Quomodo autem in infinito medium inveniatur, quod est in infinito ubique. Quodcunque enim infiniti punctum susceptum, ab extremis, quæ infinitè distant, æqualiter, hoc est, infinitè abest. Unde efficietur, ut idem & sit medium, & non sit medium; & multa alia contradictoria; quæ rectissimè quis evitaverit, si, ut intus terminatum invenit cœlum fixarum, sic foris etiam terminet. *Via lactea index finitæ Sphæræ fixarum.*

Cape verò & hoc argumentum ab aspectu ductum. Si est infinita Sphæræ fixarum altitudo, id est, si fixæ aliquæ sunt infinitè altæ, erunt ipsæ in seipsis infinitâ etiam mole corporum. Finge namque stellam aliquam, quæ videtur certo sub angulo, puta minutorum quatuor; hujusmodi corporis amplitudo semper est millesima distantiæ, quod certissimum est, ex Geometria. Ergo si distantia est infinita; diameter igitur stellæ, est infiniti pars millesima. At omnes infiniti partes aliquotæ, infinitæ & ipsæ sunt necessariò. Stella igitur hujusmodi erit infinita. At simul & finita, quia figurata: & omnis figura finibus quibusdam est circumscripta, hoc est finita vel finiens. Figuram autem ei dedimus, dum visibilem posuimus, certo angulo. At quid si, inquias, minor sit, quàm ut videri possit? Inquam, res eodem redit. Partem enim aliquotam circumferentiæ occupet necesse est, per se traductæ. At circumferentia, cujus est infinita diametros, infinita & ipsa est. Ita consequitur nullam stellam, seu videatur, seu ob exilitatem evanescat, à nobis infinito intervallo abesse.

Esto ut locum sine stellis in infinitum extendas; certè vbicunque in eo stellam posueris; eôusque & finitum est intervallum, & per stellam, finita circumferentia: ut oppositum dicat in adjecto, qui fixarum Sphæram infinitam dicit. Sanè ne cogitatione quidem comprehendi potest infinitum corpus. Nam conceptus mentis de infinito, aut sunt de vocis Infiniti significatione; aut de eo, quod mensuram omnem cogitatam numeri, tactus, visusve excedit: quòd non statim & actu infinitum est; quia infinita mensura cogitatur nunquam.

Materiam Novi sideris fuisse cœlestem, & de Ortu ejus.

CAPUT XXII.

REjectâ igitur eorum sententia, qui perennem faciebant sideris Materiam & Corpus: sequitur, ut etiam contrariam expendam Itaque si de Novo extitit vel materia hujus flammæ, vel corpus hujus stellæ; aut oportet creatum esse divinitus, aut aliqua naturæ vi prognatum. Priusquam autem ad creationem, hoc est ad finem omnis disputationis, veniamus: tentanda omnia existimo. Quod equidem tantò facio lubentiùs; quod videam, intra annos triginta hanc jam quartam, aut certè tertiam esse novam stellam: quodque Plinius etiam inter nova sidera, quæ comata sunt, ut plurimum, unum etiam genus faciat immobilium: unde conjicias, & olim fixarum regionem hujusmodi sidera protulisse. Nec nullæ suspiciones ex historijs superioris ævi. Vide Progymnasm: Tychonis. Quod si genita naturæ vi; quæritur & de certo efficiente, seu progenitore, & de materia. Ut verò de materiâ prius agam, & pertractam hactenus disputationem finiam: supra dixi, materiam ex terra non fuisse. Ex cœlo igitur fuit desumpta materia; siquidem aliquo pacto stellæ generatio (etsi monstrosa, ut anguillæ genitura in alvo humano) potest naturæ viribus transcribi. Nam citra materiam natura nihil procreat. Et quidem, si Cometæ in cœlo sunt; si, quod exemplis demonstrari potest, ex profundissimo æthere, tellurem versus feruntur, & aliquando proximè hanc motu recto prætereunt; si novæ inter ipsas fixas oriuntur stellæ: quid prohibet affirmare, illas ex ætheria constare essentiâ?

Hic jam supra mentio facta est pulcherrimæ sententiæ, quam Braheus dixit: stellas hujusmodi procreari ex via lactea. Et visus est confirmare

firmare rem ſenſu oculorum; oſtensâ lacunâ, eo loco, quo ſidus anni 1572. effulſit; quaſi portio illa materiæ in corpus ſideris coacta fuerit; quæ poſtmodùm fortaſſe conflagraverit, aut diſſipata fuerit. Cui experimento accedit & noſtra hæc nova ſtella; cujus exortus rurſum in confinium viæ lacteæ cecidit. Quæ verò anno 1600 in cygno effulſit (qua de in appendice); planè in ipſo pleno lacte fulget etiamnum. Et poſſis hue trahere traditionem Ariſtotelis & Plinij, qui Cometas ut plurimum ajunt ſub lacteâ exiſtere; ſi certum eſſet, loqui illos etiam de fixis novis. Ut verò fidem faciam noſtræ Novæ, de vicinia viæ lacteæ; age ex Ptolemæo excerpamus deſcriptionem ejus loci, planè curioſiſſimam, & ut ipſe Ptolemæus ait, περιεργολάβῃ παρατηρήσῃ factam. Quod quidem tantò magis neceſſarium; quia locus ille, in noſtro climate, horizonti adeò vicinus eſt, ut candorem viæ lacteæ ob vapores non facilè diſcernas viſu.

Sidus fulſit in confinio viæ lacteæ.

Via lactea, inquit, *apparet aliquatenus duplex, initio facto à Thuribulo, uſque ad Gallinam. Et pars hujus Zonæ præcedens nequaquam connexa eſt alteri. Defectus enim facit juxta commiſſuras, quæ ſunt apud Thuribulum & Gallinam* (ſeu Cycnum.) Poſtea partem ſequentem, quæ hodie apud puncti Tropici confinia zodiacum tranſit, traducit à Thuribulo, per ſidus Scorpij, per Antinoum, Aquilam & Sagittam, ad Gallinam. Et deſcripto toto Zonæ ambitu, ſubnectit; *Zona verò, quà de prius, interruptione, ut dixi, factâ apud comprehenſam ſtellam in Thuribulo, indeq; capto initio, tres quidem nodos à corpore Scorpionis intercipit: trium verò in corpore Scorpij, eam quæ ſequitur, excludit, margine occidentali diſtans ab ea gradum unum. Quæ verò eſt in quarto nodo Scorpij; purum obtinet aërem medium inter utramque zonam, quam proximè æquis ab utrâque ſpaciis diſtans, puta paulo plus uno gradu. Poſt hæc autem hæc præcedens zona flexu quodam in Orientem excurrit, in formam ſegmenti circularis, & latus præcedens lactis terminat ſtella, quæ eſt in dextro genu Ophiuchi: ſequens verò ea, quæ eſt in eodem poplite. Stella verò præcedens ex iis, quæ ſunt in extremo ejuſdem pedis, tangit idem latus. Rurſum procedendo, marginem occidentalem determinat ſtella, quæ ſub dextro cubito: Orientalem verò, ſtella præcedens ex ijs, quæ in extremo manus dextræ.* Et cætera. Ex quibus apparet, tendere hoc reſegmentum viæ lacteæ inter duas quaſi lineas; quarum altera à dextro genu ad dextrum cubitum, reliqua à dextro pede ad dextram manum ducitur. Aut igitur in ipſam lacteæ latitudinem incidit locus novi ſideris: aut marginem ejus ſiniſtrum & orientalem proximè attingit, vergens verſus alteram

lactis

lactis portionem; sic, ut in illo angusto limite sit comprehensus, qui inter utrumque arcum limitis lactei eo loco distinguit, ceu insula inter duos fluvij alveos. Itaque consentaneum, materiam novæ esse ex via lactea. Idque etiam naturalis contemplatio confirmat. Nam si essentia viæ lacteæ pars est densior ætheris (materiam enim aliquam tantis coruscationibus subesse necesse est) nemini non verisimile erit, aptissimam esse illam materiam novis phænomenis.

An materia novi sideris ex via lactea.

Hæc utcunque verisimilia, labefactantur tamen objectionibus duabus: Primâ, quod David Fabricius, quem in observationibus supra quoque fide dignum celebravi, animadvertit anno 1596, $\frac{3}{4}$ Augusti, (circa quem diem Cometa illius anni ultimò visus est à Mæstlino, jam propemodum stationarius effectus, in 4. gradu Virginis) matutino tempore novam stellam tertiæ magnitudinis invenit in 25. 45′ Arietis, cum latitudine Australi 15. 54′; quæ post Octobrem ejusdem anni disparuit; Ille verò locus à via lactea abfuit longissimè: Alterâ, quòd si naturalis est novorum siderum exortus (qualem quidem facit, qui ei materiam quærit ex viâ lacteâ): credibile est, quod & supra dictum, non adeò infrequentes esse. Quare post hos 1400 annos, qui ab eo tempore fuère, cùm Ptolemæus descripsit viam lacteam, videtur ei notabile quippiam decedere debuisse; tot sideribus incensis, exque ea concinnatis. Aut si nondum quidem tantus eorum cumulus fuit; olim tamen videtur cœlum, totum hoc lactis, quod habet, perditurum: quod non æquis in Philosophia judicijs excipitur.

Nova stella anni 1595.

Itaque potius in eo sum; ut credam, cœlum undiquaque aptum ad materiam hisce sideribus præbendam.

Cœli materiam esse alterabilem.

CAPUT XXIII.

NEc sum ignarus, quàm hæc opinio sit inimica Philosophiæ Aristotelicæ. Verùm ut dicam quod res est; sectæ magis, quàm principi est adversa. Da mihi redivivum Aristotelem; ita mihi succedat labor astronomicus; ut ego ipsi persuadere speraverim. Ita fieri solet, Gypso dum recens est fusa, quidlibet impresseris: eadem ubi induruit, omnem typum respuit. Sic sententiæ, dum ex ore fluunt Philosophorum, facilimè corrigi possunt: ubi receptæ fuerint à discipulis, quovis lapide magis durescunt: nec ullis rationibus facilè revelluntur.

luntur. Quare ſic ſenſit Ariſtoteles, cœlum inalterabile? Quia (inquit) à tot ſęculis nihil eſt animadverſum. Ergo ſi quis Ariſtotelem doceat, ſuccedentibus ſeculis compluſcula nova in cœlo animadverſa: libentiſſimè decedet de ſententia. At hodie diſcipuli Ariſtotelis, non ad rationem, ſed ad nudam ſententiam reſpicientes, ex dogmate philoſophi, quod is ab experientia petebat, audent obloqui experientiæ, contraque eam excipere, varijs diverticulis quæſitis. Sed re perpenſa diligentius, Ariſtoteles inductione uſus eſſe videtur. De motibus ſtellarum conſtat, leges ab ultimâ memoriâ hominum manſiſſe eaſdem: & ijdem hodie circumeunt Planetæ, qui olim fuerunt; eædemque fixarum conſtellationes: Nec de ipſo intermedio (quod oculis non eſt obvium, quia pellucidum) diverſum demonſtrari poteſt. Ergo omnia in cœlo ſunt perpetua, ipſa etiam orbium materia. Hæc inductio fallit. Leges motuum eaſdem hodieque deprehendimus, quæ eſt una ſola & decumana Aſtronomorum hypotheſis. At de medio, ſeu de Moſis Raquia, de Tentorijs cœli, diverſum non obſcurè noſtra nos docet ætas. Et docuiſſet eadem prior ætas; ſi majoribus noſtris in mentem veniſſet ad hæc attendere. Proponam verò aliquot hìc documenta: ex quibus id, quod contendo, quodammodo perſpici poſſit: ut Novæ fixæ, quas ex materia cœleſti alterabili gigno, exemplis alijs, alteratæ materiæ cœleſtis confirmentur.

Ariſtotelis argumentatio.

Inſtantia.

Primùm profero tibi ex Opticis meis fol. 259. exemplum illud caliginis prodigioſæ anni 1547: de qua referunt Gemma, pater & filius; Solem per tres dies ceu ſanguine perfuſum comparuiſſe; ut etiam ſtellę pleræque in Meridie conſpicerentur. Id factum non tantùm in Belgio; ſed paſſim per totam Galliam, Germaniam, Britanniam; referente Scaligero de emendatione temporum lib. 5: & ante illum Buntingo. Hiſtoriæ verò multa exhibent exempla; interque cætera celebratiſſimum illud, anno cædis Cæſaris penè toto; itemque & anno, quo Auguſtus deceſſit. Sed demonſtrationem extruamus ſuper noſtrum exemplum. Si cauſa obſcurati Solis in aere fuit: ergo cùm Sol ab ortu in Occaſum, utpote toto triduo, aut, ut Scaliger vult, quatriduo, pallorem hunc retinuerit: oportet igitur totum aërem ab ortu in Occaſum fuiſſe obſcurum. Si hoc; quomodo igitur ſtellæ per aërem viſæ, per quem Sol videri vix potuit? Nam non eſt ut dicas; aëre dilutum fuiſſe Solis lumen; ſic ut adempto ſplendore, lumina ſtellarum etiam ſeſe oculis inſinuare potuerint. Quando enim aër noſter adeò incraſſeſcit, ut lumen Solis per eum hebes & pallidum tranſeat, tunc quidem eâdem

I. Cauſa caliginis anno 1547 prodigioſæ, fuit cœleſtis.

operâ immenſum ſolet clareſcere, radijs Solis in ſeſe receptis, inſtar nubium, & quaqua verſum repercuſſis. Itaque aër undique ſuam claritatem oculis ingerens, eosq; totos occupans, non relinquit locum longè debilioribus ſtellarum luminibus. Quapropter certiſſimum eſt, qua parte ſtellarũ lumina videntur, ejus loci aërem minus illuſtrari à Sole, proinde tenuem eſſe, nec aptum ad hebetandum Solis lumen, diurno motu ad eum locum devoluti: itaque cauſam aliquam aliam, præter aërem, eſſe debere, quæ Solis lumen tantopere hebetet, prius quàm illud ad aërem noſtrum perveniat; quæque Solem in diurna circumvolutione comitetur.

Sed dicent fortaſſe, cauſam aliquam ſublimem quidem, at proximè ſub Luna fuiſſe: nec hinc aliquid ſequi in materiam cœli?

Primùm in Opticis eſt demonſtratum, aërem noſtrum humilem eſſe admodum (quod partim & Ariſtoteles fatetur); quod ei ſuccedit, jam eſſe ætherem. Hoc tantò minus repudiabit is, qui memoria tenuerit, à Braheo demonſtratum eſſe, quòd cœlum nullis conſtet ſolidis orbibus. Æther igitur eſt etiam ſub Luna proximè: quo loco ſi hæſit materia caliginis; hæſit igitur in æthere. Deinde quo loco exiſtimas fuiſſe materiam illam, quæ Solem quatriduo integro in pallore detinuit; ſtellas verò occultavit minimè? Nam ſi fuit proximè ſub Luna: Conſentaneum fiet, cum orbe Lunæ etiam circumire debuiſſe, raptam pernicitate motus, ut Ariſtoteles vult ignis elementum rapi. At quia Sol quatriduo integro latuit, per quod tempus Luna gradus à Sole quinquaginta fuit emenſa: non igitur hæc materia prope Lunã, ſed omnino ſupra hanc conſtitit, in ipſo ſinu, ætheris ab omnibus conceſſi. Niſi fortè dicere placeat, quinquaginta gradus longam, primò texiſſe Solem extremitate dextrâ, ultimò ſiniſtrâ: quo pacto ſtellas etiam tegere debuit, quæcunque intra 50 graduum propinquitatem, Solem circumſtabant. Atqui legimus, viſas eſſe ſtellas in meridie: quare ſtellæ prope Solem non fuêre tectæ. Materia igitur quæ Solem obduxit, tam lata non fuit, & cùm Solis loco adhæſerit per quadriduum, unde Lunæ orbis interim per 50 gradus diſceſſit: itaque prope Lunam hæc materia ſtare non potuit. In profundo igitur æthere, proximè Solem, inter hunc & Tellurem, quærenda; imò ex eo nobis oblata, pro argumento mutabilis materiæ ætheriæ, quæ ſtellis liquida circumfunditur, eſt amplectenda.

II. Materia Cometarum cœleſtis.

Secũdum argumentum generationis ætheriæ ſunto Cometæ, quos conſtat certiſſimâ parallaxium doctrinâ, per ipſum ætheris campum trajicere; ſubitóque ingentes, paulatim langueſcere; donec denique diſſipatâ

sipatâ materiâ rursum extinguuntur. Vide progymn. Tychonis tom. 2. & in opticis meis appendicem capitis 10.

Multò verò efficacius argumentum exhibent eorum Comæ, unde Cometæ; aut barbæ, unde Pogoniæ dicuntur. Constat enim certissimâ optica ratione, has seu comas, seu barbas, seu caudas, nihil aliud esse, quàm radios Solis, in corpore Cometarum tinctos aliquo veluti colore, & refractionem ibi passos, in partem à Sole aversam projectos. Docet verò eadem disciplina, non repræsentari radium Solis, nisi ab aliqua densa materia, in quam illi prius incidant. Solis quippe lumen nuspiam in aëre cernitur, quando is pellucidus & tenuis: cernitur verò in nube, quia hæc opaca & densa: cernitur & in aëre, sed incrassato, nubilo, minusque pellucido. Cùm igitur Cometarum caudæ sint nihil aliud, nisi lumen Solis: necessarium evadit, ut quàm latè sese cauda Cometæ exporrigit, tam latè sparsum sit aliquid crassioris materiæ, quàm est æther purus; idoneum nempe recipiendo illi Solis lumini, per refractionem quodammodo condensato, & in angustum coacto. *III. Ut & Comarum in Cometis.*

Nulla quidem regio mundi est, in qua hujusmodi novæ luces non existere videantur; paulò supra nostrum aërem trajectiones, quantò humiliores, tantò celeriores, crebriores, minores & momentaneæ: (Chasmata enim in hunc censum trahenda non videntur, utpote Telluris soboles, & in fulmen concessura, si supra se molem aquarum, cui occurrerent, haberent: nã ferè siccitatis sunt comites) paulò versus Lunã altius, globi igniti, dracones volantes, jam durabiliores & tardiores: Inde Cometæ, alius alio celerior & diuturnior, prout vel infra vel longè supra Lunam sunt; atq; hi jam universis cernuntur gentibus, pauci singulis. Nec impediri possum, quin credã, Regiomontani Cometam anno 1475 ipsam Lunæ Sphæram recto motu trajecisse, proximeq; terram venisse medio apparitionis tempore, cùm uno die 4. signa longitudinis, & in circulo magno 40 gradus confecerit, caudâ incredibilis longitudinis 50 graduum: cùm antè & post & cauda & motus fuerint admodum exiles. In altissimo deniq; æthere, stellæ inter fixas ipsæ quoque fixæ, pro natura loci, qui inæstimabili intervallo à regione mobilium distat: rarissimæ etiam & maximè diuturnæ, cùm sint & maximæ.

Addo & 4. argumentum ab Eclipsi Solis, quam Octobri mense vidimus. Neapoli totus quidem Sol rectus apparuit; sed eundem planè ad modum, quem ad modum Plutarchus ante annos 1500 & ipse vidit aliquam; cujus verba ex fol. 299. meorum Opticorum hæc sunt: *Elucet quidam splendor circa orbitam, non sinens altam nimiamq; fieri umbram.* *IV. Quod in Eclipsi Solis anni 1605 splendorẽ cir-*


ea corpus Lunæ accensum sustinuit, materia cœlestis fuit.

Neapolitana verò relatio superioris anni sic habet: Accuratè rectum fuisse totum Solem, quod quidem non diu duraverit; in medio, ubi Luna, fuisse speciem quasi nigræ nubis; circumcirca rubentem & flammeum splendorem, æqualis undique latitudinis, qui bonam cœli partem occupaverit: E regione Solis, versus Septentrionem, cœlum obscurum planè, ut cùm profunda nox est; stellas tamen non visas. Ut autem nihil dubites de fide historiæ, ecce aliam ex Flandria; ubi non totus quidem Sol rectus; prominebat enim suprema pars circuli solaris lucida, latitudine unius digiti, aut dimidij (sanè quia Antverpiæ, citeriori loco, extabat digitus): sed tamen globus Lunæ visus, declinans ad nigredinem, fuscus, aut quasi fuligine tectus; cùm superior circumferentia Lunæ esset tota candida, & quasi ignea. Et ut constaret visum esse locum disci Lunæ integrè circumscriptum; addit relatio, locum omnem, in quem à Sole visus aversus dirigeretur, visum esse fuliginosum, circumferentiâ igneâ. Non poterat igitur phænomenon ipsum habere aliter, cujus species in oculo talis erat. Simile quippiam visum est Jessenio Torgæ in Eclipsi anni 1598. Vidit enim splendore Lunam planè cingi. Vide pag. 299. Opticorum: ubi ultimam vocem aëris latè accipe pro ætherea etiam substantia.


Hìc quæro, quinam fuerit ille splendor igneus, circumdans Lunam, quæ ad visum erat Sole major; quia totum Solem absconderat? Imò quinam ille splendor, qui Lunam ab inferiore limbo, quo Solem hæc ad unius digiti latitudinem excedebat, nihilominus amplectebatur? Splendor erat Solis, inquis. Verùm, at non hoc quæritur, sed quænam materia, quodnam subjectum, in quo inhæsit iste Solis splendor? Ipsa namque per se lux digressa à suo corpore cerni non potest, nisi in subjecto; quia nusquam consistit, nusquam impingitur, nisi in opaco quodam subjecto. Si dicas, aërem fuisse hujus splendori pro subjecto, diversorum locorum experientijs diversimodè refutabere. In Schemate præsenti sit $\alpha\beta$ Sol, $\delta\zeta$ Luna, $\delta\eta\zeta$ Conus umbræ: globus Telluris $\varepsilon\iota$. Igitur Neapoli, qui locus concipiatur in ε, totus Sol latuit. At ubi Sol latet, is locus in umbra est Lunæ, puta intra ι, ε: quare illa portio aëris, per quam species ignei splendoris, Lunam proximè circumdans, in oculos observatoris est delapsa, illa inquam portio aëris erat in umbra Lunæ intra $\nu\eta$. Sol igitur aërem illum, cui tribuitur splendor iste ab opponente, non illustravit. Dicet forsan adversarius, margines Lunæ Solisque adeò præcisè invicem applicatos, ut non benè discerneretur, an aliquid de Sole supereresset, cùm revera

Splendor ille non erat aëris nostri, nec Neapoli.

aliquid



aliquid ſuperfuerit circumcirca. Conum quippe umbræ Lunaris deſijſſe præcisè in ipſo oculo, aut paulò etiam ante, ut ſi oculus obſervantis fuiſſet in ν: itaque ſtatim, ubi quis veſtigium ad latera θ ϰ protulerit, ex umbra Lunæ in lumen Solis veniſſe: atque hinc extitiſſe illum ſplendorem circumdantem. Tale quippiam dici poſſit; ſed ineptè, ſi benè perpendas. Nam Solem totum tectum, non vidit unus aliquis, ſed tota Neapolis, & procul dubio lata vicinia. Luna quippe aliquot ſcrupulis fuit major Sole, ut teſtatur Anglicana obſervatio, partim & mea; conſentientes cum problematis meorum Opticorum. Itaque finge Luminaria planè in vertice fuiſſe, quo loco digredientibus uno gradu à loco priſtino, ut oſtendit mea parallactica, Luna mutat locum per minutum unum. Itaque ſi duobus minutis exceſſiſſet Luna Solem: duorum graduum, hoc eſt, centum viginti milliarium Italicorum lata futura fuit umbra. Jam verò Sol 50 gradibus, amplius, abfuit à vertice. Et ibi loci, parallactica eâdem indice, trium graduum progreſſus requiritur; donec per duo minuta Luna locum commutet. Si tribus minutis Luna exceſſit Solem, quatuor amplius gradus lata fuit umbra ιε; milliaria ſcilicet Germanica 60, Italica 240. Itaque ſi umbra Neapoli apud ε incepit; finis alter umbræ in mediam Siciliam, quæ ſit jam apud ι, penetraverit. Quare locus ille, materia illa, in qua inhæſit hic ſplendor Solis, Lunam undique proximè circumdans, nequaquam fuit humilis, nequaquam ad unius milliaris Germanici altitudinem terris in ιε, propinquus: Aërem enim à meridiano latere lunaris umbræ ſtantem, à τ verſus μ, qui fuêre Neapoli



apud ε, videre nequaquam poterant, cùm Siciliæ verticibus, & loco ι immineret, & humilis sit, uti jam dictum. Quod si maximè tale quid repræsentasset aër vicinus nobis: repræsentasset id non integri circuli forma, circa Lunam; sed ab ea solâ parte Lunæ, à qua parte umbrę stetisset observator. (Sit ν ζ communis sectio umbræ cum aëre, & partes in λμ illustratæ à Sole. Splendor igitur partium νλ, visus fuisset à partibus Lunę in ζ.) Aut vidisset sanè splendorem circularem, sed latissimum, Neapoli quidem, nempe ex ε, vel luminaria proximè attingentem, quia νζβ in eadem recta sunt ex ε educta; vel etiam magis ad Septentrionem elevatum, si locus ab ι profundius in umbra sit: ab ortus verò, occasusque plagis dilatatum latissimè; tandemque meridionali parte sese longissimè usque in ιμ Siciliam, è conspectu εν Neapolis auferentem: & hoc propter humilitatem aëris. Partes enim aëris splendidæ μτ, ex ε longissimè infra Lunam censerentur. Quod si materia, quæ splendorem Solis excepit, viginti semidiametris terræ, fuisset elevata supra terram, tertia parte distantiæ lunaris sibi vindicata (etsi etiam sic jam in æthere sumus): circulus hujus fuliginis, splendore inclusæ, apparuisset trium ferè graduum diametro, & in ejus complexu Luna. Ita quo humilior, hoc amplior; quo verò altior, hoc minor, hoc vicinior Lunæ, magnitudine. Cùm igitur fuligo hæc non majori apparuerit diametro, quàm ipsa Luna; necesse est materiam, quâ splendor hic Solis exceptus, fuisse nequaquam inferiorem Lunâ; sed aut Lunæ in ξο, aut Soli ipsi in ρσ circumfusam; aut certè utrisque luminaribus interfusam, & sic in æthere.

Ex Flan-

Ex Flandrica relatione luculentius idem probabitur, non fuisse aërem nobis vicinum, qui sese splendori Solis in circuli forma subjecit, Lunæque speciem circumdedit. Ibi loci quippe Sol non totus occultabatur. Sit in Schemate, υ Flandria; connexis υζ signis, producta linea cadit in γ. Adhuc igitur in υ lucebat, quicquid fuit inter γ ϛ. Connectantur & υδ puncta, & ipsis υζ, υδ, educantur sociæ υοσ, υξρ: sitque δυζ species atri disci: circulus verò flammeus, atrum discum circumdans, intelligatur per ζυο, ξυδ. Igitur ab hac Solis portione γϛ, quæ superfuit, totus aër, non is tantùm, qui circa Lunam in ζο, sed & is, qui inter Lunam & visum in spacio ζφυ, illustrabatur ex æquo. Nequaquam igitur in aëris portione νλ, species rotunda deficiens, splendore circumfuso, repræsentari potuit. *Neque in Flandria.*

Adde quòd umbra Lunæ ιε, quæ υ Flandriam non complectebatur, (pars quippe Solis γϛ ibi extabat) multò adhuc longius procurrerat meridionali latere ϩ, versus Hispaniæ littus Mediterraneum, quod jam sub ι intelligatur: itaque circulus hujusmodi ater, splendore circumdatus, planè non comprehendisset Solem & Lunam; sed ad meridiem stetisset totus: visus verò parvâ sui parte, potissimâ post montes abijsset. Circulus enim ντ, qui comprehenditur umbrâ, & proinde ater appareret, amictus splendore circumsistentis aëris λμ, extrà versantis; hic, inquam, circulus, ut vides, totus cadit infra lineam υδ, in qua imus Lunæ margo ex υ cernitur.

Quapropter materiam aliam, multò sublimiorem aëre Flandrico λν fuisse oportet; in qua species flammæ, discum Lunæ atrum cingentis, à Sole impressæ, repræsentabatur: & illustrationem quidem ejus adeò fortem; ut etsi hic quoque aër νλ à particulâ Solis γϛ, in Flandria totus erat illustratus: ille tamen splendor ex ξδ, vel ρπ, hunc ex γβ Sole, vinceret, & ab hac nostra aëris νλ illustratione non confusus, non oppressus, distinctè in υ, oculos observatorum, descenderet.

Rursum idem probabitur, si locus uterque Neapolis, & Leodium, conjungantur. Non est verisimile, omnibus locis eandem esse aëris nostri crassitudinem. Aristoteles Ponto pinguem & albescentem splendore tribuit aërem, qualem Athenis non vidit. Et quæ historia hoc non inculcat? At phænomenon hoc, quod quis aëris crassitiei tribuere velit, idem fuit in locis diversissimis. Quis enim cœlum Celticum cum Italico comparaverit? Igitur non aër nobis superfusus; sed sublimior aliqua, planeque cœlestis materia, splendorem hunc, à Sole exceptum, Lunæ circumjecit.

Quor-

Quorsum hæc inquis, aut quid hoc ad thema; quo contendis cœli materiam esse alterabilem? Quid si namque constans sit hic splendor cœli circa Solem, aut Lunam, quoties Eclipsis aliqua Solis est? Nempe hoc ipsum pertinet ad integritatem argumenti; jam porrò diversa, planeque contraria ostendere exempla; ut appareat, hunc splendorem in Eclipsibus; itaque & hanc materiæ cœlestis crassitiem, non esse perpetuam. Quanquam quid exemplis opus, quæ plurima ego in Opticis retuli. Tantùm in ultimo maneamus anni 1560; cujus anni deliquium stupendas induxit Lusitaniæ tenebras. Etsi igitur Luna in perigæo fuit, ne tamen existimes, solis Astronomicis circumstantijs auctas illas tenebras; quin potius hoc statuas, defectu materiæ cœlestis, splendorem late perferentis, potissimam illis tenebris factam accessionem. Accipe, quæ nuper è Treviris ad me perscripta sunt, ex ore cujusdam senis ἀξιοπίστου, operâ viri literatissimi, minimeque vani: Illo Solis defectu, anni 1560, circa meridiem, Treviris quoque tantam diei fuisse obscuritatem: ut sub tecto homines, paulò distantes ab invicem, se non agnoverint, plurimæque stellæ apparuerint. Etsi defectus ibi loci à totali multum abfuerit. At superiore anno 1605, præter unum chirurgum in Brabantia, Lynceum opinor, nullum audiri, cui stellæ sint conspectæ; quamvis & Luna prope perigæum, & Neapoli totus Sol tectus fuerit. Quid hinc aliud colligitur, nisi hoc, quòd materia cœli, Soli Lunæve circumfusa, alijs temporibus aliter habeat, jam incrassescat, mox iterum depuretur & discutiatur.

V. Lunam in Noviluniis occultat circumstans splendor cœlestis materiæ.

Neque tantùm eclipses hanc rem confirmant, sed etiam citra Solis defectum Luna nobis hujus rei documentum præbet. Anno 1553, ut vir gravis ac literatissimus ad me perscripsit, visa est Hispali Luna juxta Solem stans in Piscibus, in ipso cœli medio. Tota civitas spectabat & testabatur. Quando verò simile novilunium quis vidit? Numquid veterum doctrina biduum & amplius post copulam, primo Lunæ aspectui vindicat. Igitur hæc quinta testificatio est ejus, quod contendimus, nempe materiam cœli, cum alijs temporibus sit alia, subtilitate multùm à se ipsa differens, plus etiam quandoque claritatis imbibere, quàm alijs temporibus: itaque aliàs magis, aliàs minus occæcare oculos hominum in videndis de die stellis.

Quæ argumenta, ubi locum in Academia repererint: tum demum ego obsecrabo, ut huic etiam Novæ stellæ, quæque hanc anno 1596 præcessit parva in Cete, & quæ anno 1572, maxima in Cassiopeja; denique quæ anno 1600 in Cygno, quæ hodieque spectatur, quæcunque ea sit,

ea sit, (cujus descriptio sequetur) ut his, inquam, Novis fixis sextus argumentandi locus relinquatur. In præsens autem quinque prioribus probationibus sufficiat hoc reddidisse verisimile, materiam cœli esse alterabilem: proinde nihil absurdi consequi, si quis dicat, Novæ stellæ materiam ex ipsa fixarum Sphæra coactam; stellaque extinctâ in eandem vicissim esse refusam.

De efficiente Novi sideris.

CAPUT XXIV.

IN re dubia non multum contendam. Theologi, eorum contrarij, quos supra refutavimus, faciles sunt, ut statuant, miraculum à Deo ipso patratum, creato novo sidere. Nos supra siderum horum magis atque magis crebrescens frequentia curiosius extimulavit. Itaque si huic sententiæ acquievissemus; nihil erat opus de materia dicere. Dei namque solius opus, ex nihilo creare. Jam quia de materia diximus, eam cœlestem esse statuentes; addamus & de efficiente, seu gignente naturali; si qua reperiri potest. Spero me æquis auribus exceptum iri, à Brenggero præsertim alijsque, qui censuerunt, non posse sidus hoc naturæ transcribi, nisi & novam Physicen corporum cœlestium comminiscamur. Primus igitur ego sententiam dicam: ut habeant cæteri materiam dicendi tantò copiosiorem. Ac nescio quid mihi Virgilianum hic occinat Pythagoreus aliquis.

Principiò cœlum ac Terras, camposq; liquentes,
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; astra
Spiritus intus alit; totamq;, infusa per artus,
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Aristoteles verò sic: *Proveniunt ex terra æquè, ac ex humore, & plantæ & animalcula: Propterea quòd inest in terra humor, in humore spiritus, in toto verò UNIVERSO CALOR ANIMALIS:* quibus verbis Scaliger existimavit duci nos in abdita naturæ mysteria.

Suprà diximus, hoc habere simile stellam nostrã cum Trajectionibus, quod subitò ingens reluxit; indeque paulatim deminuta, tandem evanuit. Si similium similes sunt effectus; cùm hæ nobis vicinæ trajectiones ex materia pingui constent, quæ seu igni, seu lumini concipiendo sit idonea: omnis verò hujusmodi pinguedo sit excretio, facta

vel per vitalem Globi Telluris facultatem, vel per externum & adventitium calorem, ut in incendijs: igitur etiam ad novum hoc ſidus in æthere progignendum, quodam quaſi fervore nobis opus eſſe videtur, qui ſimilis ſit naturali facultati. Etenim pinguedo omnis, & omne inflammabile, omne in materiam lucidam mutabile, videtur opus eſſe cujuſdam architectonicæ naturalis facultatis, quæ nativi caloris in ſuo corpore ſit propagatrix, eoque calore inſtruatur, ad alterandam & ſibi aſſimilandam eam materiam, in quam incumbit. Porrò vel in globis perennibus gignitur hujuſmodi pinguis halitus; vel in intermedio, & ut Virgilianam vocem ab Elementis ad cœlos transferam, *In campis liquentibus.* Si in globis gignitur, quæſtio porrò nulla amplius, quis genitor ſit: Satis conſtat de Terra, pollere illam intus hujuſmodi facultate; quæ alijs partibus alia gignit metalla; quæ calorem intus fovet; quæ marinas aquas abſorbet, digerit, ſublimes evaporare facit, fluvijs & pluvijs materiam ſufficit; quæ mirabiles figuras geometricas foſſilibus indit, non alia re, niſi quadam impreſſione occultâ, quæ reſpondet imaginationi animalium, ſubnixa: & quæ plura talia dixi in Opticis. Qualem igitur facultatem poſſidet tellus iſta, globorum unus, talibus conſentaneum eſt & cæteros globos eſſe præditos. Pateret igitur & author, & origo expirationis. Cæterùm, quia cogitur hæc materia, tandemque inflammatur, non in globis ſtellarum, ſed *in campis liquentibus*: utcunque ponas naturales facultates in globis; jam accedere neceſſe eſt aliquam etiam aliam, quæ *totos infuſa per artus*, liquidum permeat ætherem: atque ut rurſum exempla cœleſtium ſumamus à terreſtribus, quæ id præſtet in æthere, quòd aliqua nomine occultiſſima, reipſa manifeſtiſſima facultas præſtat in hoc noſtro calido aëre. Hæc nempe eſt illa, quæ quoties invenit ſuperfluam aliquam materiam; convertit eam in animalculum tale, quod rerum naturæ ſerviat, ſeu juvandæ ſeu exonerandæ; ſudorem capitis in pediculos; corporis (muliebris præſertim) in pulices; arborum in varia erucarum genera, pro varijs arborum generibus; pellium pinguedines redundantes, & à ſua forma deſertas, in tineas; limi in anguillas; aquarum in ranas, piſces, hirudines, & infinita ſemperque nova marinorum monſtrorum genera; Terram in varias plantarum & arborum ſpecies: In ſumma, hinc muſcarum, hinc apium examina, hinc veſpæ, crabrones, ſcarabei, hinc papilionum ingentes exercitus. Philoſophi putredinem dicunt, quæ revera nihil aliud eſt, quàm materiæ, pereunte & quaſi moriente formâ veteri, ad novam aliquam inſtauratio, facta per hunc operoſiſſi-

rosissimum architectum, quicunque tandem is sit. Quem cuilibet liberum esto inquirere: mihi hæc ipsa facultas videtur, quam prius dixi in ipso Telluris residere globo; hoc tamen discrimine, ut quod est facultas interna Telluris, aquis & aëri ad papiliones & monstra aquatica; hoc sit homini sua naturalis facultas ad pediculos gignendos. Utriusque organon quoddam vapor esse videtur, qui in corpore genitus, id forinsecus circumdat exspiratus, implens madore suo sinus corporum occultiores, ubi calor inclusus durare potest. Hoc enim facto statim in eum egressa facultas hæc, corporis incola (utique prolecta calore, & effluvio sui vaporis); ista mira machinari incipit: instinctu divino per creationem accepto, hactenusque retento, de singulis membris ad finem ordinandis admonita. Hoc exemplum, quomodo ad ipsum magnum mundi corpus, ejusque facultatem architectatricem sit transferendum, ambigo. Aut enim sedes ei nulla, nisi in ipso liquido inani: aut si in globis stellarum; sedes ei non una: aut si in globo Solis, sedes ei angustissima, excursus immensus, infinito similis. Primum dicere malo; inesse in tota substantia ætherea, unam, qua Planetæ decurrunt; alteram, qua fixæ stant, facultatem similem naturali facultati, quæ est in animalibus, præfectam certo, operi, quod nobis est definiendum; ut appareat, cui præcipuè bono facultatem hanc in cœlum introducamus, quæ has novorum siderum veluti succisivas operas juxtà exerceat. Cùm igitur essentiæ ætheriæ proprium sit pellucere; neque possit esse pellucidum, quod non vel fluidum est, vel ita, ut initio fuit, cùm fluidum esset, permanet, ut Crystallus; quemadmodum in Opticis dictum: cœlum utique non de eorum pellucidorum est genere, quæ duritie quadam hunc effectum retinent; quod demonstrant Cometæ, qui quaquà versum trajiciunt, nihil impediti à soliditate ulla orbium. Adhuc ergo cœlum cùm sit fluidum, debeat verò esse & pellucidum: consentaneum est, facultatem aliquam ei præesse, qua in hoc suo statu retinetur hic ingens campus, idque fieri continuatione cujusdam levissimi caloris, quo id cœlo præstetur, quod oculi humoribus præstatur ab inhabitante vita; ut calore vegeti semper turgeant, constetque oculo sua & pelluciditas & figura. Huic igitur animæ dabimus hoc officij, ut vel ipsa, dum purgat & depurat corpus suum, proprietate sua essentiali, hujusmodi vapores pingues & impuros cogat, & quasi detergat; vel etiam excretos ex globis stellarum, quasi possessionem vacuam occupet: utrolibet verò modo, ex materia inventa, vel genita; inter fixas, stellam immobilem; inter Planetas, Cometam mobilem

Auræ ætheriæ pellucidas, quomodo conservetur.

efficiat; eo inſtinctu, quo hanc terreſtrem facultatem inter animalia diffuſam, animalcula, ut papiliones, & ſimilia, fabricari diximus.

An poſſibile, Mundum ex Mundo gigni?

Audivi quoſdam eoúſque progreſſos, ut hac facultate confiſi, ſeſe faciles exhibere velint, Si quis ex Mundo, etiam Mundum gigni, probare velit. Quos non impedit, quòd vident corpora Mundi non cohærere: nam neque cryſtallinus humor, oculi tunicis annexus eſt; excidit enim, vix apertis, nec opus, ut recidatur; nec venis alitur, aut creſcit, ſed vapore: quale quid etiam de ſtellis in aura ætherea libere volantibus profiteri is poteſt, qui mundum ex mundo gignere vult.

Verùm calumnia veritati ſtruitur hoc additamento. In homine, quæ facultas gignit pediculos, longè inferior eſt, quàm ut gignat hominem. Et in Terra, facultatem, qua de dixi, nemo negabit: Prodigioſum tamen commentum fuerit, ſi quis non dicam ad generationem alterius terræ; ſed tantùm ad nudam augmentationem, ejus vires extenderit. Cenſeantur facultates ex operibus, per ſua corpora; non contrà, opera omnium, ex uno vel altero facultatis exemplo. Ita hic quoque ſi præſidet iſta facultas retinendæ pelluciditati ætheris; opus ſuum habet, quo facultatis nomen tueatur; etſi non generat. Ne dicam, quòd corpus ejus generandi careat organis; quale quid Ariſtoteles contra ſtellarum motum, qui fiat ſine orbibus, uſurpavit. Sed iſti belli Philoſophi laborant, ut habeat Deus, quod ab æterno agat; quem ad finem, Mundum ex Mundo nectunt per generationem. Quibus illud fortaſſe non incommodè reſpondebitur; æternitatem non habere partes: Itaque temporis initium à totâ peti; quod mihi D. Auguſtini lectio viſa eſt ſuggerere.

Comparatio hujus Novæ ſtellæ cum altera Nova, quæ anno 1572 effulſit in Caſſiopeja, & cum Cometis.

CAPUT XXV.

DIxi capite primo, quantum ex libro Tychonis Brahei colligi poſſit: ſidus hoc recens illi priori anni 1572, luminis claritate, ſcintillatione, coloribus, magnitudine, decremento, quiete, fuiſſe ſimilimum.

Nec ulla diverſitas in duratione, qua de quis teſtari poſſet. Incenſa erat illa menſe Octobri vel Novembri anni 1572: incenſa hæc Octobri, anni

bri, anni 1604. Illa extincta post 16 menses, Martio scilicet anni 1574; nostra cum Octobri anni 1605 adhuc videretur, postquam 12 menses jam durasset, sequentibus quatuor mensibus ob Solis præsentiam videri non potuit; Februario & Martio anni 1606 disparuerat. Fuerunt & situ similimæ, duplici nomine: utraque scilicet in via lactea, utraq; in summo æthere, inter reliquas fixas. Rœslinus verò etiam hoc celebrat, utramque Jovi fuisse junctam, quoad longitudinem: utramque, quod æquinoctialem attinet, in igneis fuisse. Illa enim cum primo Arietis cœlum mediabat (quod sedulò Braheus inculcavit), etsi in Tauro fuit: hæc autem in Sagittario stetit.

Et adde quæ suprà cap. 1. de situ Veneris, utrinque eodem, dixi.

Tot nominibus nostra hæc illi priori æquiparanda, vide nunc etiam, quibus circumstantijs eidem sit anteferenda longissimè. Nihil de eo dicam, quòd magni quidam viri, qui priorem illam viderant, hanc multò pronunciarunt majorem. Nam ut hoc illis videretur; efficere potuit stellæ, quoties appareret, propinquitas ad Horizontem, & humida anni tempestas, quod & supra dictum cap. 1.

Et oppidò magnam Braheus suam stellam fecit, utpote majorem Jove Acronychio, & proximè æqualem Veneri, quod miror: magna enim est differentia magnitudinis inter Jovem & Venerem, terræ præsertim viciniorem, cum ampliori, ut Braheus ait, facie collucet. Sed & de die visam asserit. Nostra neque interdiu visa (fortè ob humilitatem, non ob defectum magnitudinis) neque Venerem æquavit. Itaque maneat hæc illis communio magnitudinis.

Prima in scintillatione differentia: quæ cùm in nostro sidere fuerit cum primis admiranda & spectabilis, præ cunctis alijs fixis stellis, impleveritq; omnium oculos & ora: illa contrà anni 1572, modicè ab hac scintillatione celebratur. Nimirũ illa Jovis lumen proximè æmulabatur; hæc non ita pingue lumen, quale Jovis est, sed subtilius, & defecatius, quale ferè Mercurij, aut quale Sirij, repræsentavit. Itaque & colores Iridis vibratu continuo reciprocabat statim ab initio, cùm superior illa sub principium albicaverit tantummodo. Vicissim verò colores illa successivè mutavit: hæc nostra hoc nomine manifesta non fuit: nisi quòd decremento paulatim emoriebatur rapidus ille vigor scintillationis, & unâ colorum projectio.

Præcipua verò & consideratione dignissima dissimilitudo fuit in loco & tempore. Illa enim extra limites zodiaci fulsit, in sidere Cassiopejæ, loco cœli infrequenti, nec ullis Planetarum accessionibus nobi-

litato: hæc ſtationem ſibi elegit proximè viam Regiam Solis, Lunæ, cæterorumque Planetarum; ſic ut ab omnibus Planetis ſalutaretur: Saturno verò penè corporaliter jungeretur. Illam etſi claræ aliquot ſtellæ in Caſſiopeja ſecundæ magnitudinis circumſtabant, vulgares tamen illæ fuerunt, & de promiſcuo fixarum numero, nulla proprij motus nobilitate inſignes: Hæc noſtra verò in medium trium ſuperiorum Planetarum ſeſe ingeſſit, Jove & Marte Satellitibus anteambulonibus, Saturno ſtipatore pediſſequo uſa. Illa cœli partem duodecimam, quæ à Tauro, ſigno terreo nomen habet, occupavit, nulla Plantarum conjunctione præ cæteris tunc temporis illuſtrem: hæc in ſigno igneo Sagittarij exarſit, in quo celebratiſſima illa revolutio Trigoni ignei ſuperiori Decembri ſumpſerat initium; quod non niſi poſt Octingentorum annorum intervalla fieri poteſt. Illa vulgare & ignobile tempus invaſit, nulla peculiari nota inſigne: Hæc incidit in eum præcisè annum, quem Aſtrologi univerſi Trigoni ignei principio, eventurisque prodigijs cœleſtibus, diligentiſſimis præmonitionibus deſignarant; in eum præcisè menſem, quo menſe Martis ſtella duobus ſuperioribus ipſa quoque acceſsit, magnam conjunctionem de Cypriani doctrina implens; in eum præcisè diem, quo die Mars poſt Saturnum prius ſuperatum, etiam Jovem erat aſſecutus: quid multis, in eum præcisè cœli locum, ad quem omnium Aſtrologorum oculi, congreſſum Jovis & Martis exſpectantes, dirigebantur. Itaque prior illa Mundo non præmonito ſupervenit, & velut improviſus hoſtis, occupatis urbis mœnijs, prius in foro comparuit, quam cives expeditionem ejus famâ percepiſſent: noſtra verò, vulgò exſpectata à longo tempore, cum multa ſolennitate & triumphali pompa, ad diem conſtitutum eſt ingreſſa; more præpotentis alicujus Monarchæ, qui Metropolim regni inviſurus, præmiſsis longè antea Metatoribus, loca comitatui deſignat: jamque purgari plateæ, jam excitus rumoribus vulgus diſcurrere, jam pueri moras incuſare; cùm Sarcinæ, cùm ſupellex argentea jam adſunt: mox ſubſecuto principis comitatu, dum primi portas ſubeunt, equorumque ſtrepitus per ſtrata viarum, & lituorum clangor perſonant; exciti univerſi feneſtras occupant, plateas complent, pavidi lætitiâ pueri teneræque puellæ: Incedunt ſublimes in equis Heroes, fidique miniſtri: luſtrat hianti ore, ſollicitisque oculis unumquemque plebs contemplandi Regis avida: denique poſt longum agmen oritur Tympaniſtarum, & Tubicinum turma; ſequitur armatorum venerabundus ordo, curſorum elegans ex utroque latere Manipulus: in medio Rex, gene-

generoſo tripudians caballo, Oſtroque inſignis & Auro: nec digitorum indicio, nec interrogationibus opus: ſuo quiſque priuatim animo, viſo ſatellitio, dicit: En tibi tandem quem deſideraſti.

Talis igitur fuit apparitio noſtri ſideris.

Quòd ſi quid hoc ad rem facit, ſtella anni 1572, ſublimitate, claritateque ſua (quarum illa non paſſa eſt illam occidere, hæc de die etiam exhibuit ſpectandam) in vulgi primùm, ut plurimùm ſub dio verſantis, oculos ſeſe ingeſsit, tantum non aure vellicans ſingulos ad ſui ſpectaculum: noſtra hæc alijs uſa circumſtantijs, cùm neque altè pervaderet, & proximè inſequeretur Solem in Occaſum, crepuſculi claritudine circumamicta, uti ſolet heſperus, verſareturque inter medios Planetas, quaſi unus ex illorum numero eſſet, nemini prius quàm doctis, præſertim, qui Aſtronomiam & Planetarum ſitum didicerant, potuit innoteſcere, novitatisque ſuæ manifeſta fieri. Itaque pulchrè Weidnerus:

Quippe Mathematicis tam rarum & nobile ſignum
Jova dat imprimis, non obſervabile vulgo.

Hujus quoque loci videtur eſſe comparatio ſideris noſtri cum Cometis. Sunt enim qui Cometam appellent, Guntherus, Mollerus, Bütnerus, Krabbus, & alij. Et inveniuntur, qui eo ipſo negent, ſtellam dicendam, quòd perierit: ſtellas enim perennare. Eos Joan. Georgius Brenggerus pulchrè primùm Grammaticen docet. Cometes enim ſeu Crinita à crine nomen habet, ut ſi crinis ſtellæ ſuperſtat, Cometes; ſin infra eſt, Pogonias; ſi crinis acuminatus eſt, Xiphias; ſin curvus & acuminatus, Ceratias; ſin verò curvus & explicatus latè, Hippeus dicitur. Ita Cometes ſpeciei nomen eſt, & ad figuram ſpectat, non ad ſubſtantiam. Quin omnes illæ ſpecies à ſcriptoribus ſtellæ nomine veniunt: Et quoties Cometæ vocabulo utuntur, ſtellam ſubintelligunt ut Cometæ vox adjectiva ſit. Sæpè etiam jungunt, ut ἀστὴρ κομήτης, ſtella crinita, ſtella cadens; ubi vides nullum ab ijs haberi reſpectum ſubſtantiæ evanidæ.

Ita mihi Plinianæ ſpecies diſtinguendæ videntur. Verùm Achilles aliter: Οἱ μὲν οὖν καλῶ λοφῶς ἔχοντες, καὶ λὰς μαρμαρυγὰς καλῶ νεύσας, καλοῦνται κομῆται.

Eſto verò, ut ſpeciei vox, Cometa, in genus tranſierit, & omnes à Plinio lib. 2. cap. 25. commemoratæ formæ, Cometæ appellentur: quam igitur ad ſpeciem referent hanc noſtram ſtellam? Nulla dictarum congruit. Lampadiada verò ſi dicent, relegandi ſunt ad caput XVIII, de ſcintillatione. Nequaquam enim crines fuère illa ſcintillatio ſtellæ rapi-

rapidiſsima, ſed fulgor lucis reciprocus. Niſi fortè etiam Canem majorem, cęterasq; ſtellas, Cometas facient; eò quòd ſcintillationem ſuam cum hac ſtella communem habuerint. Itaq; concedi poteſt huic ſideri nomen Lampadias; ſed ita, ut Lampadiæ non ſint ſpecies Crinitarum. Sequuntur ultimæ Plinij ſpecies, diſceorum, qui diſcis, rariſſimis circum crinibus; & hirtorum, qui villorum habent effigiem: quos author Jubas dicit, recentiores appellant Roſas, quorſum refero & Soles nocturnos ab antiquioribus celebratos. At nec his ſpeciebus accenſenda eſt noſtra, magis quàm Canis Syrius; eò quòd non Jubas circumcirca ſparſas emiſerit, ſed tantùm ſcintillaverit. Adde quòd his Jubæ vel Diſci ſpecies in haſtam mutatur, quod ſemel factum Plinius celebrat; iterum accidit anno Chriſti 837, ſub Ludovvico Pio; denique etiam noſtrà memoria, obſervatore Tychone Brahe, anno 1580 & 1585. Fuit enim tribus his vicibus Sol in oppoſito Cometarum: itaque initio comas cùm à Sole & à noſtro viſu averterent, capita in medio Comarum oſtentàrunt; poſtea deſerto Solis oppoſito loco, Comam paulatim ab ea parte explicuère, unde diſcedebant: ſimul autem priores duo etiam retrogradi fuerunt, planè ut Planetæ quoque, cùm Soli opponuntur: cujus rei cauſam Copernicus pulcherrimè in motum Telluris confert. Noſtra igitur cùm nec initio nec fine ſpeciem ullam exhibuerit Comarum; Cometa dici nequaquam debuit. At contra non abſonum, ſtellæ vocem à στίλβειν deſcendere, quod eſt ſcintillare: quod cùm & noſtræ conveniat, quid impedit ſtellam dicere?

Achilles contra, & aliter quàm Plinius: οἱ ἀνω τὸ φῶς νενευκότες ἔχοντες, καλοῦνται Λαμπάδες.

Quid ſi verò, inquiunt, Caudam omnino aliquam obtinuerit? Nam viſus ad eam non pertigit ideò; quia tota poſt caput latuit, tam in quadrato, quàm in oppoſito Solis. Iſdem enim argumentis id aſtrui poteſt, quibus capite x v ſtellæ annua parallaxis fuit adempta. Reſpice hic de cauſa ad ſchema fol. 86. ubi ſtella hanc ipſam ob inſtantiam picta eſt caudata. Nimirum CO elongatio Telluris O, à Sole C, nequaquam tanta fieri potuit, ut hanc ſtellæ in D, caudam à latere nobis detegeret, ob nimiam ſtellæ diſtantiam. Quæ conjectura à Mæſtlino quoque tolerata fuit de ſtella anni 1572, libello de Cometa anni 1580.

Reſpondeo, ſtellarum nomina viſus invenit, non ratiocinatio. Qui verò hoc objicit, is non refert quid viderit, ſed hariolatur quid eſſe poſſit. Sit ergo Cometa, quando caudam ſurſum à nobis projicere creditur à Philoſophis. Nobis hominibus cæteris, liceat interim cum viſu noſtro loqui: Vulgus enim Philoſophis, & viſus vulgò dicendi magiſter eſt.

Breng-

Brenggerus etiam alia utitur reſponſione, negans Cometis eſſe ſolere lumen tam clarum, quàm in hac ſtella viſum; non tantùm in caudis, ſed ne in capitibus quidem: ut quæ candicantia, livida, interdum rubentia, aliâs pallida, ut Braheus retulit, utrinque obtuſa & inertia obtinent lumina, nubeculæ verius quàm ſtellæ. Equidem *Cometæ candidi, argenteo crine, cuius fulgor etiam oculorum obtutum avertat*, unam etiam ſpeciem Plinius ſtatuit: Exemplum verò ex hiſtorijs nullum ſcio.

Poſſum hoc loco etiam uti argumento eo, quo ſuprà uſus ſum, cap. xv, ad aſſignandum ſtellæ noſtræ locum inter fixas; ut probem, & caudâ caruiſſe. Crinitæ enim eædem & mobiles ſunt: Noſtra hæc hæſit immobilis: Plinius hanc rationem convellere videtur, qui quoſdam Cometarum ait immobiles hærere. Sed facilè reſpondetur, ex noſtrorum temporum experientiâ.

Poteſt enim fieri, ut in Planetis ſtationarijs, ut quamuis mobiles, videantur tamen ad paucos quidem dies ſtare; ſi unâ cum tellure æquè celeriter in eaſdem ferantur partes. Ille enim anni 1585, cùm in oppoſito Solis verſans, motu terræ retrogradus repræſentandus fuiſſet (ſi vel quieviſſet ipſe): celeritate motus proprij in conſequentia, apparuit directus: cui ſi parùm de motu proprio auferas, ſtationarium efficies ad viſum. Et ille alteranni 1580, cùm menſe Decembri ſtationarius appareret, motu proprio adhuc ferebatur in linea ſua trajectoria, verſus finem Libræ & Eclipticam, æqualia propemodum ſpacia initio ſine emenſus.

Itaq; ſi Plinij ætate vel antè ipſum talis Cometa fulſit, qui ſtationarius redderetur, cùm antè & pòſt fortè non eſſet viſus: hinc occaſio Plinio eſſe potuit, unam Cometarum immobilium ſpeciem confingendi.

An fortuitò concurrerit ſidus hoc cum tempore & loco conjunctionis magnæ.

CAPUT XXVI.

DIſputationem ingredimur, omnium quæ ſunt de tota rerum natura, difficiliſimam & perplexiſſimam; non tantùm propter quæſtionis obſcuritatem; ſed etiam propter validas totius humani generis diſceſſiones in partes omnino contrarias. Ex ſuperioribus pa-

tet, ſtellam ortam eſſe eo anno, quo fuit conjunctio Saturni & Jovis, in principio Sagittarij; ubi loci conjunctio talis contigit à mundo condito nonplus ſepties, in ſeptem illuſtriſſimis ætatis mundanæ articulis, octingentis annis inter binas conjunctiones interlabentibus: ortam igitur eſſe ſub principium Triplicitatis igneæ, rei apud Aſtrologos à multis annis celebratiſſimæ; ortam eo tempore, quo potior pars hominum expectatione rerum novarum maximarumque ſuſpenſa tenebatur; ortam eo tempore, quo Aſtrologi nonnulli novum aliquid in cœlo confidentiſſimè prædixerant oriturum; ortam eo menſe, quo Martis ſtella ſuperioribus ſociabatur, qua prius abſente nondum erat plena magna ſuperiorum conjunctio: ortam eo die, quo hæc Martis ſtella, ſuperato paulò antè Saturno, Jovem fuerat aſſecuta: & quod ſummoperè admirandum eſt, præter tot & tanta caſus ludibria, ortam inſuper eo ipſo loco, quem conventu Jupiter & Mars frequentabant. Cujus rei conſideratio, ſequentes quatuor ſententias nobis ſuppeditat excutiendas. Prima eſt Aſtrologorum, qui cùm Cometam oriturum menſe Octobri anni 1604, longè antè prædixiſſent, ut Mollerus & Krabbus: jam omnibus nervis contendunt, quòd conjunctio magna trium Planetarum ſuperiorum fuerit cauſa progenitrix hujus ſideris. Quo conceſſo, parùm reſtat, quòd mireris, non magis ac ſi decimo menſe poſt meas nuptias mihi naſceretur filius. Verùm quominus hoc Aſtrologis poſſit concedi, immane quantùm obſtat. Verbis quippe ſimulant generationis actum naturalem; re ipſa nec viam indicant, qua viâ cauſa dicta proceſſerit ad hunc effectum: nec effectus naturalis cauſam oſtendunt naturalem; quæ omnia explicanda nobis ſunt.

I. Sententia Aſtrologorum.

Huic igitur Aſtrologorum ſententiæ opponuntur ſecunda & tertia Phyſicorum, altera alteri contraria.

II. Phyſicorum conjectantium.

Nam qui ſunt acuto ingenio prædiți, pollentque facultate conjectandi cauſas rerum occultas ex ſuis vel effectibus vel ſignis; qua quidem methodo univerſa Philoſophia, præcipuè cœleſtium doctrina, inventa & conſtituta eſt: his res iſta videtur admiratione digna. Nam etſi ex illo jam repetito circumſtantiarum acervo quædam coincidunt: Nec valde mirum, ſi oriri debuit hoc ſidus tempore conjunctionis magnæ; ortam eſſe & Aſtrologis ſtellam, mutationesque univerſales prædicentibus, & vulgò hominum nova multa expectantibus; quia vulgus ab Aſtrologis modernis, Aſtrologi moderni ex Aſtronomia de Trigono igneo, ex libris Arabum de ejus effectu fuerunt admoniti: ut ita hæc ſola ſit quæſtio, cur ſidus hoc tempore conjunctionis

magnæ

magnæ fuerit ortum: hæc igitur, etsi sic jure merito coincidunt: illa tamen nulla necessitate; magna verò etiamnum admiratione conjungebantur, quòd stella hæc non tantùm in die conjunctionis magnæ fuit orta; sed etiam in illo ipso loco congressus Planetarum. Habet hoc aliquid in recessu multo sublimius primâ illâ Astrologorum opinione. Esto enim, ut stella secundùm naturæ viam sit genuina conjunctionis magnæ soboles; quid coëgit illam in conjunctionis illius visibili loco consistere? Nam exempla, ex quibus suum Astrologi axioma collegerunt, talia nulla sunt. Quærendum igitur existimant conjecturales isti, cùm causam Astrologi nullam dixerint; quæ igitur vera causa fuerit tam admirabilis congruentiæ. Percellit enim mentis oculos tanta concinnitas, tantus ordo: ut omnino videatur non casus temerè oberrantibus ludibrium, sed rationis disponentis opus; seu creatrix illa sit, seu mundi machinam totam pervadens spiritus, qui & conjunctionis apparentiam in terris viderit, & secundùm hanc sidus hoc in summo æthere progenuerit.

At tertia opinio, Physicorum & ipsa, non tantùm Astrologos explodit, sed hos etiam conjecturales ridet, omnia ista casui vindicans. Non omnes tamen eodem modo disputant. Quidam animi gratiâ, Epicuri Philosophiam quæsita verisimilitudine defendunt, quibus non ista tantùm congruentia fortuita est; sed ipsa etiam stella ex atomis confluxit. Qui quæsiti de causa, cur locus sideris cum tempore tam pulchrè congruat, ad tesserarũ jactus provocant, in infinito esse omnia, monentes. Quorum sensum tentabo exprimere. Sint duæ tesseræ, altera temporis, altera loci; illa inscripta innumerabiles temporum occasiones, & inter has etiam unam conjunctionis magnæ in exordio Triplicitatis igneæ; hæc insignita innumerabilium cœli locorum characteribus, quos inter unus etiam sit conjunctionis magnæ. Existant infinita hujusmodi nova sidera, quodlibet ex uno tesserarum jactu tempus sibi, locumq; sortitum. Ajunt igitur, concedendum esse omnino, si darentur infiniti hujusmodi jactus, utpote ab ultima æternitate, quam disputantes præsupponunt; futurum omnino, ut inter innumerabiles alios, aliquando etiam hic cadat, qui locum conjunctionis magnæ, cum tempore conjunctionis ejusdem copulet. Itaque nil mirum, nullam rationis suspicionem esse perhibent; si inter innumerabilia nova sidera, æterna serie (si daretur hæc) sibi succedentia mutuò, aliqua etiam sub articulos conjunctionum magnarum incendantur: & si inter innumerabilia sidera nova, temporibus magnarum conjunctio-

III. Physicorum ex Epicurisecta.

num orta, quædam etiam in illa octingentorum annorum infinities redeuntia exordia incidant: denique si inter innumerabiles novas stellas, quæ cum exordijs Periodorum Zodiaci coincidunt, aliquæ etiam in ipsum locum, ubi periodi conjunctionis meta figitur, collocentur.

Ex Aristotelis secta.

Alij doctrinam Aristotelis de fortuna & casu propius exprimunt, quibus placet, non quidem fortuitò neque coire Planetas, neque incendi novas stellas. Esse enim illarum in cursu cœli, harum in penitralibus naturæ causas utrinque proprias, non nexas, alteras ab alteris: ex utrisq; suo loco & tempore existere cùm Planetarum congressus, tum novorum siderum exortus: nihilominus casu fieri, si conjunctio cum novo sidere, seu tempore, seu loco conveniat: neque enim hunc fuisse scopum Rectori hujus mûdi propositum, has procurare congruentias; sed cientem illic orbes cœlestes, hìc naturæ vim; ultrò & præter singulare studiũ, sola materiali necessitate ista coaptare: non quidem nescientem ista, ut nos homines, sed tamen neque etiam quærentem. Proponunt exemplũ ex ipsa mera Astronomia; finge Novilunium Ecliptico in ipsum incidere æquinoctium. Hic motus Solis causa est genuina æquinoctij; motus Lunæ, qui separatum quid est à motu Solis, causa est deliquij Solis. Moderator itaque totius naturæ non in hoc Solem & Lunam ciet, ut deliquium jungat æquinoctio; sed ne Solem Lunamque non cieat, suâ quemlibet lege; non refugit deliquium jungere æquinoctio. Quapropter semel deprehenso cursu Solis, cursu etiam Lunæ; jam porrò non miratur amplius Astronomus, deliquium aliquod incurrere in æquinoctium. Ad hunc modum, si nova hæc sidera causam habent naturalem, suasque periodos ex præscripto causæ; nihil habebunt magnoperè mirandum varij circumstantiarum concursus: nec magis quærendum, quare nostra stella tribus fuerit Planetis juncta; quam quare prior illa, quæ anno 1572 fulsit, nulli Planetæ se associaverit. Nam à Jove proximo sibi secundùm longitudinem, abfuit ultra quinquaginta gradus. Hoc sensu Boëthus apud Plutarchum de Pythiæ oraculis, multò meliori jure quàm modo Epicurei, quærit, *quemnam effectum tempus non debeat naturæ? Omnia quippe ferente infinitate.* Intellige sic, ut in Geometria & Astronomia solemus quærere, an periodica Planetarum tempora sint irrationalia ad se mutuo, ita ut infinities repetita, nunquam ad unguem eodem modo redeant. Hoc enim posito, necesse est, æternitate inducta, omnia evenire, quæ in re insunt, omnes puta formas conjunctionum Planetarum, quarum in Centiloquio Ptolemæi

sunt

sunt centum viginti & una. Dixi omnia, quæ in re insunt: nam dempta hac conditione, verùm rursum dixit Boëthus dicto loco: *Sermo qui ea dicit, quæ non sunt* (quæ à toto genere rei sunt aliena, ut si quis concessa motus æternitate, velit tandem & illud efficere, ut bini Planetæ permutent orbes & periodica tempora), *seipso vitiosus, frustra exspectat fidem, quam ei casus conciliet.*

Sequitur quarta opinio, Theologorum de fontibus derivata: quibus cùm in præsuppositio sit, totum hunc mundum divinâ providentiâ contineri, neq; tantum naturæ ordinem conservari, sed etiam miracula quandoque præter naturæ cursum, cœlo terraque fieri (quorum è numero etiam hanc stellam habent) divina bonitate homines ad pœnitentiam vocâte: etsi quidem Astrologorum primam illam sententiam, partim ut nudam, jejunam, & nimium simplicem contemnunt, partim verò & impietatis suspectam habent; non tamen negant, quin ob has ipsas Astrologorum regulas, novum hoc divinæ omnipotentiæ miraculum, & in tempus & in locum conjunctionis magnæ divina dispositione fuerit collocatum. Non quod ex dogmatibus hominum vanis de Triplicitate ignea, naturam ille transformet, & Sagittarius ideò igneam à Deo qualitatem accipiat, quia hominibus placuit, eum ab igne denominare; sed quia non absurdum existimant, Deum temporario consilio, uti conceptibus hominum popularibus, ad multitudinem hominum per istam rationem, tantò evidentius commonefaciendam. Exempla nobis ista statuunt ob oculos. Pharao Rex Ægypti, consuetudine nationis, deditus erat somniorum interpretationibus: ei DEUS objecit somnium, cùm Josephi liberationem Ecclesiæque propagationem & hospitationem in Ægypto moliretur. Cúmque Ægyptij Deum Apin colerent, Bovem nempe; quòd cæteræ gentes bobus ad arandum uterentur, ipsis citra arationis laborem esset prospectum de annona, Nilo agros ipsorum irrigante: hac usus Deus Regis seu imaginatione, seu scientia, septem annonas totidem boum specie objecta, ipsi depinxit. *IV. Theologorum.*

Sic Nabuchodonosor Rex Chaldæorum, occupatus in statua Belis, qui author erat regni Assyriaci, ejusdemq; conservator credebatur; per somnium videt statuam, futurorũ interpretem, divinitus ipsi oblatam, Daniele Propheta affirmante. Abrahamo ad quem Astronomiæ principia referũt, Deus ostendit stellas, edocturus ipsum de multiplicatione posteritatis suæ. Magi Chaldæi Astrologiam coluerunt, soliti ex concursu siderum, & Cometis orientibus, futura conjectare. Hos Deus

ad Christum Dominum perducturus, incensa stella admonet. Et arguunt circumstantiæ ferè omnes, negotium illius stellæ similimum fuisse moderno, dempta stellæ hujus immobilitate & altitudine: nimirum & ipsam in articulum revolutæ Triplicitatis igneæ, inque tempus conjunctionis incidisse.

Quod medios motus attinet; Saturnus & Jupiter anno Juliano 40 fuerunt conjuncti solis 34′ minutis ante principium Arietis, die 22. Januarij. Statim die 25. Febr. accessit media conjunctio Saturni & Martis in 3. Arietis; & conjunctio Jovis & Martis die 1. Martij in 5. Arietis.

Motus autem apparentes sic se habuere. Anno Juliano 39. circa 22. Junij, Sole in 27. Gemin. versante, fuit conjunctio Saturni & Jovis in 23. Piscium: quorum uterque paulò post factus est stationarius, ita ut non multùm Jupiter à Saturno separaretur. Qui postquam cursum & ipse in anteriora vertit, statim Augusto sequente Saturnum motu retrogrado rursum fuit nactus circa 21. Piscium; procurrensque in anteriora usque in Novembrem, tandem Decembri, tertiò Saturnum occupavit in 17. Piscium. Quos Mars anno 40. Februario & Martio consecutus, illum in fine Piscium, hunc in principio Ariet. implevit conjunctionem.

Fuit igitur illa magna conjunctio potior hac nostrâ, quod pro conditione motuum, tunc temporis conjunctiones Saturni & Jovis potuerunt esse unâ vice tres, sicut hodie duorum illorum oppositiones, possunt esse quinque, conjunctio tantùm una. Vicissim, etsi media conjunctio punctum Cardinale præcipuum, scilicet principium Arietis, quàm proximè attigit; quorsum etiam ipsum verum magnæ conjunctionis complementum, scil. vera conjunctio Jovis & Martis recidit; & Mars medio motu, superioribus conjunctis, quàm proximè coincidit: ipsa tamen vera conjunctio Saturni & Jovis anticipavit locum, ut & illa nostræ ætatis anno 1583, quæ illi similior est, quàm postrema anni 1603.

Anno igitur 39. Juliano sub ipsam magnam conjunctionem, si stella illa unâ orta est, & in ipso quidem conjunctionis loco (quod credamus interim) primùm fulsit: utique Chaldæos ex ipsorum regulis, hodieque extantibus, de maximis rebus & totius mundi renovatione universali admonuit. Abeat jam biennium illud, à quo tempore Herodes infantes Bethleemiticos conquisivit ad necem; exactoque biennio veniant Magi in Judæam ad incunabula Christi. Fuisset igitur id

anno

anno 41. Juliana. I nunc & lege, quæ de ratione temporum Laurentius Suſlyga Polonus diſputavit, Græcij Styriæ edita, argumentis ex hiſtoriarum fide ponderoſiſſimis (etſi quo loco depaſſionis anno diſſerentem legit Kepplerus Aſtronomus, projecto libro calamoque, ſtomachabũdus ſeſe proripuit de Tabula): perſuaſus dices omnino, Chriſtum Dominum natum eſſe anno non 45, ſed 41. Juliano: itaque ſtellam, quæ biennio antè fulgere cœperat, incurriſſe in articulum conjunctionis maximæ Saturni, Jovis & Martis anno 39 Juliano: quo nomine fuerit uti dictum, huic modernæ ſimilima. Cumque divinitus hæc ſtella Magis fuerit exhibita: fidem facit igitur, Deum ipſum his Magorum regulis ſeſe tantiſper accommodaſſe, ut ſtellam eo tempore incenderet, quo tempore Magi ſtellam potiſſimùm exſpectabant; forſan etiam, quod antè dictum, eo loco collocaret, ad quem locum potiſſimùm Magorum oculi, ob trinum Planetarum congreſſum dirigebantur; quod in hac noſtra moderna ſtella itidem factum.

Accommodant ſeſe huic ſententiæ alia etiam ex penitiori Theologia: ut quod Deus per Prophetas cum hominibus loquitur de rebus naturalibus, & de artibus, ita, uti homines illi capiunt, quod in libro Jobi, Pſalmis & Prophetis apparet: quod ſanctus Spiritus non novâ & cœleſti, ſed nationum linguis doctrinam ſalutis propoſuit, earumque cognitione Apoſtolos imbuit: quòd Deus Patriarchis humanâ potiſſimùm formâ apparuit: denique quòd D E I Filius ipſam hanc naturam noſtram totam & integram cum omnibus proprietatibus ſuis, dempto peccato, cumque totâ interiorum facultatum animæ humanæ ſerie, unde ſermo, variæ linguæ, omnesque artes & diſciplinæ humanæ profluunt, ex utero beatæ Virginis in unitatem perſonæ ſuſcepit. Credibile eſt igitur, eundem illum Dominum & Deum noſtrum, cujus tanta fuit delectatio, tantum in æternum erit commercium cum filijs hominum, etiamnum hodie non planè ceſſare à publica ſignificatione ſuæ de nobis curæ, eamq; ſignificationem, in nova ſtella propoſitam, ſic ordinaſſe & inſtruxiſſe, per deſcriptionem temporis & loci; ut non poſſet nos, præſertim literatos & Aſtrologos (quorum diaria hodie omnes, etiam infimi, legunt) vel latêre, vel non ſummoperè commovere.

Examen

Examen positarum Opinionum.

CAPUT XXVII.

IAM ceperam dicere, primam Astrologorum sententiam omnium minimè esse ferendam; duobus potissimùm argumentis, quæ jam explicabo.

Primùm, facile est ipsis dicere, Conjunctio magna trium Planetarum incendit hoc sidus; at nunquam fortasse perpenderunt, quàm difficile sit hoc explicare. Si sidus hoc in nostro aere suspensum fuisset: poteram ex ipsis quærere, quid commune sit illis perennibus sideribus cum hoc nostro aere, tanto intervallo ab illis distincto. Nunc stella hæc infinitis propemodum partibus fuit à Planetis in superiora remotior, quàm tellus nostra versus interiora mundi ab ijsdem recessit. Multò itaque potiori jure quæro, quid commune sit Planetis cum illa nova stella, quæ inter fixarum terminos constitit. Ut taceam axioma Physicorum, quæ non inferioribus in superiora, sed his potius in illa tribuit actionem. Quid verò de mole dicam novi sideris? An est cuiquam verisimile, à musca gigni posse Elephantum? Nisi fortè hoc dicturi sunt ut à minimâ scintillâ, maxima vis pyrij pulveris subitò inflammatur: sic hìc quoque nihil obstitisse corpusculorum Saturni, Jovis, Martis exilitatem, quominus immanis illa moles subitam ab ijs lucem conciperet tota undique. Hoc verò non est gignere, sed incendere. Quæram igitur & quis alius tantùm materiæ in illum locum inter fixas congesserit; & quis ignitam prius atque inflammabilem reddiderit; denique quibus manibus, quo baculo, quo rivo, seu (ut idiotismo utar Teutonico) quo currente igne pervaserit flamma à Planetis per immensa spacia ad illam fixam; quia sine contactu vel flammæ vel æstus nihil ab altero inflammatur. Nisi fortè unus è tribus Planetis Crystallum secum attulerit Joannis Bapt. Portæ, quo is in infinitum comburere pollicetur. Equidem in tanta vanitate multorum, qui Philosophi nomen arripiunt, non est incredibile extituros, qui hoc incendium incendijs specularibus rerum distantium comparare velint: contenti aliquid vulgo admirabile, insolubile, & verbotenus verisimile dixisse. At vide si & arsit novum sidus; & conflagravit, ne & Planetæ eodem igni, quem sideri communicârunt, conflagrent denique.

Sed ex-

Sed excipient fortaſſe, non ſe Planetarum congreſſum per modum incenſionis, cauſam ſtatuere ſideris. Dicant igitur, per quem alium modum id ſtatuant accidiſſe? An ita Mars cum Saturno & Jove congreſſus eſt, dum hoc ſidus gigneret, ut vir ſolet cum uxore? Itaque non tantùm Planetas deſertis ſuis limitibus ad eundem diametri mundanæ locum, nempe ad contactum corporum coijſſe oportuit: ſed & ſidus eodem ex loco tanquam ex utero materno progreſſum, in ſummum ætherem aſcendit? Quæ omnia refutat Aſtronomica diſciplina. *Stella non eſt ſoboles junctorum Planetarum.*

Ad radios igitur confugient, quibus dicant ſimile quippiam contingere, quod ſolet corporibus; ut copulati & in unum permixti efficaciam nanciſcantur ad aliquid progignendum. Jam ſupra hanc rationem Plotinus apud Picum exploſit: nos tamen agamus mitius, concedamus illis ſua principia. Si per colligationem radiorum naſcitur novum aliquid: ibi loci naſcetur, ubi colligati. At nunquam non colligati binorum Planetarum radij, nunquam non locus oſtendi poteſt inter fixas, in quem influant radij ſic copulati. Notum eſt axioma Geometrarum, quæcunque duo puncta (centra Planetarum) una recta connectere; quamcunque rectam in infinitum (ad fixas uſque) educere. *Nec aduenatorum radiorum.*

Et, ſi de trium copulatione ſatagitur; toties eſt locus inter fixas, in quo trium radij ſint conjuncti, (etſi in terris videantur ſeparati) quoties contingit tres Planetas in eandem rectam cadere, quod fit non rarò. Cur ergo nulla ijs locis & temporibus oriuntur nova ſidera? Imò verò non eſt ortum hoc novum ſidus aliquo fixarum loco, vbi eſſent copulati radij neque trium, neque duorum. Nam docet Optica, ſi quæ corpora ſunt in eâdem recta, nunquam ea aliter ex centro mundi, niſi in eadem recta videri. At Jupiter lineâ ex Marte in novam fuit initio orientalior, Saturnus occidentalior.

Jam igitur neque applicatio radiorum ſervit Aſtrologis pro modo, quo genitum fuerit hoc ſidus. Supereſt, ut credamus, nullum omnino idoneum inveniri poſſe modum, quo intelligamus, Planetas hos conjunctos, ſeparatim & ſolitarios, nullo interventu cauſæ ſublimioris, progreſſos eſſe ad ſidus novum gignendum.

Explicandum nobis eſt ſecundò, quomodo Aſtrologi rei naturali, qualem faciunt novam ſtellam, aſſignent cauſam non naturalem. Id verò ex ſuperioribus aliquot capitibus eſt perfacile. Conjunctio & omnes aſpectus ſunt ex genere relationum. At relationibus per ſe, ſine interventu mentis, nulla eſt efficacia ad gignendum aliquid. Sed illu- *Conjunctio per ſe non eſt efficiens naturale.*

illustriorem reddit hanc refutationem doctrina Copernici. Relatio namque illa terminatur ad terram (quæ per cœlum vagatur), non ad fixum mundi centrum. Nam qui oculum posuisset in centro mundi: vidisset is, quo die sidus effulsit, Martem jam in fine Capricorni, Jovem ultra quidem locum conjunctionis, intra fines tamen Sagittarij, longissimè distantem à Marte. Quæ itaque à nobis celebratur conjunctio Jovis & Martis: ea fuit sic visa in sola terra. Eripe nobis conditionem hanc, situs oculi in Terrâ; conjunctionem eripueris. Itaque inter fixas quidnam gignetur ab eo, quod apparet nonnisi ex terra. Nam à fixis si quis despiceret in regionem Planetarum: omnes vel evanescerent, vel eodem globo juncti, brevissimis spacijs circumire cernerentur; certè sæpissimè junctiores & propiores viderentur, quàm tunc cùm sidus effulsit, videri potuère.

Habeatur itaque pro certo, impossibile esse, ut sola Planetarum conjunctio concurrerit ad gignendum novum hoc sidus.

Quod verò prædictiones attinet Cometæ; respondet Joannes Weidnerus Medicus eruditis versibus in hunc modum:

At si quis Jovis ac Martis congressa duorum
Astra Planetarum, imberbem genuisse Cometam,
Prædictumq; sibi magno contendat hiatu,
Astrologaster iners: centum opponemus eidem
Erronum coitus nullum genuisse Cometam:
Vera loqui casu, mendacia mille locutum.

Itaque nisi quarta Theologorum sententia vicerit, casus sibi vindicabit concursum sideris cum conjunctione magna.

II. Stellam non casu incidisse in cœtum Planetarum.

At non minus nobis cum Epicuri sententiâ pugnandum existimo, (nam quid ni liceat πρὸς τὰς εἱρωνας ἀντειρωνεύειν); quæ cæco casu, tesserarumque jactibus, concinnius fortasse, quàm Epicurus ipse fortuitis atomorum oberrationibus, ad eundem tamen scopum tendit; ut admirationem demat hominum animis: quâ ereptâ omnis una metus, omnis sinistra ominatio, omnis denique fama prodigij extinguitur: & illud obtinetur, ut hoc quod datum est homini, breve vitæ tempus, in hilaritate & suavitate, curis exclusis, collocetur; & quo certius imminet malum, hoc diligentius prior quæque dies imminentis crudelitati, quasi furtim erepta, in triumphum cedat animo, hostis sui instantis & minantis procaci contemptori:

Viva-

Vivamus mea Lesbia atque amemus,
Rumoresq; senum severiorum
Omnes unius æstimemus assis.
Soles occidere & redire possunt:
Nobis cùm semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.

Me verò si rationes hujus sententiæ planè constringerent; tamen ipsa religio fuit extimulatura ad nodos dissolvendos. Primùm enim malè vivitur; quòd si simul & hilariter; nequam hilaritas sit oportet: nequam igitur disciplina, quæ hanc hilaritatem sancit, tuetur, poppysmisque suis instigat. Da vitæ sanctitatem, ratio sobria erit, & ut aberret à vero; saltem innocua, imò proficua. Sic enim & Christus Deus gentem suam solatur, metum prodigiorum demit, sollicitudinem de crastinò, eam quæ cor edit, longè esse jubet; non quòd nihil immineat malorum gentibus: sed quod Deus singularibus rebus intimus interveniat, suis præsidio sit, hilaritatem ipsorum amet; at non stultam illam, quæ in seipsa, sed quæ in Deo glorietur. Illam enim gloriationem crastina fortasse dies in fumos aget; hanc nemo auferet ab eis.

Non esse tutum, extenuare prodigium hoc.

Deinde movet me & Dei respectus. Fatentur omnes perculsos esse animos hominum rei novæ in cœlo micantis aspectu; quam si vel casus vel natura tulit, ut nasceretur: eadem etiam tulit natura, ut homines in sui admirationem raperet.

Qui ergo Deum Mundi authorem fatetur, cùm & totius naturæ ordinem, & omnia ejus opera singularia, nimirum hanc quoque stellam, & quæ hanc consequitur, admirationem hominum, eidem Deo transcribat: equidem hoc non metuet, ut Deus ille, hujus prodigij hoc modo constitutus author, irascatur huic hominum admirationi. Qui verò vel Deum omnem negat cum Diagora, vel ipsum Mũdum Deum facit cum Pythagoræis veteribus, vel cum ipso Epicuro, curam rerum nostrarum ab eo aufert; ille multò minus causæ habebit, cur homines ab hac novitatis admiratione dehortetur.

Itaque certum esto non offendi Deum celebratione tanti prodigij. At vicissim metus ingens, ne forsitan offendatur Deus, ejusdem extenuatione: quorsum viam affectat hæc sententia, per suos tesserarum jactus. Non sum delapsus ex consilio Deorum, nec certum affirmo; sed tamen quid si non rerum natura tulerit, ut hoc sidus nasceretur? Quid si Deus

si Deus ex destinato, extra ordinem, peculiari consilio capto, miraculum hoc hominum oculis exposuerit, hunc eorum attonitum stuporem quæsiverit deditâ operâ? scilicet ut eos admoneret? Quid tunc ei dicturus sim, si quæ ipse magna videri voluit, ego extenuem: nimirum si quæ sunt in hoc sidere admiranda, ad casum retulerim? Nam etsi per superior aliquot capita hoc egi, ut modum invenirem, quo Natura ipsa ederet hujusmodi sidera: res tamen ad Deum redit, naturæ authorem; & ipso sideris ortu naturæ ordinariæ transcripto, relinquebatur tamen locus Deo, in concinnandis loci & temporis circumstantijs.

Definitio casus. Casus verò quid est? Nimirum idolum est detestabilissimum, & nihil aliud nisi contumelia summi & omnipotentis Dei, & quem ille condidit, Mundi absolutissimi: Cui motus cęcus & temerarius est pro anima, chaos infinitum pro corpore. Huic & æternitas, & omnipotentia & Mundi creatio, Dei propria, transcribuntur nefariè.

Casus quid possit. Age igitur, experiamur in hujus sententiæ rationibus. Demus ei æternitatem, & quæ alia requirit ad suos tesserarum jactus. Num ideò effecerit omnia? Non dicam illud, nihil ex inanimo, casu animatum fieri; neque illud, ex simili simile casu nequaquam nasci posse: nam hæc nihil ad nostrum sidus. Illa sumam, in quibus maximè casus dominari intelligitur, geometricas figuras, numerosq; innumerabiles, & projectilia multilatera. Dicit igitur hæc sententia, si jactus infiniti fiant inde ab æterno, necesse esse, ut casus omnes, qui sunt possibiles, eveniãt. Ego verò dico, falsum hoc esse. Nam si casus inter jactus dominetur fortuitus, interq; jactuum cadentias: certè uno quolibet jactu poterunt cadere omnia; itaq; & illa quæ antea ceciderant. Quæ si cadant, non cadent igitur alia, non illa, quæ nondum ceciderant: ita fieri potest quamvis infinitis jactibus, ut aliqua, quæ cadere possibile, non cadãt: non igitur necesse, ut omnia cadant. Ita casu etiam admisso, nunquam tamen certum erit, an sidus hoc casu in locum conjunctionis magnæ inciderit. Poterat enim casus hoc præstare, poterat etiam non præstare. In incerto relinquimur. Quanquam Q. Cicero libro 1. de divinatione negat fieri posse unquam, ut veritatem perfectè casus exprimat. Olim in adolescentia, cùm abundarem ocio, delectatus sum ea vanitate, cujus multos adultiores non pudet: Lycophronti Chalcidensi Poëtæ attribuunt: literis nominis mei Græcis transcriptis variè, effeci tandem sententiam certam, ut pro Ἰωάννης Κεπλῆρος, legeretur Σερπέων κάπηλος: Et Latinè, Joannes Keplerus, sonat per transpositionem, Serpens in akulco: Sed cùm non placeret sensus, cuperemque alium, nec tamen succe-

ſuccederet: rem fortunæ commiſi. Chartas luſorias, æquali cum literis numero, ſingulas ſingulis inſcripſi literis: Inde cœpi miſcere chartas, & ad ſeriem earum identidem reſpicere, ſi quando ſenſus aliquis prodiret. Dij deæque Epicureæ omnes perdant hunc caſum, qui mihi nihil unquam ne eminus quidem oſtendere potuit, quod ad ſententiam aliquam alluderet, cùm plurimum temporis eriperet. Et erat tamen inter caſus poſſibilis, ut prodiret illa à me inventa ſententia, Σεμνὸν κάππα λ. Itaque chartas meas Æternioni Epicuréo tradidi in Apirum deportandas: feruntque ibi illas adhuc inter Atomos volitare confuſiſſimè, nullius dum ſenſus certas.

Dicam γυναικὸς meis diſputatoribus ſententiam non meam, ſed uxoris meæ; idque ideò, quia inductus ipſorum rationibus jam modò conceſſi, ordinem caſu effici poſſe, quod non videtur meæ: ut igitur me doceant, ſententiam à ſe ſuppeditatã, contra moleſtum & gravem hunc adverſarium defendere. Heri dum feſſus à ſcribendo, animoque intus pulverulento ab atomorum iſtarum conſiderationibus, ad cœnam vocor: apponit mihi ea, quam dixi, acetarium. Ergo, inquam ego, ſi toto aere confertæ volitarent patinæ ſtanneæ, folia lactucæ, micæ ſalis, guttæ aquæ, aceti, olei, ovorum decuſſes, idque ab æterno duret: futurum eſt tandem aliquando, ut fortuitò tale coëat acetarium: reſpondit bella mea: Sed non hoc decore, neque hoc ordine.

Miſer ego, quid afferrem ad ſententiæ meæ defenſionem? Viſa eſt veriſimilia dicere. Nimirum ab ipſiſſimo Cicerone didicit. Sic enim & ille caſui largitur *Figuram aliquam non diſſimilem veræ, ſed certè non talem, ut eam factam à Scopa diceres.* Magna eſt fiducia mentis, ubicunque apparet ordo: cujus rei cauſa ex penitiſſimis Geometriæ fontibus petenda eſt. Quod ſi etiam caſu efficeretur aliquis ordo: tamen huc ſtatim convolant mentes, hæc ipſarum delectatio, hæc vita. Ad mille caſus informes torpidæ, ad unum ordinatum ſtatim expergiſcuntur, vigilant. Itaque ne quidem, ſi caſu ſtella in Planetarum concilium incidit, propterea nihil hoc efficit: quin omnis mundana natura, & quicquid uſquam eſt mentale, ſeu rationis agitatione ſeu inſtinctu perenni ſuffultum, vehementer eo commovetur: ſoli hi Philoſophi, quibus pro ordine placet confuſio, qui mundum pulcherrimum inter inamœnas atomos abjecerunt, hoc ſunt meriti, ut pulchritudine & congruentiâ hujus, quem dicunt, caſûs, nec ipſi moveantur, nec alios delectari patiantur.

Sed non hoc agebamus, ut pulchritudinem caſus commendaremus,

mus, verùm ut ipsum casum everteremus. Itaque quod dixi, non esse certum, etiam æternitate concessa, ut eorum quę cadere possunt, omnia cadant; id multò maximè tunc apparet, cùm hisce lusoribus multiplicantur sua projectilia. In tesseris usitatis non est mirum, omnia promiscuè cadere brevi: binæ enim esse solent, singulæ sex laterum: itaque casuum formæ non plures viginti & una. Cùm verò plura adsciscuntur projectilia, casuum formæ in immensum augentur: multoque maximè in consideratione rerum naturalium; in quibus ipsa etiam tempora (quæ quis cupiat adsciscere, ut sit spacium, quo cadere possint omnia), seipsis augent numerum projectilium. Ita nunquam satis potest accipi temporis, ut omnia cadant; brevis est omnis æternitas ad casuum possibilium multitudinem: quia quo hæc longior, hoc illi plures infinitis vicibus; Πόνῳ πόνῳ πόνον φέρει. Vide quid agant, qui quæ ordinatè eveniunt, casui tribuunt: paucis principijs nihil efficiunt, ut in meo exemplo, ad acetarium non sufficit patina & lactuca: principia verò si multiplicent, æternitatis suæ vim omnem, infinita casuum multitudine, omnem æternitatem præcurrente, eludunt.

Etiam casus tesserarum à suis causis gubernatur.

Denique si casus ille, cujus vi putant effici pulcherrima & ordinatissima quæque, sic est comparatus, ut tesserarum jactus: improvidi sunt, qui hos planè fortuitos, hoc est ἀναιτίους esse putant: sin autem suum casum omni causa privant, nondum ejus exemplum dixerunt in tesseris. Quare hoc jactu Venus cecidit, illo canis? Nimirum lusor hac vice tessellam alio latere arripuit, aliter manu condidit, aliter intus agitavit, alio impetu animi manusve projecit, aliter interflavit aura, alio loco alvei impegit. Nihil hìc est, quod suâ causâ caruerit, si quis ista subtilia posset consectari. Hoc modo si etiam stellæ nostræ suas in natura causas relinquant, cur hoc tempore, hoc loco, effulserit, licet separatas ab ipso Planetarum congressu: jam igitur transfugerunt ab Epicuro ad Aristotelem: itaque aliter etiam cum illo tractandi sunt.

An materialis necessitas stellam junxerit Planetis.

Hactenus enim refutavi tertiæ opinionis eam partem, quæ casum ex Epicuri sententia definiebat. Quod verò alteram partem attinet, quæ casum non à defectu omnium causarum, sed à concursu eventuum descripsit: equidem talia superioribus aliquot capitibus disputata sunt: ut posito, quòd stella sit naturæ opus, illi sententiæ hoc etiam in exemplo subscripturus fuerim sine exceptione, si sidus hoc novum, solum tempus magnæ conjunctionis occupasset. At quia simul & locum occupavit quoad visum, eandem in suspenso relinquere cogor, utrum

utrum natura ipsa cœli extimi ita comparata fuerit, ut hoc potissimum tempore & loco stellam novam ederet: an simul etiam cum conjecturalibus illis, quibus secunda placet sententia, causa præterea certa, ipsius etiam concursus sit investiganda. Tertia namque sententia, singulas res seorsim ex suis deduxit causis, congressum Planetarum ex Astronomia; ortum sideris ex Physica. Secunda verò concursum ipsum rerum harum diversarum in loco & tempore, vindicavit novæ alicui causæ procuratrici. Et quia tertia opinio deficit in causa invenienda speciali, cur in hoc loco 18 gradu Sagittarij, cur item hoc tempore, scil. anno 1604. 10. Octobris, oriretur novum sidus: etsi forsan aliqua esse potest; tamen quia nobis illa occulta: magis igitur inclino ad opinionem secundam; ut dicam, inquirendum, qua ratione factum, ut congressus iste Planetarum, qui factus est eodem loco & tempore, cùm per usitatam naturæ viam (ut in primæ sententiæ refutatione dictum) non posset; tamen nobis hanc stellam hoc loco constituerit? Et quarta quidem sententia causam subministrat, Θεὸν ἀπὸ μηχανῆς; sed tum demum, ubi nos omnia naturalia defecerint.

Conflictus igitur sententiarum trium oritur acerrimus: Primùm enim dubitatur, concursus iste novi sideris cum Planetarum copula, consectarium sit, an quæsitum quippiam; & quia verisimile, quæsitum quippiam esse: amplius dubitatur, naturàne hoc quæsiverit, an Deus ipse extra ordinem? Rursum autem quia difficile creditu, naturam tantùm posse; temerarium verò, Deo ista tribuere, propterea quòd sic ipsum in leges Astrologicas trahimus: animus in angiporto non pervio constitutus, revertitur ad pristinam sententiam, quæ non consilio procuratum hunc concursum; sed materiali necessitate consecutum asserebat. Multa quidem diximus in superioribus de causis naturalibus, quibus hoc sidus effectum esse, consentaneum fiat: quæ qualescunque sint, jubent nos considerare Theologi, ne quid nimis ijs tribuamus. Et videntur argumenta esse, quibus persuadeatur nobis, altius munus esse, providere ut novum sidus in congressum Planetarum incidat; quàm ut naturæ, hoc est illi spiritui totius universi, tribui possit. Primùm enim potentissimum esse hunc spiritum necesse erit; ut qui ad gubernacula sedeat naturæ cœlestis, ejusque vim ita moderari possit, ut quæsito loco & tempore talem partem enitatur. Deinde & scientia amplissima requiritur; nimirum ut provideat, qui qualésve congressus Planetarum ex hac nostra Tellure apparituri sint, & secundùm hanc præscientiam jus suum in cœlum extimum exerceat. Quis est igi-

An Deo transcribenda hæc copula, an Naturæ consultanti?

est igitur ille, cujus scientia Tellurem, potentia cœlum extimum complectitur? Denique eximiè bonum & φιλάνθρωπον evincit finis, ad quem hæc providentia contendit. Cui enim creaturæ propositum existimas hoc spectaculum? Num alicui cœlesti? At dictum est in primæ sententiæ refutatione, nuspiam Mundi, nisi ex sola terra, visum esse sidus Planetis associatum. Num igitur alij alicui terrestri creaturæ propositum est hoc spectaculum, præter hominem?

His igitur argumentis evinci videtur: siquidem quæsita sit hæc congruentia loci & temporis, nemini eam, nisi soli DEO transcribi posse.

Pro secunda sententia conjectantium de Natura.

At contra, non trahunt hoc in controversiam conjecturales illi Physici, Deum esse summam & primam causam rerum omnium; sed contendunt hoc solum, medio ad hoc sidus efficiendum, usum esse ordinario: nec ideò Deum effici ex illo suo Spiritu, per totum Mundum meanti, si maximè illi & hanc scientiam, & hanc potentiam, & hanc bonitatem tribuamus. Primùm enim finitum est cùm hoc opus, tum universus adeò Mundus: finita igitur potentia, quæ hìc exseritur: Dei verò virtutes omnes infinitæ.

Deinde nec qualitate supra creaturas sunt ista: Quod enim scientiam Astrorum attinet, certissimè demonstrari potest, universæ Astronomiæ, qualis apparet in Terra, impressionem & perceptionem, citra quidem discursum, inesse naturæ rerum sublunarium, & facultatibus naturalibus, tam quæ in terræ visceribus, quàm quæ in animantibus insunt. Quid mirum igitur, si eadem & illi per omnia meanti Spiritui tribuamus? Potentiam verò ejusdem, dum cœli amplitudine metimur: rursum humani quid patimur, quibus cœlum ob solam magnitudinem est admirabile, cùm nos ob exiguitatem simus contemptibiles. Mihi quidem multò nobilior facultas homini videtur tributa, cæterisque animantibus, gignendi sibi simile, propter infinitam membrorum omnium ad finem suum ordinationem, quàm hæc est cœli potentia, ad conglobanda excrementa cœlestia, in unam stellæ novæ figuram. Nec refert, in quantum spacium, à terra nimirum, in cœlum usque, diffusa sit hæc facultas. Nam si ne corporibus quidem, quod supra dictum, auget æstimationem moles congenita, quantò minus animalibus facultatibus id præstabit hæc adventitia amplitudo?

Denique qui metuit, ut Deum efficiamus, qui hominibus faveat: is in Theologia fortè non satis versatus esse videbitur: ut qui non legerit, *Creaturas omnes ingemiscere in exspectatione revelationis filiorum Dei.*

Dei. Nec vereor, ne redarguar eo, quòd occasionem præbeam Philosophis hodiernis, ex hac facultate, quæ pars est Mundi, Deum denique faciendi. Philosophentur illi ad delirium usque, quorum antecessores, quibus non rebus divinos honores ascripserunt, aëri, aquæ, Oceano, cœlo, sideribus aspectabilibus? cùm interim & inanima hæc nonnulli crederent. Christianis constat, spirituum beatorum, qui ab omni mundano corpore liberi sunt, innumerabiles esse exercitus, sanctitate admirabiles, dignitate hoc spiritu, qui corpori mundano naturæ quodam vinculo astrictus præest, longè præstantiores: & inter hos, graduum discriminibus sublimiores quosdam, principatus glorioſissimos, potestates pollentissimas: Et tamen omnibus hisce sublimiorem agnoscunt Deum, & sui & illorum omnium conditorem. Ita lego in Prudentio, & emendandum puto:

Jussum est Cæsaris ore Gallieni:
Quod princeps colit, hoc colamus omnes:
ÆTERNVM COLO PRINCIPEM DEORVM,
Fictorem Dominumq; Gallieni.

Fatetur cum Augustino, Deorum titulum in sacris literis tribui sanctis etiam Angelis: sed agnoscit unum illorum creatorum principem æternum & increatum, quem & Scriptura appellat Deum Deorum (nam cur hîc *dierum factorem* potissimùm celebret, ratio nulla apparet): Nec vult colere, quod fingit princeps; sed summum principem; eum nempe, qui non est fictus à Gallieno, sed qui finxit Gallienum; non qui Gallieni Domini jussu nobis imperetur, sed qui Dominus ipse sit Gallieni Domini.

Hæc igitur afferre possit aliquis, ad causam Naturæ defendendam; novi hujus sideris copulationem cum conjunctione magna, vindicans illi Spiritui, totius Mundi campos permeanti.

At ita me Christe, ut omnibus excussis ratiocinijs mihi ipsi non satisfacio. Et de potentia quidem & bonitate mediocriter; de scientia verò mirum quantum desit. Esto enim, ut insit Naturæ sensus conjunctionis Planetarum: num igitur eidem & cognitionem tribuemus eorum, quæ de conjunctionibus Planetarum homines innumerabilibus libris perscripserunt? Num accipiemus & hoc, Naturam hoc sidere, velut charactere ostenso, nobiscum hominibus loqui voluisse? Aut si hoc absurdum; dic igitur mihi, conjectator physice, cui bono Natura stellam in altissimo æthere, aptavit ad ea, quæ videbantur non in

altissimo & vastissimo æthere, sed in humilima & angustissima hac Tellure? Quicunque affirmat destinatum opus esse, conventum sideris cum Planetis junctis, saltem sic, ut juncti Planetæ objectum fuerint, movens occultum Naturæ sensum; idem aliter se non expediet, nisi ut eidem Naturæ & intellectum scripturarum nostrarum astrologicarum, & commercium occulti figuratique sermonis tribuat. At hæc tribuens, discursum ratiocinationis eidem tribuit: rationalem itaque spiritum effecerit. At supra protestabatur hæc sententia, se vindicare Naturæ sensum Astronomiæ, non discursu acquisitum, sed lege creationis instinctum.

Quicquid igitur expedierit conjectura Physica machinarum, de suæ disciplinæ penu: adhuc Deo architecto opus est, cujus consilio stella in concilium Planetarum veniat.

Esto etiam, quòd quærit conjectura, sufficiat Natura huic coaptationi: quis negabit penes Deum ipsum nihilominus esse moderationem totius rei, qui Naturâ à se conditâ, utatur ministrâ. Nonne infinitis rebus quotidie evenientibus, quâlibet ex sua causa naturali, locus tamen providentiæ divinæ relinquitur, cùm in alijs, tum præcipuè in exercenda vindicta scelerum; quâ efficitur, ut id cadat, quòd non solùm antegressis in natura causis, sed etiam justitiæ divinæ sit consentaneum. Quare horrenda internecione deleta est à Romanis, Politia Judaica, sepulta urbs Hierosolyma? Si ex Josepho belli Judaici scriptore quæras, respondet is tibi, Judæos invitos à Romanis pertractos ad bellum. Vera narrat, si naturæ ordinem spectes; consurgit hujus eventus causa geminâ serie. Nam ex parte Romanorum erat dominatus licentia, injuriæ, insultatio, superbia Cæsarum, imperij fastigium, mos antiquus cum ipsa gentilitate ortus, deificandi homines, statuas, aras, templa, sacerdotes dedicandi: adde armorum conscientiam, gloriæ cupiditatem, morem pessimum lacessendi finitimos, vel etiam subditos, ut esset legionibus, quo exercerentur, Imperatoribus materia triumphi. Ex parte Judæorum erat fiducia Dei, legum authoris, numerosa gens, urbs munitissima, templum sanctissimum, gentis antiquitas, pertinacia in defendendis ritibus & religione templi, vaticinia vetera & nova, Pseudoprophetæ. Qui diligenter utraque consideraverit, interque se comparaverit: fatebitur usitato rerum ordine factum, ut Hierosolyma everteretur à Romanis. At ecce Deum vindicem innocentissimæ necis Christi Dei, medijs immistum rerum singularium causis, aptantem & collidentem pugnantes gentium mores; quæ antea

si non

si non quiet: mitiùs tamen degebant: qui ut hanc vindictam citra magnam naturalium causarum turbationem exerceret, quadraginta totis annis occasionem exspectavit: & ne fortuita videretur, totidem annis antè prædixit, se hoc modo gentem ulturum. Ad eundem modum & hic, utcunque Natura protulerit hoc sidus, ad Deum tamen rei summa denique redit.

Quanquam, quid istis argutijs opus est? aut quodnam piaculum, si quod Natura fecit, Deum fecisse dicamus? Nunquid hunc morem loquendi docuerunt nos sancti DEI Vates? Quid est rerum naturalium seu cœlo seu terrâ, quod non ad Deum ipsum referatur? Semen, liquida & alba substantia, postquam incidit in uterum: ejusdem facultate formatrice, quam naturalem & perpetuam scimus, coagulatur: atque ita denique animal formatur. Quid verò divinus Jobus de suo ortu? *Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti?* Ait ille, non ad matrem suam, sed ad Deum, & suum & matris & totius naturæ authorem. Nimirum non censet ille meruisse naturam, ut in ejus contemplatione multâ cum admiratione versetur: sed illum potius miratur, *qui dixit & facta sunt, qui mandavit, & creata sunt.*

Ut igitur vel tandem hoc tam anxium examen opinionum finiam; cùm conjecturam physicam Theologica sententia absorpserit, sibique totam acquisiverit: duæ solæ restant opiniones. Aut enim dicendum est, locum & tempus novi sideris, cum conjunctione magna Planetarum nullum habere commercium, sed fortuitò (in sobrio sensu) evenisse, ut concurrerent stella, & Planetarum copula, quælibet ex suâ orta causâ: Aut quia, quem dixi, locum in 18 Sagittarij, & tempus anno 1604, 10. Octobris nulla verisimilitudine transcribimus causæ non apparenti, cùm præstò sit apparens conjunctio Planetarum, quæ se pro causa offert: dicendum igitur hoc alterum, quod securissimè & plenâ fiduciâ pronuncio: associatum esse novum hoc cœleste prodigium ab ipso omnipotente DEO, tribus Planetis, Saturno, Jovi & Marti, tunc conjunctis, certo consilio, ad hominum salutem directo. Hic enim Deus ille est, cui nihil in Mundo neque magnum neque exiguum, cùm omnium ipse unus author sit: qui genus humanum, in his contemptissimæ glebulæ angustijs habitans, suam tamen nihilosecius imaginem, præfert cuicunque stellæ, si vel centies millenis vicibus illa totius orbis magnitudinem excederet. Qui ût locum & tempus magnæ conjunctionis trium superiorum hoc veluti monumento ad perpetuam rei memoriam, & ad commonefaciendum genus

humanum de rebus maximis, ſignaret: nulla ſollicitudine, nullo labore, nulla fatigatione indiguit, ut tale quid crearet, quod à terricolis in forma tantæ ſtellæ cerni poſſet. Quam ad rem ſive Naturâ fuerit uſus miniſtrâ, ſive hunc veluti radium extraordinariæ omnipotentiæ exſeruerit; utrinque illud verum eſt: *Ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt.* Ipſe enim ſi Naturæ dicat, Gigne; Natura antèa mortua ad gignendum, facultatem animalem accipit, acceptâque gignit. Ipſum ſupplex precor, ſi tamen hoc fas precari; ut ſiquidem res ipſi grata eſt futura, mihi quoque imperet, enarrare hominibus, quid ſibi velit hæc ſtella, hæc nimirum DEI digito in ſummo cœlo exarata litera. Quod meum votum ſi ratum ab eo haberi certus eſſem; nihil dubitarem, quin de ipſius gratia protinus & hoc ipſum poſſem, quantumvis puer jam ſenſu, & tantorum ignarus myſteriorum: itaque cum Regio Pſalte exclamare liberet: *Non moriar, ſed vivam, & narrabo opera Domini.* Sin autem hic me non reſpicit; neque tamen tanti facit id, quod reſiduum eſt, hujus laboris, (quod alio tempore, alio loco, & niſi me fallunt ſpes meæ, his ijſdem nundinis Francofurto prodibit) ut illud impedire, propoſitumque hic meum evertere dignetur: eja ſit *Deus ſolus verax; omnis verò homo*, adeóque & ego, & hæc mea, quam meditor, interpretatio hujus prodigij, *mendax: ut non glorietur omnis caro. Ipſe enim eſt, cujus ſimilis nemo; qui ſolus vocat, & quæ futura ſunt, annunciat: Irrita faciens ſigna divinorum, & ariolos in furorem vertens: Convertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens. Et ipſe mutat tempora & ætates, transfert regna atque conſtituit: dat ſapientiam ſapientibus, & ſcientiam intelligentibus diſciplinam. Ipſe revelat profunda & abſcondita, & novit in tenebris conſtituta; & Lux cum eo eſt.*

Eſa. 44. v. 7. & 25.

Dan. 2. v. 21.

v. 20.

Sit Nomen DOMINI benedictum à ſeculo, & uſque in ſeculum; quia ſapientia & fortitudo ejus eſt.

JOANNIS KEPPLERI

Sacræ Cæsar. Majest. Mathematici

DE

STELLA TERTII HONORIS IN CYGNO,

QUÆ USQUE AD ANNUM M. DC. FUIT INCOGNITA, NECDUM extinguitur,

NARRATIO ASTRONOMICA.

AD

ILLUSTREM ET GENEROSUM DN. DN.

JOANNEM FRIDERICUM HOFFMANNUM, L. B. &c. SAC. CÆS. MAJEST. à Consilijs Aulæ Imperialis, &c.

PRAGAE,

Ex Typographia PAULI SESSII.

ANNO M. DCVI.

Illustri & Generoso Domino, D N.

JOANNI FRIDERICO HOFFMANN,

L. B. in Grüenbühel, & Strechaw,
Domino in Newen-scheel-hoff,

Ducatus Styriæ Provinciali Aulæ Magistro hæreditario, nec non Provinciarum Austriæ & Styriæ Mareschalco hæreditario,

SAC: CAES. MAJESTATI

A Consilijs Aulæ Imperialis, & Burggravio in Steyr,

Sereniss. Archiducis Austriæ MAXIMILIANI, &c. Camerario,

Domino & Mecœnati meo gratiosissimo.

QUARTUS hic annus est, *Illustris & Generose Baro, Mecœnas inclyte, ex quo primùm ad nos Pragam fama Novæ stellæ in sidere Cycni exortæ pervenit. Erat tunc recens nobis dolor ex acerbo funere summi viri, Tychonis Brahei, Astronomiæ instauratoris celebratissimi; quem cùm alia multa, tum hoc quoque reddebat acerbissimum; quòd ab illo tempore preciosissima illa supellex instrumentorum Astronomicorum, quæ Braheus in Bohemiam intulerat, quodam inextricabili fato, claustris & obicibus positis delitescebat in tenebris.*

Itaque cùm eorum usus esset mihi intercluſus; tua tamen liberalitate paulò antè provisum erat meæ inopiæ. Nimirum prævideras jam antè, divino quodam instinctu, quorsum res Astronomiæ, hoc magistro destitutæ, olim vergerent: itaque vivo etiamnum Braheo, & vix annum in Bohemia versato, partem curarum ultrò in te transtulisti;

listi; me in hunc luctuosum eventum prudentissimis verbis instruxisti; denique Quadrantem azimuthalem, & Sextantem, ex ferro hunc, illum ex orichalco, tuis sumptibus, ad imaginem Braheanorum conformatos, nonnullo sumptu comparasti: quæ instrumenta, Braheo mortuo, paulò prius quàm de stella audissemus, meis usibus abs G. Tua permissa, possidebam.

Quæ itaque in hac stella hisce tuis instrumentis observaveram, quæq; de ea dicenda essent Astronomo; illo anno perscripta, & paucis aliquibus communicata, cogitabam edere, Tuoq; Nomini dedicare; quam promissionem meministi me coram facere. Non quod ex hac tenuissima scriptione splendoris aliquid Illustri tuo Nomini accessurum sperarem; sed quia maximoperè ad meam existimationem pertinere arbitrabar, primo quoque tempore, documentum edere publicum, meæ in G. Tuam gratitudinis. Etenim si omnem mei meorumq; fortunæ seriem animo pererrarem: nulla in ea pars, nullus articulus occurrebat, quem non connexum fortissimè firmasset Tua unius Beneficentia. Ac ne multis in brevi charta: Poteram tunc jure quodam efferri magnificè, & cum Æolo Virgiliano exclamare:

> Tu mihi quodcunque hoc regni, tu sceptra Jovemque
> Concilias, tu das epulis accumbere Divûm,
> Nimborumque facis tempestatumque potentem.

Hæc cùm sic essent: nihil erat quod potius facerem; quàm ut illum, qui primus à morte Tychonis tunc mihi libellus nascebatur, Tuo Nomini dicarem; ut ad quos Tuæ in juvanda re Astronomica Providentiæ fructus esset perventurus; eorundem vicissim & in Illustre tuum Nomen redundarent præconia.

Quid causæ verò fuit, cur id quod erat destinatum, intermitteretur? Quam excusationem satis probabilem afferre Tibi potero?

Nimirum finem exspectare volebam novi Phænomeni; intereaq; ad præcipuos Mathematicos scripsi, collecturus ipsorum suffragia.

Cùm autem neque stella extingueretur, nec ea promptitudine responderent Mathematici, quam sperabam: tempus interea lapsum est; donec post biennium & amplius, ingens illa nova stella, qua de

hoc li-

hoc libello egi, effulgeret in pede Serpentarij: cujus miraculi magnitudo, cùm luculentam aliquam disputationem poscere videretur: æquum videbatur, ut parva Cycni stella, novitatis non adeò confessæ, sicuti claritate cedebat nuperæ illi in Serpentario, sic locum etiam ei primum in libro, disputationisq; capita concederet: ipsa si quid haberet peculiare, cognituq; dignum, ejus explicationis locum in libri calce nanciscereturr.

Etsi igitur hunc in modum jejuna facta est hæc scriptio, & penè indigna, quæ peculiari inscriptione à libro reliquo separaretur: tamen neq; Tua in me merita sunt viliora reddita, postquam jam aliquot annos mihi lætissimè fructificant; neque verbum à me dictum, revocari, indictumq; fieri potest, multoq; minus infectum vanescere debet.

Accipe igitur, Illustris BARO, *& per omnia Naturæ arcana versatissime, accipe, inquam, à me hanc meæ in Te justissimæ voluntatis significationem; eamq; non oculis ex numero pagellarum, sed illâ dædaleâ secretioris intelligentiæ agitatione, qua te per imperscrutabiles divinæ sapientiæ thesauros sublimem infers, ex ipsius rei pondere, de qua ago, æstima.*

Comprobandum enim est Mathematicis, ostendendum Philosophis, annotandum ad universæ posteritatis memoriam: an hoc tempore stella aliqua in cœlo sit; quæ cùm olim ibi non fuerit, jam sex ad minimum annos ibi hæreat immobilis, immutabilis, inextinguibilis: ut sive olim interitura est ante totius Mundi consummationem, intelligant homines, miraculi, quod tot annos duravit, magnitudinem; sive cum reliquis fixis perennabit; quantisper id futurum est, semper ob oculos habeant ij, quibus Nova sequentibus argumentis persuadebitur, evidentissimnm hoc documentum, totius Mundi in tempore creati: Qui verò ex ipsa diuturnitate stellæ, contra traditiones Astronomorum argumentari, & nuper natam negare, pertinaciter perrexerint; non sint ignari, quanto urgeantur pondere authoritatum.

Atque hoc tantò magis mihi præstandum, quod Mathematici passim in observationes Braheanas respiciunt, quarum inspiciendarum copiam mihi esse sciunt: ex quibus sanè argumenta depromuntur talia, quibus ponderosiora hoc in genere nullecunde sperari possunt.

Ac initio

AC initio, cùm nunquam ante hac fuerit adeò populariter exculta Astronomia in Academijs; nunquam plures, aut cœli observantiores Naucleri, atque hodie: nemo tamen est in tota Europa, imò in toto orbe terrarum, (quem hodie, ut privatos hortos exspaciando pervagantur) qui sparsum rumorem de novitate hujus stellæ ex propria experientia refutare potuerit hactenus.

Atqui clara est hæc stella, satis magna est, loco illustri est, configurationis cum cæteris speciem evidenter variat, addita vel ablata. Igitur penè incredibile, non posse Nautam industrium meminisse, si vetus illa sit.

Me quod attinet, candidè agam, ut Astronomum decet. Nam si ex me quæratur, viderim hanc stellam ante annum 1601, annon? nescire me respondendum erit. Nam etsi ab anno 1591, Mæstlino monstrante, cœlum noscere cœpi: non memini tamen, moneri nos à præceptore, præteritam à Ptolemæo unam in Cygni pectore. Annis sequentibus, functionem nactus Astronomicam in Styria, cœlum sedulò quidem inspexi, repetitâ ex globis astrorum notitiâ: nec memini me plures hîc in cœlo reperire, quàm in globo: Sæpè usu venit, ut de nocte Studiosis cœlestium, asterismos, adeóque & Cygnum digito monstrarem: nunquam quæstio incidit, quâ in parte hæreret illa, quam hodie proximè Pectus conspicimus. Neque tamen affirmare pro certo ausim, non visam mihi tunc, quæ jam videtur. Si in aliquo Signorum Zodiaci, præsertim eorum, quæ sunt in æstivo circulo insigniora, si in Ursa, Cassiopeja, Boote, Erichthonio, Orione, aut alio æquè conspicuo, & in oculos incurrente asterismo, novum quid tantæ magnitudinis occurrisset: equidem ita impressas à multo tempore habebam harum constellationum ideas in animo: ut discernere, quicquid id esset, facilè possem.

At in Cygno neque Planeta ullus cursum suum exercet, neque ij, quos ego videre potui, Cometæ apparuêre. Quibus de causis fateor, nunquam antè annum 1602, tantâ circa sidus hoc sollicitudine fui, ut collationem Abaci Ptolemaici cum cœlo ex professo hîc instituerim.

Successerunt anno 1598 alienæ ab Astronomia curæ, & quoddam quasi judicium Astronomicum. Duobus verò ultimis annis, quibus Tychone usus sum, partim itineribus, partim diutura quartanâ impe-

ditus, cœlum rarius cum cura inſpexi, nec niſi ad partes Zodiaci, calculo potiſſimùm occupatus, cùm Braheo abundè eſſet obſervatorum, & in obſervando diligentiæ.

Tychone jam mortuo, equidem hæc me cura inceſſit, ne quid fortaſſe novi exſiſteret in cœlo, me inſcio: quare crebrius aſpexi ſidera, & hunc ipſum Cygnum. Hærebat quidem ſpecies ejus, & configuratio cum cæteris in animo, ut collatione globi cum cœlo non eſſet opus. Ea tamen memoria ita evidens non fuit: quin una ſtella, præſertim ad pectus, me non animadvertente, jam tunc addita eſſe potuerit, quæ anteà, vivo Tychone, non fuerat. Itaque nihil videbar in ea conſtellatione videre novi: quamvis hanc ipſam, de qua agitur, eo ipſo tempore, Novembri puta: anni 1601, viderim quod minimè hæſitans memoria mihi dictat. Nam cùm eo tempore poſt occaſum Solis verſaretur ſidus in parte cœli occidua, porrigeretque roſtrum verſus Horizontem, caudam ſurſum, alas ad dextram & ſiniſtram: Equidem, cogitabam, in ſtellis Cygni, ſi Chriſtianus aliquis de novo inciperet fingere imagines; aptiſſimam figuram inveniret crucifixi, cum inclinato capite. Stella enim, de qua dubitamus, tunc mihi ad dextram paulò erat, pectus crucifixi repræſentans; quæ verò in pectore Cygni, deflectebat ad ſiniſtram, in crucifixi caput concedens. Hæc imaginatio mihi memoriam hujus ſtellæ hactenus conſervaverat; ut poſtea, cùm menſe Majo anni 1602 primùm literis monerer de novo Cygni phænomeno, nihil me novi à ſuperioribus menſibus cernere exclamarem. Crucis enim effigiem, etiam agricolis, ut Beyerus monet, notam, jam quidem antiquitus animo concepiſſe ſciebam; inclinationem verò capitis, à menſe Novembri; an olim quoque, non memineram, nec memini. Ita hîc à propriâ memoria, ut dixi, deſtituor: nec ex ea ſola affirmaverim, novam hanc eſſe ſtellam.

Quæ de me dixi, de omnibus ferè Profeſſoribus Mathematum hodiernis, qui paſſim ſunt per Academias Europæ diſtributi, dicere poſſum: qui quæſtionem omnes movent de novo Phænomeno; ſententiam ſuam aut premunt, aut ſe neſcire fatentur. Mæſtlinus quidem, confeſſus, ambigere ſe, inclinat tamen eò, ut, quò diutius ſuam examinet memoriam; hoc magis putet, ſibi etiam olim viſam. At ſtatim ſubjicit argumenta, quibus utuntur, qui diſputando nituntur antiquam facere; ſcilicet, quòd duret tot annos; quodque Ptolemæus multas fixas omiſerit. Hic ergo dum ad argumenta confugit; nihil ſe habere fatetur, quod è memoriâ ſuâ contra nos depromat.

Quid

Quid dicam de Tychonis Brahei contubernio, in quo per viginti annos plurimi vixerunt Astronomiæ Studiosi, atque ij in contemplatione stellarum, frigidissimis noctibus, adeò exerciti: ut quosdam hæc potissimum de causa etiam vita deseruerit. Adeóne igitur ex superstitibus neminem esse, qui famam novi Phænomeni, si ea falsa est, ex propria memoria convellat? Itaque perpendens ista Beyerus, *Omnium* ait, *tacito consensu pro Nova receptam.*

Argumenta verò quibus ei, quem propria deserit memoria, fides novitatis fieri potest, hæc sunt:

I. *Hipparchi consilium. Plinius lib. 2. cap. 26.*

Primùm omissa est hæc stella ab Hipparcho, qui *ausus rem etiam Deo improbam, annumerare posteris stellas, ac sidera ad normam expangere, organis excogitatis, per quæ singularum loca atque magnitudines signaret, ut facile discerni posset ex eo, non modò an obirent* (nota quæso consilium Hipparchi) *nascerenturve; sed an omnino aliqua transirent moverenturve: item an crescerent, minuerenturq; cœlo in hæreditatem cunctis relicto, si quisquam, qui eam rationem caperet, inventus esset.*

Hipparchus igitur, qui hoc consilio fixas descripsit, ut discerni posset, an aliquæ nascerentur; hanc verò juxta pectus Cygni omisit, cùm in Catalogo, tum libro 2. in Aratum, in συναναστολὰς ἢ συγκαταδύσεσι: quid aliud agit, quàm ut viva voce nos, quibus cœlum in hæreditatem reliquit, compellat, admonens; jam tandem post tot sæcula apparere, quod ipse sua ætate dubitare ceperat; scilicet quòd etiam in summo æthere novæ & diuturnæ stellæ nasci possint. Ne verò existimes, Gallinæ sidus ab Hipparcho oscitanter lustratum & descriptum: en tibi verba ex libro 1. in Aratum: *Rursum*, inquit, *Aratus in sequentibus ignoratione laborat, cùm de Gallina scribit:*

Diligentia.

Αλλ' ὁ μὲν ἥρωσιν· τὰ δὲ ὁι ἐπιτετρήχυνται
Ἄστρασιν· ἔστι λίην μεγάλοις, ἀλλὰ ἑ μὲν ἀφαυροῖς.

Habet enim Avis stellas multas & splendidas: eam verò quæ in cauda, valde etiam splendidam, æqualem proximè splendidæ in Lyra. Hæc ibi. Cùm verò descriptionem constellationis orditur ab ea linea, quæ à rostro per collum & corpus Oloris porrigitur in caudam, & singulas in hac serie recenset ordine; postea ad alas, & denique ad pedes conversus, tanquam ab hujus principalis lineæ lateribus nexos: quomodo Nostram hanc Stellam, in eâdem ferè lineâ, eodemque tractu occurrentem, priusquam à collo ad pectus pervenitur; hanc, inquam, quomodo præterire potuit, si ea ætate fuit? Nihil planè est, quod saltem verisimiliter obtendi possit.

Ordo in Olore.

II. *Ptolemæi reviſio.*

Sequitur Abacus Ptolemæi, quem ab Hipparcho acceptum ipſe repetivit, & nonnullis in locis correxit, ſtellas conventioribus membris Imaginum à veteribus inventarum, reponens. Quod ſi Hipparchus oſcitans in hac ſtella fuit, cur eam Ptolemæus omiſit, cur nullam ejus mentionem nec ipſe facit?

Stellæ claritas.

Quæ cauſa ſufficere poſſit diligentiſſimis artificibus, cur tertiæ magnitudinis ſtellam, tam vicinam illi, quæ eſt in pectore, omiſerint? Quia non quartæ tantùm, ſed quintæ etiam & ſextæ magnitudinis, adeóque nebuloſas quoque, ſi ad imaginis lineamenta deſignanda eſſent utiles, ut in hoc ipſo Oloris collo, non cenſuerunt omittendas.

Situs evidentia.

Num ſufficere ipſis viſa una ad pectus deſignandum? Minimè. Nam ſufficere & una poterat ad caudam Capricorni deſignandam: ſed duas notant, claram unam, alteram obſcuriorem. In cauda Piſcis Auſtrini, in humero Sagittarij, in cornu uno Arietis binas ponunt. Denique ſingulas ſolitariè ſitas, quamuis ſatis ſæpè magnas, interdum omiſere, ſi longè extra terminos imaginum occurriſſent: ex binis vel trinis conjunctis, propter viſus ἴμφασιν, haud ſcio an invenias alteras omiſſas. Itaque ob hoc ipſum, quia geminatæ viſuntur, ſi utraque olim fuiſſet numerum relatæ ambæ fuiſſent.

Hìc Mœſtlinus producit ſtellulam, quæ ſuper mediam trium in cauda Urſæ majoris viſitur, Equitatorem ſeu Aurigam dicunt Agricolæ, quaſi qui ſuper medio equo ſedeat: quæ etſi non contemnendæ magnitudinis, omiſſa tamen eſt à Ptolemæo & Hipparcho. Reſpondeo, cauſam eſſe manifeſtam, nimiam ſcilicet propinquitatem Equitis hujus tam parvi, ad ſuum equum tam magnum & clarum: quo fit, ut non cerni poſſit, niſi ab ijs, qui correctiſſimo ſunt viſu. Suntque hujus omiſſionis exempla etiam alia. At nihil hæc cauſa ad hanc Novam, quæ etſi vicina eſt ſtellæ pectoris; ſic tamen ab ea diſtat, ut viſus planè nihil confundatur. Ut taceam quòd æqualis propemodum ſit magnitudinis; itaque utraque æquè expeditè cernatur.

Oportunitas imaginis.

Sed forſan illa, quam Novam dicimus, eſt ἀμόρφωτον, extra Cygni figurationem? Multò minus. Nam Cygnum per uſitata ſtellarum veſtigia vix quiſquam pinget, quin partem pectoris, ſaltem colli radicem, illa in parte cœli relinquat, ubi nunc cernitur iſta, de qua loquimur, ſtella: adeò pectori vicina eſt, adeò longum hujus Oloris collum, à ſtella pectori tributâ, ad extremum roſtri. Nec obſcuri ſunt antiquitatis conatus, in extendendis & contorquendis animalium figuris, ut plurimas unâ figuratione ſtellas notabiles complectantur.

Quis

Quis igitur credet, tam claram ferè, quàm est pectus ipsum, in tanta vicinia, tanta oportunitate positam (est enim, ut dixi, paulò extra lineam à pectore in rostrum) declinaturos, & è figura excluſuros fuisse?

III. *Situs in Lactea.*

Rursum Ptolemæus illo capite, in quo viæ Lacteæ tractus per stellarum vestigia describit, ponit unam tantùm in pectore: hujus verò planè non meminit, quæ in viam tamen Lacteam incidit, adeóque in partem ejus maximè memorabilem, qua circulus iste in sidere Gallinæ in bivium abit, ramumque versus humerum Ophiuchi porrigit. Hujus argumenti quanta vis sit, tum demum apparebit, ubi quis illud caput industriè legerit, & cum globo contulerit.

Exinde, inquit, intellige post Aquilam, *in Gallinam tendit Lactea, & margo qui ad Septentriones & Occasum vergit, terminatur apud flexuram, in stella, quæ est in australi humero Gallinæ, & in illa, quæ est sub hac, in ala eadem, & in duabus super australi pede. Margo verò qui ad ortum & meridiem spectat, terminatur à stella, quæ est in summitate australis expansionis pennarum, & intercipit duas extra formam, quæ sunt sub eadem ala, & distant duos circiter gradus à margine hoc. Et hæ lactis partes sunt paulò densiores circa alam.*

Sequentes partes adhærent quidem huic zonæ, vehementer verò densæ sunt, quasi à peculiari origine incipientes. Vergunt autem ad extrema zonæ alterius, sed tamen hiatus relinquitur hæc inter & illas. Et à Meridie quidem attingunt eam zonæ partem, qua de jam loquimur, quæ valde tenuis est apud contactum: densitatem autem, post hiatum dictum, incipiunt à lucida in cauda Gallinæ, & à nubila involutione, quæ est in boreali genu: postea redeuntes nonnihil, usq; ad illam, quæ in australi genu est, porrigunt hanc densitatem, màgis atq; magis vanescentem, usque ad Cephea, &c.

Et in explicatione alterius zonæ partis, quę duplicem facit lacteã: *Inde*, inquit, nimirum ab humero Ophiuchi, *Zona hæc, præterquam quod tenuis seu rara est, contrahitur etiam in angustum limitem, juxta partes antecedentes stellam in rostro Gallinæ, adeò ut speciem interruptionis exhibeat. Reliqua ejus pars à rostro ad stellam in pectore Gallinæ, & latius explicatum & benè densum est. Ac quæ est in collo Gallinæ, in medio est partis densatæ: vergit quidem particula aliqua, sed rara, ad Aquilonem & *stellam Pectoris, usque ad stellam quæ in humero alæ dextræ, & ad duas contiguas in extremitate pedis dextri. A quo loco, ut prius dictum, hiatus est, hanc inter & alteram zonam, porrectus à dictis Gallinæ stellis, usque ad lucidam in Cauda.*

* Sphalma Basileensis exemplaris τῶν, pro τὸν, ne te moveat. Redarguit constructio, & antiquissima versio, & tertia retro linea.

En incredibilem Ptolemæi diligentiam, quasi jam tum prævidisset usum hujus loci. Non sufficere namque Ptolemæus est arbitratus, ut insignes stellas omnes, quæ in viam Lacteam incidunt, annotaret: quin & eo diligentiæ processit, περιεργωτάτη παρατηρήσει, ut ipse ait, ut margines illius lactei circuli, stellis seu incidentibus in marginem, seu parùm distantibus, describeret, indicatâ mensurâ distantiæ. Quod si ut hodie, sic jam tunc, hæc stella in via lactea, & quidem proximè Marginem apparuisset: fierine potuisse credes, ut Ptolemæus illam omitteret? Nisi fortè authores illi lacteæ viæ varia spacia stellasq; interceptas è globo potius, quàm è cœlo descripserint: quod impossibile arguunt hæc ipsa jam allegata verbā.

IV. *Brahei authoritas.* Quartò, Tycho Brahe nostra tempestate veterem illam & summopere necessariam Hipparchi curam: tot jam sæcula neglectam, ante hos viginti & amplius annos resumpsit, stellas omnes à veteribus notatas instrumentis sumptuosissimis demensus est, earumque loca respectu Zodiaci & Æquatoris inquisivit. An putas illum, dum singulas fixas, adeoque & pectus Cygni obit & lustrat; viciniſſimam hanc novam, tertiæ magnitudinis, incommemoratam & tacitam prætermissurum fuisse, si illam vidisset?

V. *Cura circa omissas.* Quintò, cùm veteres mille amplius fixas consignassent, quarum plus quàm ducentas ad austrum, Tychoni vel poli Huennensis exaltatio, vel aëris circa Horizontem obscuritas intercepisset: Tycho in Septentrione nostro ducentas alias, à veteribus prætermissas, undique conquisitas substituit, quintæ ferè & sextæ magnitudinis, numerumque millenarium complevit nihilominus. Et tamen hæc nostra neque in libro progymnasmatum, inter octingentas, neque in catalogo mille fixarum manuscripto reperitur. Clarum itaque est, non visam esse Tychoni hanc modernam.

VI. *Ordo in Olore.* Sextò, versatur sub meis manibus Protocollum observationum Tychonis (sic appellavit Chaos observationum, uti illæ singulis noctibus conscriptæ fuère sine ordine): in eo ex professo quadam nocte per duo instrumenta, culminantes observavit stellas Cygni, per armillas quarundam declinationes capiens proximè meridianum; reliquarum altitudines meridianas per quadrantem, eo ordine, ut quæque primò ad metam instrumenti venit. Ibi omnes, etiam quæ circa constellationem exulant, recensitæ; nulla in pectore præter illam antiquam, nulla in vicinia commemorata. Nulla igitur tunc fulsisse creditur. Ita eodem libro sæpè usu venit, ut vel ad explorandam sextantum

tantum certitudinem, vel aliam ob causam, circumstantium clarorum siderum, Aquilæ, Lyræ, caudæ Cygni distantias à pectore Cygni caperet. Nunquam mihi occurrit mentio duarum, nunquam sequentis in pectore, clarioris in pectore Cygni; simplex ubique est appellatio ejus quæ in pectore. At in discernendis duabus in cauda Capricorni & similibus, diligenter solet Notam à claritate majore vel minore, à plaga Septentrionis vel Meridiei, Ortus vel Occasus usurpare & inculcare. Quòd si tunc, uti jam, geminæ fuissent in pectore, æqualis propemodum magnitudinis: an non seipsum confudisset, neglecta distinctione: an non ipsa hæsitatio, utra sit vera pectoris, ipsum ad Ptolemæi abacum invitasset inspiciendum?

VII. *Commoditas non occidentis.*

Septimò, quoties evenit, ut quia corpus Cygni in Dania non occidit, transitum harum stellarum per meridianum Aquilonium observaret, altitudines refractionum causâ metiretur?

At nullus commodior situs esse potest animadvertendæ Novæ aut superfluæ stellæ: præsertim si, ut hæc nostra, eâdem ferè claritate fulget cum vicinis, ad quas observando respicitur.

Tantâ igitur oportunitate loci, tam crebro ejus aspectu, minimeq; laborioso, utpote humili, cùm Braheani nullam superfluam stellam visam annotent: jure nulla tunc fuisse creditur.

Ex Observat. Brahei.

Age verò, fidem aliquot superioribus argumentis faciamus ex ipsis observationum libris; recensitis aliquot exemplis, quæ mihi Protocollum pervolitanti, obiter occurrerunt. Ubi Observationes olim prodierint in lucem: multò plura videre erit.

Anno 1582, 12. Jan. lucida siniſtræ alæ, & cauda Cygni.

Febr. 19. Cauda Cygni in Septentrione. Febr. 18. 23. Vultur à cauda & rostro Cygni. Febr. 24. Ejusdem à rostro, capite, & media trium in ala Cygni.

Eodem: *Inter Vulturem & stellam incognitam, quæ facit angulum rectum cum cauda Vulturis & capite Cygni.* Audis non neglectam ab illis mentionem, si de stella aliqua hæsitarent. Est autem aliqua in regione Sagittæ.

Febr. 26. Vulturis à Pectore Cygni. Martij 1. Caput, media dextræ alæ, pectus, media trium extremarum in siniſtra ala Cygni, stella illa informis. Martij 5. Caput, media dextræ alæ, pectus Cygni.

Martij 8. Pectoris Cygni à capite, à Lyra & capite Ophiuchi, & hujus à capite Cygni. Martij 20. Caput & pectus, & distantia eorum mutua, & ab humero dextro Ophiuchi, & Lyræ à media trium extremarum

Dextra siniſtris ut plurimum permutant.

marum in ſiniſtra ala Cygni. Et media lucida in dextra ala. Martij 26. informis illa, Caput, pectus, media trium extremarum in ſiniſtra ala Cygni. Martij 29. Media dextræ alæ, Caput, Pectus. Aprilis 1. Pectus.

Anno 1584, 25. Aprilis, inter Polarem & caudam Cygni.

Anno 1585, 10. 15. Janu. Cauda Cygni.

Anno 1586, Cygni os, pectus, cauda: diſtantia æquatoria à lucida Arietis.

Anno 1590, 25. Febr. 1. 4. 14. 18. Martij, cauda Cygni.

Die 11. Auguſti, veſperi, ſolennis obſervatio ſtellarum Cygni.

Numero Ptolemaico.	*Declinatio.*	*Altit. Merid.*	
6. Lucidæ ſiniſtræ alæ Cygni	———	78. 15′	
1. Roſtri Cygni ———	20. 8½′		
3. Secundæ in collo Cygni	———	68. 7′	
2. Primæ in collo Cygni	29. 15⅛′		
15. Præcedentis in ſiniſtro pede	———	79. 36½′	
Nonæ Delphini —	11. 42′	———	Magnit. 6.
16. Sequentis in ſiniſtro pede	———	80. 35′	(minor.
4. Pectoris Cygni — —	———	73. 4′	
Informis circa ſiniſtrã alam	———	65. 8½′	
Decimæ Delphini —	11. 57½′	———	Nebuloſa.
5. Caudæ — —	———	77. 56′	
Capitis Equulei præced.	3. 38′ Bor.		
5. Tertia, in collo Cygni diſtat à Lyra — —	———	16. 14′	Magn. 5.
10. Lucidæ dextræ alæ Cygni	———	66. 33½′	
Parvulæ quæ ſequitur Vulturem proximè —	7. 30′	———	Magn. 6.
13. Præced. in dextro pede Cygni	———	73. 42⅔′	(minor.
1. Inter roſtrũ Cygni & Lyram	———	———	15. 32′
14. In dextro genu Cygni	———	76. 24⅔′	
In dextro latere Antinoi	1. 58′	———	Magn. 3.
12. Extremæ dextræ alæ Cygni	———	62. 40′	
Præcedentis duarũ informium circa dextrã alam Cyg.	———	70. 24⅔′	Magn. 5.
Sequentis — — —	———	71. 48½′	Magn. 6.
Inferioris Brachij ſiniſtri Antinoi —	2. 27′	———	Magn. 5.

Hìc Ve-

Hìc Veteres numerant 17.& 2. informes.

Omisit ergo Braheus hac vice 7.8.9.11.17, quia ad meridianum applicabantur confertæ.

Et 17. quidem est nebulosa συστροφή: omissa igitur hac vice in majori occupatione circa evidentiores.

De 7. 8. 9. causa omissionis itidem patet: primæ enim ad meridianum veniunt,& quando capta hæc observatio, meridianum jam transierant,& ipsæ & rostrum: ut patet ex globo, ubi lucida alæ, quæ prima ex observatis hac vice, culminat post rostrum, & post has tres, quæ referuntur in explicationem alæ Aquilonaris. Propterea etiam in rostro, quod jam effugisset meridianum, observatores acceperunt declinationem tantùm.

Undecima verò, quæ in medio est australis alæ, minor est duabus reliquis ex ala, & cùm 10 ferè culminat, sita inter hanc & stellas pedis. Non mirum igitur, omissam hac vice.

Nostra verò in pectore cùm culminet ante antiquam pectoris, sitque penè æqualis magnitudinis cum illa; ubi tunc relicta fuit, quominus ad meridianum tam opportunè accedens, observaretur?

Ea ipsa in regione, culminante antiquâ pectoris, tantum ocij habuerunt, ut notarent informem aliquam parvam, præter eas quas antiqui ascripserant. *Nota.*

Quid igitur inquis, si hæc sit illa à nobis hìc controversa? Minimè verò. Culminavit enim post Pectoris antiquam, cùm nostra culminet antè. Nam Pectoris culminatio est 302.2′. Nostræ 300.46′. Sic & altitudine differt. Nostra enim fuisset alta 70. 57′: hæc verò habet tantummodo 65. 8′.

At forsan hæc extra formam, est una duarum, quas etiam Veteres numerârunt extra formam? Minimè gentium. Nam vides observatas illas ultimò, post duodecimam. Ergo ad oculum cernis, hoc ipso loco circa pectus Cygni, quæsisse observatores plures, quàm sunt in Ptolemæo, invenisse & parvam aliquam: istam verò circa pectus superfluam tertij honoris tunc invenisse minimè. *Nota.*

Pergamus in observationibus. Septembris 12. & 22. cauda Cygni fuit observata à quibusdam Andromedæ. Septem. 18. rostrum à quibusdam Pegasi Septembris 25, lucida australis alæ à quibusdam Pegasi. Octob. 10. Media colli, tertia numero, à Lyra & Scheat Pegasi.

Tunc inter Borealem in dextro pede Cygni & Scheat Pegasi 24. 40′. Et additur: *Hæc videtur informis esse.* Vides curam illorum &

diligentiam circa dubias. Et eſt quidem informium tertia, à Ptolemæo prætérita, ob exilitatem & propinquitatem ad alteram informium, quæ Ptolemæo perhibetur major quàm quartæ magnitudinis. Rurſum igitur vides, non omiſſas circa Cygnum informes, ſi quæ ſunt à Ptolemæo prætéritæ. Cur ergo hæc omiſſa, ſi tunc fulſit? Minimè gentium omiſſuri erant ſtellam ſuperfluam tertij honoris, ſi tunc fulſiſſet. Rurſum pergamus.

Eodem enim momento inter auſtraliorem in dextro pede Cygni, & ſcheat 24.47/. Additur, *Et hæc videtur informis eſſe.* Eſt ſanè altera informium Ptolemæi.

Eodem, duæ in Boreo pede à Scheat Pegaſi.

Octobris 15, ſtellæ in genu & pede dextro obſervatæ: ibidem & mentio roſtri ſive oris. Octobris 18, mentio roſtri Cygni, præcedens in dextro pede. Octobris 28, decima ſeu media alæ dextræ (inferiorem vult) à Lyra & Scheat. Novem. 10, extrema ſiniſtræ alæ Cygni à Dracone. Decem. 17, cauda Cygni á ſtella Urſæ.

Anno 1591, 16. 17. 18. Febr. lucidam caudæ Cygni obſervavit in Septentrione ab altitudine 9.47/, in 9.51/ promiſcuè, ob refractionum inconſtantiam. Febr. 19. ſumptæ ſunt in Septentrione altitudines minimæ, Lyræ 4.32/, Pectoris Cygni 5.5/, 5.4/, 5.3/, & minus, Caudæ
Nota. Cygni 9.51/. Hic debuit & ſocia pectoris obſervari, cujus fuiſſet altitudo 2.54/ circiter, ſi tunc fuiſſet. Febr. 20. Pectus & cauda à Polari. Febr. 22. Lyra & cauda Cygni in Septentrione. Aprilis 3. Cauda Cygni à Cepheo. Aprilis 14. cum Bootis informes aliquæ præter Ptolemaicas obſervarentur: additur, *videri illas optimè includi poſſe genu*
Nota. *dextro Bootis.* At ſic etiam de controverſa noſtra dicere potuiſſent, includi poſſe pectori Cygni. Octobris 2. Pectus Cygni ab aliquot ſtellis Herculis: ibi rurſum de genu Herculis hæſitantes addunt, *Suſpi-*
Nota. *camur aliam eſſe ſtellam.* At cur non potius hìc de pectore Cygni, quæ in obſervatione verſabatur, in dubium venerunt, ſi tunc geminatæ cernebantur ſtellæ? Octob. 8. pectus Cygni. Octob. 9. decima quæ in dextra ala, ab aliqua ſuperflua in corpore Lyræ, parvâ quidem. Novemb. 10. 11. cauda à ſtellis Draconis.

Anno 1592, 20. Febr. cauda, pectus.

Anno 1593, Martij 16. 17. 18. pectus & cauda.

Anno 1595, 23. Novembris, tres inter Sagittam & roſtrum Cygni adjiciunt Ptolemaicis, parvas quidem: item duas inter Lyram & ſuperiorem alam Cygni, quarum diſtantia ſumitur à pectore Cygni:

item

item quatuor inter os & pedem Pegasi, ubi fit mentio mediæ alæ Cygni. Solam hanc in pectore Cygni oscitanter neglexerunt, scilicet. Taceo multas alias præter numerum adjectas, quæ sunt â Cygno remotiores.

Anno 1597, desiderari ajunt 60 ad complendum millenarium: ubi sublegũt quatuor inter Capellam & Polarem in rectâ; quatuor inter latus Persei & Polarem in rectâ; quatuordecim inter Capellam & Polarem ad latera, in duo trapezia & duo triangula tributas; tres inter ultimas caudæ Ursæ ad latus; novem in flexuosa linea sub informi inter caudas Ursæ & Leonis: sex ultra citraque Polarem. Ecce inopiam, quæ à tam contemptis non abstinuit: mirum igitur, si cura, adeò famelica, non potuit odorari tam magnam in pectore Cygni.

VIII. *Per verticales temporarios.*

Atque in hac ultima observationum parte nascitur nobis & octavum argumentum. Anno enim 1597, 27. Octobris tempora notabantur per stellas Cygni, coincidentes cum Polari in eundem verticalem. Id suasit absentia instrumentorum. Tunc enim Braheus paulò antè Daniâ excesserat. Nulla igitur mentio secundæ in pectore. Et die 30. Octobris, hora 5. 45′ circiter, ajunt *Nulla in perpendiculo capi potuit ob nubes.* Vides diligenter fuisse intentos in occasionem. Statim cùm horologium ipsorum indicaret horam 6. 21′, pectus; & hora 6. 15′, cauda se accommodavit. Si hæc nostra tunc fuisset, exiguo ante pectus in hoc perpendiculo fuisset. *Nota.*

IX. *Per caudam Cometæ.*

Nono, regrediamur à fine ad principia observationum. Omnium enim quæ ex ijs concinnari possunt argumenta, hoc mihi videtur manifestissimum, quòd in descriptione Cometæ anni 1580, ad 25. Novem. 2. vel 9. Decem. annotantur ista:

Die Veneris, circa horam 6. pomeridianam, cùm essem in cymba, inter Scaniam & Huennam, lucentibus jam aliqua ex parte, post Occasum Solis, stellis: vidi adhuc Cometam satis lucidè apparentem & lucentem, magnitudine instar stellæ secundæ magnitudinis, cauda tamen vix apparebat. Videbantur tamen quasi radij quidam longiores protendi, versus Zenith capitis, quoad visum. Fuit autem Cometa ipse prope Caput Herculis, illo inferiùs, versus Occasum & Septentrionem: distabatq; ab illa in Capite Herculis tribus diametris Solis ad summum, quoad visum, id est, sesquialtero ferè gradu. Erat enim hæc distantia notabiliter minor, duarum propiorum in corpore Vulturis distantiâ. At cur non dixit, fuisse hanc distantiam proximè æqualem spacio, quod est inter duas vicinas in corpore Cygni, Si tunc duæ fuêre? nam utrumque sidus æquè vicinum est Herculi. *Nota.*

Pergit: *Videbatur autem ea linea, per Cometam in proximam dictam, videlicet in caput Herculis, protendi (ubi producta esset) in eam quæ media est in corpore Cygni, quoad visum.* Si duæ tunc fuissent: discrevisset, quia addit, *quoad visum.* Hæc ibi. Additur & pictura, ubi solitariè pingitur media in corpore: Sed ex qua apparet, quòd humerum Ophiuchi sinistrum habuerit pro capite Herculis. Nam cui stellæ nomen dedit Caput Herculis, hæc linea ex pectore Cygni in se, separat caput Ophiuchi ad unum latus parumper; caudam Cygni ad alterum.

X. *Testes Novitatis.*

Decimò igitur, accedat his mutis testibus, loquentium & viventium authoritas; eaque tantò valentior, quod, ut à principio dictum, neminem habent, qui ex memoria sua ipsis contradicat.

Ianſonius.

Primus est Gulielmus Janſonius, qui hanc novam à se primùm anno 1600. conſpectam profitetur, inscriptione in globum cœlestem anno 1600 editum factâ: de cujus viri integritate nihil est cur dubitem: testantur de ea occupationes nobiles Geographicæ & Astronomicæ; quod genus studiorum sic est comparatum, ut non ferat amatorem, nisi fidum & candidum: Astrorum verò notitiam eum habere, satis probat illud, quod Tychonis Brahei discipulus, observationumque socius aliquandiu fuit. Ad quem postquam rumoris hujus originem redire vidi, non destiti, maximè Cæsare probante, literis ipsum interpellare de circumstantijs, quibus in primum hujus Novæ stellæ aspectum notitiamque inciderit. Quid verò literis meis acciderit, ignoro: responsum quidem hactenus ab illo accepi nullum.

Byrgius.

Alter quem ego novi, est Justus Byrgius, S.C. Majest. Automatopœus; qui licet expers linguarum, rerum tamen Mathematicarum scientiâ & speculatione, multos earum Professores facilè superat. Praxin verò sic peculiariter sibi possidet; ut habitura sit posterior ætas, quem in hoc genere Coryphæum celebret, non minorem quàm Durerum in pictoria, cujus crescit occulto, velut arbor, ævo fama. Sed ne extra oleas; Byrgius noster hanc stellam ipse quidem seipso non deprehendit initio; sed cùm ex Hollandia à Principis Mauricij Architecto perscriberetur ad Lippiæ Comitem, ab hoc ad Byrgium, eo anno, quo Janſonij globus prodijt, Novam in Cygno videri stellam: etsi hic de memoriæ suæ promptitudine dubitavit, homo sui temperans, & à vanitate alieniſſimus; erat tamen, quorsum se reciperet. Olim in ministerio Illustrissimi Landgravij Hassiæ Gulielmi (cujus in siderali scientia studium & diligentia, major quàm in Prin-

cipe

cipe requireres, inventaque præclariſſima, Tychonem Brahe ad æmulationem extimulârunt, ut paſſim in ejus viri operibus, maximè in libro Epiſtolarum videre eſt.) is quo de ago, Byrgius automaton cœleſte apparans, globum cœleſtem ex argento adjecerat. Fuit hoc eo tempore, quo maximè Landgravij Aſtronomus Rothomannus fixis ſtellis operam impendebat. Cùm igitur multi deprehenderentur errores in abaco Ptolemæi, multæ etiam paulò clariores à Ptolemæo eſſent omiſſæ extra formas ſiderum: placuit Principi, ut quicquid mechanicus eſſet ſculpturus, id ſubinde cum cœlo conferretur; quod diligenter à Byrgio præſtitum. Globus ille perfectus, regium ſanè munus, à Landgravio Gulielmo tranſmiſſus eſt ad Cæſarem Rudolphum, extatque adhuc hodie in Majeſtatis ſuæ theſauris. Ejus ſimilis alter tunc Byrgio ſub manibus verſabatur, donatusque fuit paulò pòſt Maximiliano Archiduci, Caſſellis tranſeunti, à Landgravio Mauricio.

Igitur Byrgius, qui ſtellam hanc in Olore pro Novâ celebratam, in memoria ſua non inveniebat, ad hunc ſuum globum provocabat ſecuriſſimè: non verò inventum in ſculptura veteri, de cujus diligentia tam certus erat; atramento notavit ſuo loco. Factumque paulò poſt, ut à Landgravio vacatione impetrata, tranſiret ad Cæſarem, atque hic multorum admirandorum operum, & in his etiam prioris illius globi à ſe facti reparationi curam impenderet: nullam igitur nec hic globus præter Ptolemaicam antiquam, ſpectandam dedit in pectore Oloris. Itaque Byrgius de ſtellæ hujus novitate confidentiſſimè pronunciat.

Addámne & tertium teſtem Joannem Beyerum? Id profectò faciam. Nam quod ſuprà hunc inter eos retuli, qui ἐπέχουσι: cauſam ipſe præbuit in ſua Ouranometria: Apertior multò fuit in literis ad magnum aliquem virum ſcriptis; quarum copia mihi facta eſt, nulla cum conditione: quominus vereor, ne mihi iraſcatur author. Nihil enim arcani continent, nihil quod exiſtimationem ipſius lædat, nihil quod non publicè interſit ſciri. Adde, quod mihi illas quodammodo vindicare poſſum: ut quibus occaſionem præbui. Venerat ad Byrgium Caſſellas initio anni 1602, nobilis D. Franciſcus Ganſneb, dictus Tengnagel, Tychonis Brahe gener, modò Cæſ. Majeſtatis Appellationum Conſiliarius, adducto Joanne Erikſen, qui Braheo quondam ab Aſtronomicis miniſterijs erat: ij edocti à Byrgio de ſtella, cùm in Oſtfriſiam irent, rem ad Davidem Fabricium deferunt: Fabricius viâ *Beyerus.*

Hamburgenſi perſcripſit eadem ad Jœſtelium, Witebergæ Mathematum Profeſſorem: Jœſtelius ad me Pragam: ego in Bavariam: ſic rumore Monachium, deinde Auguſtam communicato, rogatur & Beyerus ſententiam, ut quem ſciebant Ouranometriam, oculatiſſimam ſanè illam in ſtellis recenſendis, tunc ſub manibus habere: quæ & anno ſtatim ſequente 1603 in publicum prodijt. Reſpondit igitur in hunc modum: *De novo Gallinæ ſeu Cygni aſtro, &c. maturè commonefactus, tam ob novitatis invidiam, quàm* MEARUM (nota) *DESCRIPTIONUM abſentiam, rem cunctantius aggreſſurus, Plinij quoque recordabar, qui hominem in ſtudiis verſantem, minus audacem, magis timidum requirit. Septimò Junij, & aliquot diebus ſeqq. σχεδιογραφίαν hujus* (nimirum paratam habebat jampridem, & ut in Ouranographia ait, *diutino labore*) *contemplatus, ab initio ſtatim, peregrinam quandam, mihiq; ſuſpectam notavi ſtellulam, circa quam, ad ſolſtitium æſtivum uſque, dubius hæſitabam. Oloris igitur ſeu Avis ſitum, ſtellarumq; illius poſitum, ſecundùm claſſicos Aſtronomiæ Doctores, meâ etiam* (puto antiquâ) *ſuperadditâ obſervatione, quantâ potui attentione, ad vnguem delineavi. Inveni* (puta, factâ collatione cœli cum hac delineatione) *ſecundùm vulgaria 17 ſtellas, cum duabus informibus, præter has aliud in fine colli, principioq; Pectoris, mihi jam amplius non ſuſpectum, ſed revera nunquam hactenus viſum aſtrum deprehendi, magnitudinis quaſi tertiæ &c.* Hactenus Epiſtola. Cui verò credendum, niſi artifici de ſua arte, & ſtudioſo de ſua occupatione. Fuiſſe enim hanc tunc illius viri occupationem, eamque non unius anni, ut ſchematiſmos cœleſtes in chartas transferret, neque omiſſas à Ptolemæo præteriret, ſicque Piccolhominæi chartas emendaret; res ipſa loquitur, & multus ille Ouranometriæ apparatus, & typi æneiſumptuoſi.

Cur autem in Ouranometria cautior factus, ad tacitum potius aliorum conſenſum, quàm ad propriam experientiam provocaverit: credo equidem exemplo cæterorum, & præcipuè meo ipſius permotum. Conſcripſeram enim paulò pòſt rumorem propagatum, ea, quorum ab initio hujus Narrationis facta mentio, & in Bavariam communicaveram. Quæ legiſſe illum, numeri arguunt, quos ex meo ſcripto in Ouranometriam tranſtulit. In eo ſcripto principio faſſus, me à propria memoria derelinqui, finem hunc feceram:

Qualis cunque itaque ſit hæc ſtella, vetus an nova: conſtat rationibus Geometricis; certò inter ipſas fixas altiſſimè elevatam eſſe. Quo deprehenſo, cùm quis illud unà conſideret, tot jam menſes effluxiſſe, cùm ſemper in eadem quantitate cernitur, nunquam æquans vicinam in pectore, nunquam

ad exili-

ad exilitatem ejus, quæ in roſtro eſt, attenuata, colore etiam conſtanti & pallido: equidem non mirum, ſi ipſa mora, quamvis per ſuperiora argumenta confirmatiſſimum, ſollicitum tamen habeat, quid de ea futurum ſit. Hac igitur mea dubitatione puto nonnihil territum Beyerum, & de propria experientia (ut vulgariter fieri ſolet, multis fidenter obloquentibus) dubium redditũ, ab ea in teſtimonium adducenda deſtitiſſe. Quam etſi hic nudam produxi; non eſt tamen ſolitaria, ſed juſtâ manu plurium teſtium freta: ut inſultum aliquem facilè ſuſtinere poſſit.

Satis opinor conteſtatam eſſe Novitatem hujus ſtellæ: nam ſi cui hæc non ſufficiunt; illum credibile eſt, ne totis quidem gentibus affirmantibus, fidem habiturum: Supereſt, ut quæ in hac ſtella obſervavi, inſtrumento ſextante antedicto, recenſeam.

Anno 1602 die $\frac{10}{20}$ Auguſti, cœlo apprimè ſereno, adjuvante Joanne Erikſen, qui nuper cum Tengnaglio redierat in Bohemiam, cùm certum ſit ex accuratiſſimis Brahei obſervationibus, diſtare

Vulturem à cauda Cygni	38. $3\frac{1}{2}$′.	} nos invenimus	38.	2′.
Lyram à cauda Cygni	23. 53′.		23.	$51\frac{1}{2}$′.
Scheat Pegaſi à pectore Cygni	35. $12\frac{1}{2}$′.		35.	11′.

Ergo in noſtro ſextante defecerunt minuta $1\frac{1}{2}$′, quæ erunt in ſequentibus diſtantijs addenda. Nam diſtare invenimus

Novam à Vulture	29. 51′.	} correctè igitur	29.	$52\frac{1}{2}$′.
Lyra	19. 44′.		19.	$45\frac{1}{2}$′.
Scheat Pegaſi	35. $50\frac{1}{2}$′.		35.	52′.

Cùm igitur fine anni 1600 in abaco Braheano ſit

	Longitudo		Latitudo	
Vulturis	26. 9′. Capr.	——	29. $21\frac{1}{2}$′	Bor.
Lyræ	9. 43′. Capr.	——	61. $47\frac{1}{2}$′	Bor.
Cruris Pegaſi	23. $49\frac{1}{2}$′. Piſc.	——	31. $7\frac{1}{2}$′	Bor.

Adhibitâ igitur eâ formâ argumentationis, cujus lib. 1. Progymn. Tychonis, fol. 211. & ſeqq. luculenta ſunt exempla; prodit ex his meis obſervatis, Novæ locus 16. 18′ Aquarij, cum latitud. 55. 32′ Bor.

Ne verò vel novitius obſervator, vel inſtrumentum ſuſpectum ſit cuiquam; en quid Sextante Braheano ſit obſervatum, à Studioſis, à Braheo relictis.

Nova à	Vulture	— —	29.	49′.
	Lyra	— —	19.	$43\frac{1}{3}$′.
	Scheat Pegaſi	—	35.	$49\frac{1}{2}$′.
	Cauda Cygni	—	8.	30′.
	Polari	— —	52.	0′.

Ex qui-

Ex quibus distantijs extruxerunt Braheani, circumspectis omnibus locum 16. 18′ Aquarij, latit: 55. 30′ Bor. Hinc invenitur ascensio recta Novæ 300. 46′. declinatio 36. 52′ Borealis. Culminat igitur cum 28. 37′ Capric.

Species Oloris post accessum Novæ.

N. Novam denotat.



In Hispaniæ parte Andalusia, in Sicilia, Peloponneso, Ionia, Cilicia, Syria, cæterisque locis Terrarum, sub hoc eodem parallelo sitis, per Verticem quotidie transit. Quibus verò est altitudo Poli 53. 8′, ij horizontem stringit in Septentrione; ut Angliæ, Hollandię, Brunsvvigo, Marchiæ, Livoniæ, Moscoviæ. Ulterius versus Septentrionem non occidit.

HABES Illustris & Generose BARO, Narratiunculam à Cliente Tuo scriptam, Instrumentorum Tuorum usu innixam, Tibi antè triennium promissam, multis igitur nominibus Tuam; quam sic leges, ut diuturnitate hujus Novæ stellæ in conspectum positâ, sive nullam hujus similem fuisse defendis, ex eo de significatione ejus gravissima, deq; intento Ejus, qui creavit illam, tecum deliberes: sive mavis plures hujusmodi nasci sæculorum decursu: ergò conjecturam inde facias, quanta ignoratione Naturæ genus humanum teneatur: quibus hæc jam sexennalis stella tantum creat stuporis, tantum admirationis, ut ægerrimè reperias, qui Astronomis de ejus novitate fidem habeant. Quod superest, Illust. Generos. Tuam reverenter oro, ut pro rei tenuitate voluntatem potius meam acceptet, meq; sibi porrò quoque commendatum habeat.

FINIS NARRATIONIS DE STELLA CYGNI.

JOAN-

JOANNIS KEPPLERI

Sac. Cæs. Majest. Mathematici

DE

STELLA NOVA IN PEDE SERPENTARII,

Pars Altera, quæ in significationibus occupatur, quæque temporum difficultate & angustia circumventa, Pragæ continuari non potuit.

De Effectibus Naturalibus hujus, &c.

FRANCOFVRTI,

ANNO M. D. CVI.

De effectibus naturalibus huius noui sideris in natura sublunari.

CAPUT XXVIII.

SI mihi in enodandis stellæ significatis scopus esset libelli præcipuus; jure dicere possem, quæcunque hactenus sunt dicta, concluſa, inveſtigata, dubitata; omnia in hanc Manticen ferri. Etenim aliæ ortus circumſtantiæ aliam habent ſignificationem, & modi diuinationum à conditionibus eſſentiæ deſumuntur. Itaque qui de illis nihil explicuit: eum & in ſignificationibus peregrinari neceſſe eſt.

Cuius rei cõſideratione ſi in vniuerſum temperarẽ ab omni ſignificatuũ explicatione; ſat eſſet excuſationũ. Demonſtraui enim hactenus, hæſitare me in explicandis ſtellæ cauſis, & coincidentia cum coniunctione magna: nec quicquam niſi titubans pronunciare potui. Quare metus me habet eiuſdem incertitudinis etiam in ſignificationibus evolvendis; quæ tanto eſt illâ inſignior, quantò avidius vulgus hominum, futurorum ſingularium ſcientiã expetit, quam Philoſophiam. Verum enimverò quia imperfecta eſſe putatur omnis hujuſmodi deſcriptio, quæ non in ſignificationibus etiam occupatur; ratio hæc iniri poteſt; ut primò illa explicem, quæ naturali vinculo cum ſtella nova connectuntur; ſic ut ijs ſtella vel cauſa vel ſignum fuerit: ſecundo illa quæ arte coniectandi per exempla alia comprobata citra connexionis naturalis apparentiam, & ſuppoſita intelligentis naturæ providentia, probabiliter dici poſſunt: interimque & quædam obvia, quæ vel aſtrologi prædixerunt futura, vel tempus protulit ipſum, ad veritatis normam, an legitime prædicta ſint, & an ob ſtellæ ortum evenerint, examinem.

Quomodo cælum influat in ſub lunaria.

Naturalis itaque ſignificatio ſideris hujus ſi ulla eſt; illa ad eum modum erit explicanda, quo ſupra cap. VIII & IX. uſus ſum in demonſtranda aſpectuum efficacia. Statuta eſt enim omnis influentiæ cœleſtis forma, non in actione cæli (præter eam quæ eſt lucis ad calfaciendum: quo reſpectu ſtella hæc, quamdiu fulſit, tantundem fortaſſe potuit quantum duæ vel tres fixæ initio, pòſt minus, qualitate vero Caniculæ, aut humero Orionis aut Arturo, aut inter Planetas Iovi & Marti fuit aſſimilata, colore indice): ſed in

rece-

receptione, & sic in passione naturæ sublunaris, quæ vel est sensitiva, vel sensitivæ similima. Animis quippe & facultatibus rerum sublunarium cognatio intercedit cum natura cæli; eaque triplex, caloris, motus, & rationis. Primum enim lux cælorum est caloris effectrix: & animæ, facultatisque rerum vegetabilium, suum quæque calorem in corpore, quod informant excitant, eumque pro viribus tuentur. Sic stellis additæ sunt facultates, quæ illas movent, ut plurimum quidem materiales, seu cum corpore dividuæ, tãinsitæ quàm adventitiæ (qualis quidem hic penes nos est magnetica) sed tamen etiam animales: & hic quoque in terris similiter animæ facultatesq; rerum vegetabilium, corporibus suis insunt vitæ motusque causa. Deniq; ut facultates illę stellarum motrices, sunt mentis quodammodo participes, ut suum iter quasi intelligant, imaginentur, affectent; non ratiocinãdo quidem, ut nos homines, sed ingenita vi, & quæ in prima creatione ipsis est instincta: sic facultates animales rerum naturalium, obtinent quendam intellectum finis sui (sine quidem ratiocinatione) in quem omnes suas actiones dirigunt. Tanta cum sit cognatio; nihil amplius est, cur mireris eam συμπάθειαν, inter cælorum motus & facultates animales, quam supra manifestis experimentis confirmavi cap. VIII. & X. Quæ igitur ibi specialiter sunt comprobata, jam assumantur; fiatque probabili ratione generale tandem, ceu ex inductione collectum, pronunciatum.

Cognatio cæli cum sublunaribus:
C loris.
Motus.
Rationis.

Nihil esse vel fieri in cælo visibili, cuius sensus non occulta quadam ratione in Terras, inq; omnes facultates rerum naturalium, porrigatur: easq; facultates animales sic affici hic in terris, ut cælum ipsum afficitur. Ita fiet, ut quotiescunque novum & insolitum aliquid in cælo apparet; Natura sublunaris (cui præsidet aliqua facultas Animalis) quodammodo cohorrescat. Ad Poetas enim, & ad primam meam προσφώνησιν, qua usus sum ad hoc sidus, manifeste transfugiam; quia apud eos, qui in Philosophia hodie rerum potiuntur, novi dogmatis causam obtinere despero. Itaque procul ô prophani, Deus, en Deus.

Stella repens, læsæ divum prænuncia Mentis,
Quæ velut ardenti carbunculus ureris igne!
Quam te nàmq; feram? qua doctus origine pangam
Ortus dia tuos? Neq; enim quo tempore pollens
Conditor ætherio dispersit sidera campo;
Te dedit in numerum, nova tu molimine cæco
Nascèris, astrorum cano mirante senatu.
Obstupuere poli: subitiq; exterrita luce
Fulguris, ætherium metuit natura tumultum.

Vnde Eclipsibus sui effectus.

Hoc idem enim fundamentum mihi videtur afferendæ etiam defectibus luminum efficaciæ. Est enim ἀνάρμοστον (qualitative, non Geometrice seu quantitative) & naturæ sublunari quodammodo contrarium; subito lunam extingui, vel avertilumẽ solis à demenso medietatis Globi terrestris, quod ordinarie & perpetuo est in solis lumine. Percellit ea species naturam animalem, quæ luci cognata est, ut affectum diuturnum & pernicioſum concipiat. Hoc idem ergo fundamentum sit, afferendæ his quoque novis phænomenis efficaciæ.

Quomodo permisceãtur effectus naturalium & supernaturalium cæli corporũ.

Per conduplicationem igitur; cum ipsa etiam conjunctio magna trium superiorum, stimulos naturis sublunaribus addiderit decumanos ad sese commovendum: & hoc novum sidus in locum & tempus magnæ conjunctionis inciderit: sequitur ut tam conjunctione cum utroque junctorum planetarum, quam ipsa novitate per se considerata ingentes vires adiderit ordinariæ commotioni, atq; ἔκπληξιν maxime memorabilem causatum fuerit. Quanquam necessaria est dubitatio, rectiusne κατὰ πρόσθεσιν argumentemur, an κατ' ἀφαίρεσιν: hoc est, an natura conversa ad nouum sidus, à conjunctione magna sese nonnihil averterit; sic ut imaginatio rei insolentioris, priorem rei consuetæ obruerit, & obliteraverit: an vero vires utriusque junctas illa senserit. Nec minus dubitare & hoc quis possit, commotio, quam stella fecit, hilaritati an tristitiæ fuerit similior; impediverit ne Naturam in suo opere, an instigaverit adjuveritque. Quid igitur horum mihi videatur magis verisimile; recensione Naturarum sublunarium explicabo.

Stellæ effectus in Meteoris.

Prima & maxime conspicua est facultas illa animalis, quæ globo Telluris præsidens, omnis generis Meteora progignit. Ac cum tota hiems, quæ inter annos 1604. & 1605. intercessit, impendio fuerit humida, maxime ijs diebus, quibus Planetæ cum fixa nova essent congressi vel configurabantur: & tepida quidem hiems cis Alpes in superiori & inferiori Germania, frigidissima vero omnium, intra hominum memoriam, trans Alpes in Italia atque in Hispaniis: argumentor igitur ex effectu, appositas invicem vires utriusque causæ cœlestis.

Vnde hyemis diversitas in diversis regionibus.

Dissimilitudinem quidem hyemis jam dictam in Alpes confero: Vt si per hanc hyemem Alpes in perpetua expiratione fuerint, materia ventorum, frigore aeris repercussa, circulariter fuerit diffusa, pars versus septentrionem, pars in meridiem. Quæ igitur in Meridiem supra Italiam abiit, cum à Borea plaga venerit; eam frigidam fuisse par fuit: quæ vero in didem super Germaniam in septentriones ferebatur, ab Austro veniens, naturam plagæ tepidam retinuit, nullo majore miraculo. Quid vero si quis totum

hunc

hunc tractum seu clima quo tepor obtinuit, in expiratione collocet: Italiam & illud clima extra expirationē vt eo fuerint lati venti, qui penes nos expirarunt. Nitetur enim, qui hoc dicet verisimilitudine hac, quod omnis expiratio, cum primum prodit, tepida est, cum vero in longinquum fertur, impetu concitata magis magisque frigescit.

Tale quippiam & de hac ipsa æstate comminiscendū, quæ per Germaniam & Gallias fuit impendio humida, ideoque pestilens: trans Pyrenæum in Hispanijs sicca & sterilis. Quia mirum, si nationes dissident studijs, quibus adeo contraria cœlitus obveniūt? Nec tantum humore fuit conspicua hyems; sed multo magis cœli nocturnis incendijs, sanguineaq; specie creberrima, & hiatibus seu chasmatis; &, quod hyeme æque prodigiosum, Iridibus è regione cum Solis tum Lunæ: adde paulo frequentiora parelia, paraselenas & Halones.

Igitur verisimile est, novi sideris effectum fuisse, hanc hyemis humiditatem, & prodigiorum cœlestium frequentiam: quæ ut inter novum sidus & conjunctionem magnam bona cum ratione partiamur, sic agemus.

Meteorologiæ fundamenta, & descriptio Viscerum Terræ facultatis.

In Telluris globo gemina est facultas (.quod meteora attinet.) altera attrahendi aquas marinas in occultas concoctionis sedes, altera expellendi vapores concoctos per quendam quasi sudorem; aut si mavis, compara hanc expulsionem excretioni seminali animantium. Harum facultatum alteram expultricem, stimulari ab aspectibus planetarum harmonicis certissimum est: qua stimulatione efficitur, vt continua quidem (: in fluminum generatione:) at non perpetuo uniformis sit expulsio, sed multis intervallis interrupta ejus vehementia, prout aspectus ordine astronomico inciderint. Et me hercule non absurde quis huic excretioni etiam voluptatem suam adiunxerit: ita multa terræ cum animantibus conueniunt. Etenim docent Medici, si quando humore genitali tument venæ, facile vel per somnum, imagine dulci obiecta, nullo etiam contactu accedente, fieri excretionem. Quid vero hujus rei similius, quam quod constat inesse in Terra facultatem, aspectuum cœlestium perceptricem, quæ stimulata aliquo aspectu, exsudet vapores pluvios? Vtrinque species immateriata, obiecta phantasiæ, ciet materiam genitabilem: quid impediet igitur utrinque ex perceptione speciei, & expulsione materiæ existere voluptatem? Itaque nunc demum meliori sensu Poetam audio cantantem philosophiæ mysteria.

Facultas expultrix.

An cum voluptate coniuncta expulsio.

Vere tument Terræ & genitalia semina poscunt:
Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther

Coniugis in gremium læta descendit, & omnes
Magnus alit magno commixtus corpore fœtus.

Ille quidem figmento luxurians, Cœlo, imbres pro semine tribuit: quos in terram infundat: Ego cœlo nil transcribo, nisi speciem illam Veneream (aspectus puto) proritantem Tellurem ad effundendum hoc semẽ ex seipsa: si quidem tumuerint eius venæ humorum copia. Sic igitur habet facultas Telluris expultrix.

Facultas attractrix

Facultas Telluris attractrix quibus intervallis agat, obscurum quidẽ est. In animantibus varia sunt intervalla facultatis ejus, quæ genitalem humorem intus coquit, & in venas infercit: juventa ver, cibi repletio, plethoricum corpus: impediunt senium, hyems, fames, morbi. Neq; tamen comparari possunt hæc intervalla cũ illis excretionis. Illa enim subitanea sunt, & præcipitata, & breuia; hæc lenta & segniora, & quodã modo magis continua. Quid hic simile in Telluris globo inveniatur, dispiciant Philosophi. Illud certũ, interdũ deesse Telluri, quod excernat etsi ferventissime concitetur ab aspectibus. Tunc enim experiẽtia docente, solent existere pro pluvijs halitus quidã ardẽtes inamẽni sulfurei, mordaces; unde siccitates, squalores, ἀλέας. Cõpara animantiũ coitus steriles, irritos, laborioſos; ita me hercule, nam sterilitas sequitur hos Telluris affectus. Et celebrat Aristoteles in eo Cometarum effectus, quod sterilitates & squalores significent, cui experientia suffragatur. Cometę vero si ut causę significant, cũ supra lunã sint ut plurimum; non aliter causæ erunt, nisi ut hactenus dictum & usurpatũ fuit; nempe ut obiecta, quæ movent sensus. Cometis igitur & Eclipsibus Solis commune hoc erit, terrere & cõsternare facultatem Telluris vegetatricem, sicq; eius opus impedire, quod est inter cætera, attrahere alimentum & materiam pluviis & fluminibus, & si placet etiam concoquere.

Vnde extimulentur.

Anne igitur, præterquã cum sunt Cometę & Eclipses, cõtinuo ferveat opus attractionis cõcoctionisq; humorũ in Tellure? An sunt etiã hic causæ extimulãtes, quibus interdũ fervor iste redditur acrior? Nescio: nisi quod jã sat celebratũ est inter astrologos, post magnas conjunctiones sequi fertiles annos. Hoc si verũ, igitur conjũctio superiorum planetarũ stimulabit Tellurem ad attrahendas aquas marinas, juvabitq; eius concoctionem.

Coniunctionis magnæ naturalis effectus.

Huic dogmati duo accedunt suffragia è re præsenti, primũ quod fertiles anni per Dei gratiã secuti sunt conjunctionẽ magnã anni 1603. decembri mense factã; & vini quidẽ vilitas ad Nicrum eadem pene, quæ annis 1584. 1585. post illam conjunctionem in Piscibus: nisi quantum ipsa pecunia in dies vilior. Alterum quod & prior hyems post autumnum Anni 1603. & hæc ipsa, quæ de tam multa diximus, ostendit terram humoribus

bus fuisse turgentissimam; antea igitur hoc tantum humoris hauserat; antea vero & conjunctio magna fuit: Itaque hæc conjunctio Telluri stimulus ad hauriendum fuisse, credi potest. Idem igitur stimuli ad hauriendum & ad excernendum? Nescio, nisi quod etiam in animante idem cognatæ animantis aspectus & gignere creditur humorem genitalem, & interdum excernere. Quæ similitudo si cõceditur, distinctionem etiam adhibebimus hanc, quod ut in animantibus, coctio humoris temporis habet latitudinem, excretio momentanea est; sic in Tellure quoque causa stimulans ad attrahendum & hauriendum, & coquendum, prolixior sit causa stimulante ad excernendum. Ac cum aspectus definitio à præcisione summa pendeat, quæ momentanea est: Conjunctio igitur seu propinquitas Saturni & Iovis, non ut aspectus, sed generaliori ratione, propter ipsam scilicet propinquitatem luminum, dicetur stimulus telluri factus ad attrahendum, ut ita causa diu durante, effectus quoque diuturnior esse possit. Nova stella cum eo ipso tempore fuerit orta, quo sic exuberare incipiebant latentes terræ sinus; igitur postquam Planetis accessit; stimulum hunc attrahendi auxit, eamque attractionem continuavit, ut non cito exhauriri humor telluris posset. Interim quoties Planetis configurabatur; stimulum expultrici facultati dedit; atque ita utrinque operata credi potest.

Atq; hęc de generali illa facultate globi telluris ejusq; per novã stellã cõmotione: dicam⁹ & de cæteris: & missis stirpib. cæterisq; animantib. quorum opera sunt obscuriora, veniam⁹ ad principem animantiũ, Hominem.

De effectibus Naturalib. stellæ novæ in Homine.

Duplex autem est Hominis consideratio, prima vt creaturæ rationalis; altera ut ea facultate naturali prædita, quæ est illi communis cum ipso globo Telluris, percipiendi cœlestia citra discursum, citra doctrinam, citra profectum, citra ipsam adeo sui ipsius cognitionem. Dictum enim est supra capite X. commune hoc esse Cervo cum Actæone & Melthæo, cum Ptolemæo, cumque Aristoxeno, ut ab ea ratione Geometrica, quæ in vocibus est, & in hoc subjecto harmonica dicitur, suaviter afficiatur auscultans; quamvis ipse ignoret, id quod ipsum afficit, rem esse Geometricam, nec unquã didicerit Geometriam, nec discere possit. Dictum etiam est, in radijs planetarum inesse eandem rationem, quæ in vocibus; eaque similiter commoveri affectus & si quid est in hominis animo naturale, quod Aristoteles brutum & mortale pronunciavit.

Stellæ effectus in ratione Hominis illi accidentarius, huic naturalis.

Pro diversis his respectibus Hominis, distincte etiam pronuncio. Ac primo de ipsa ratione, qua nos Creator optimus ad sui similitudinem impertitus est, res non eget explicatione; Mortalium animos vehementer fuisse consternatos, ad primum hujus sideris conspectum. Testatur id Historia

ſtoria capitis. I. Hoc nomine ſignificavit ſtella varios rumores, varias ominationes de rebus futuris, conſternationem & ſtuporem vulgi, multa multorum negociorum impedimenta, multas occupationes novas. Quid ſingulis acciderit, ipſi dicant: me quod attinet, in præfatione recenſui.

Ad Saturnum, Iovem, Martem, ad Venerē & Mercurium erat mihi reſpiciendum; quib. omiſſis, & dilato labore inveſtigandi motus perennes ex obſervationibus Braheanis oculos ad Novum ſidus converti, in eo mutus hæſi. Quæras quid portenderit novum ſidus? Nimirum multas multorum Scriptiones de novo ſidere, multas typographorum occupationes, quos lucrum & conſcientia curioſitatis hominum inducebat. Quæ ſi pauciores fuerunt, quam in pagellis meis, vernaculo idiomate ſcriptis ominatus ſum, neſcio; illud ſcio & me operam dediſſe, ne vaticinium illud meum meis ipſius pagellis impleretur, excuſis non plus ducentis exemplaribus, additoque interdicto NE QVIS IMITETVR, & alium Ambergæ ſedentem, hanc vocem, ut eam excepit, perinde atque ſolet Echo, reddidiſſe; IMITATI SVNT AMBERGENSES, Imitati quidem ſunt & hi, & Argentinenſes. Itaque gratiam ipſis habeo, qui vaticinium meum adimpleverunt, mea ipſius opella, citra meam operam.

Echo Ambergenſis.

Eſt ne vero quid amplius quod portenderit hoc ſidus in meis ſtudiis? Quid ni? Deſcriptionem quippe ejus partis cæli non feciſſem, niſi in ea exorta eſſet nova Stella: de naturæ arcanis hoc ipſo libro, quē ſcribo, quemq; hic evulgo, tam multa commentus non eſſem: niſi ex Naturæ arcanis nova hæc Stella prodijſſet: Itaque ſi quibuſdam Philoſophorum abſurda videtur eſſe mea hæc nova philoſophia: habeant illi hoc commentationis portentum, cujus cauſa, incenſam eſſe portentoſam illam Stellam dicere poſſint, ne fortaſſe ipſis fruſtranea fuiſſe videatur.

Nihil horum ipſa per ſe ſtella potuit, nec quicquam niſi fulgorem in terras demiſit. Sed cum ſpecies ejus recepta eſſet in hominum oculos, illaque pro nova agnita ab aſtronomis, qui hanc ſcientiam, vſu, exercitatione, ſtudiove comparaverant; cumque illi vel tali loco conſtituti eſſent, ut officij ratione ad ſcribendum inſtigarentur: vel artem impreſſoriam exercerent, eaque viverent, & de hominum curioſitate ſcirent; his inquam cauſis in terra cōcurrentibus, effectus iſti ad Novam Stellam annectuntur; ut apud ſtellam ſit nil niſi occaſio; apud ſenſum vero ſtellæ, & apud ipſos homines, ſit totius cauſæ principatus; quod & cum ſuperioribus multis, & cum ijs quæ ſequentur, pulchre quadrare invenies.

Ad eundem modum etiam, ſi quis alius ſtellæ ſenſus vel æſtimatio eſſe potuit, aſtrologica nimirum aut vulgaris; ea homines ad alia & alia potuit inducere.

inducere. Quid si namque vulgus hominum, celebratione Novæ stellæ in expectationem rerum Novarum, erectum, facilius novi quid admisit; persuasum id fatale esse, & necessitate quadam promoveri, incensa etiam prodigiosa stella, in ejus gratiam? Quid si privati aliqui per Hungariam & Britanniam argumentatione astrologica inducti stellam hanc bonum omen interpretati sunt (laudabant enim eam ob luminis amœnissimum fulgorem plurimi.) & quod in domo Iovis fulsisset, veræ religioni eam patrocinari arbitrati (quam ex suo suæve partis judicio utrique æstimabant) illa ausi sunt attentare, quæ omnis loquetur posteritas? Quid si extitit, qui novæ religionis aut novæ Pacis in religione commẽtaretur articulos, confirmatus stellæ hujus consideratione, non astrologica, sed simplici & vulgari, quod conjunctis Planetis supersteterit. Cujusmodi si quis alicubi latitat, qui sibi vel prophetiæ munus arrogat, vel potentiæ ad destinata perficienda conscius est: hunc equidem præfiguratum censuerim, illo monstro quod hoc anno 1606. Iannuarij die $\frac{2}{12}$ natum est Argentinæ. Fœmellæ duæ, quarum ventres inferiores discreti, jecinora bina, cujusque venæ in sua brachia suosque pedes directæ, quorum gratia & gemina spina geminumque cerebellum in geminato occipite, vt nervi motorij in geminata brachia pedesque irent; simul & bina aurium paria, quod auditorij nervi ex cerebello oriantur, quod hic erat geminum: hæ inquam duæ fœmellæ, supra umbiculum aduersæ in unum Thoracem, capitibus vero secundis post unam faciem coaluerunt, unum par oculoum, unum nasum, unum os, quare & unum guttur, unum pulmonem, unum cor, sic unam gulam, unum ventriculum acceperunt. Et si vero monstri Pater arcularius fuisse fertur, cui opificio quotidianum opus est, conglutinare asseres bene dolatos & complanatos; ut inde suspicio oriatur impressionis imaginativæ, in prægnantis uxoris fœtum factæ: tamen is qui fœmellas conglutinavit, admirabilis opifex, incredibiliter majorem adhibuit sapientiam, quod fatebuntur Anatomici, quam solent arcularij; ratione inventa qua duo ex eodem principio viverent. Equidem contentionum de rebus fidei, jam pridem satur est mundus; neque tamen spes in propinquo est, reliquis partibus intermortuis, unam solam in mundo obtenturam. Quid enim si de ijs partibus, quæ hodie pugnant, idem fiat, quod de antiquis Christianorum sectis, ut diutissime in Mundo durent: sicut iuxta Latinos durarũt per Asiam & Africam Græci, Suriani Iudaizãtes, Iacobini Eutychiani, Tattari Nestoriani, quorum illi per Aphricam, hi per Asiam Septentrionalem ampliſſima regna possidebant; præterea Maronitæ Monotheletæ, Armeni, Georgiani. Itaque qui rationem invenire nititur, qua duo diversum sen-

Monstrũ artificiosum.

Monstri causa.

tientes, in unum cor amore coalescant, unum præ se ferant, unum loquantur, unam confessionem usurpent; multis manibus pro uno pugnent: cum quāvis monstrorū fabricatorē, verisimile est mundo acceptū fore, & à mōstro hoc adumbratū esse. Nisi forte præluserit hoc monstrū, fœderatarū Hāseatirarum Civitatū expeditioni, ad Brusuicensem obsidionem solvēdam, quod exemplis antiquis magis cōgruit. Dico vero amplius, quid si qui novas Indias adeunt; confirmati stella nova, vigilantiores sese in propagandis Christianæ fidei fundamentis exhibuerunt? qui non tantum prudentiæ sed etiam eximiæ pietatis laudem apud me quidem inde reportarēt; quod stellæ hujus apparitione rectissime & ad normam illius Magorum stellæ essent usi. Quorum quidē iter stellæ parallelo subjectum propius ipsos admonere potuit: & vt admoneat plurimos eo proficiscendi, opto: cum messis spiritualis amplissima ibi esse perhibeatur, nihilq; nisi fideles operarij, quibus hic abundamus, illic deesse. Atq; hujusmodi multa alia hominibus partim accidisse, partim accidere potuisse consentaneum est.

Fuit equidē hęc præcipue vox (*Nova stella, novus Rex.*) adeo crebra in ore vulgi, per Germaniam; ut jure mireris non extitisse ducem aliquem, factioni validissimæ concitandæ. Nimirum hoc profuit, vulgi oculos à præsentibus aversos, & in extraneum aliquem, eminus tumultuantem, conversos, ibi hæsisse, donec ista rerum novarum expectatio deferbesceret.

Quæcunque de Homine, quatenus is ratione utitur, jam dicta sunt; eadem & de occulta illa facultate, quæ homini cum omnibus rebus naturalibus communis est, dici possunt: nempe illos etiam qui de ortu novæ stellę nihil penitus audiebant, occulto instinctu suæ naturæ (quod ea in novam stellam respiciebat.) ad novationes fuisse procliues.

Atq; etsi rerumpub. motus, quod causas & modos, cæteraſq; rerum singularum circumstantias attinet, ex cœlo non sunt; nihil tñ impedit credere, quod hi ipsi jam dicti motus per Hungariā Austriam, Morauiam, Britanniam, & quę atrociora per Livoniam, Moscoviā, Turciam, Persiam, Indiam, adeoq; & propius nos, in ducatu Brunsuicensi cōtigerunt, quæq; adhuc gliscunt per Gallias, omniumq; maxime per Italiā in negocio Veneto, & quę jam sunt in acie novaculę per Poloniā, Lithuaniā, Russiā, magnos ex hac ipsa stella stimulos acceperint: usq; adeo cūcta νεωτερίζοντα experimur.

Sunt qui hæc extenuent, nec digna dicant, in quæ significatio novæ stellæ trahatur; cū atrociora cōtigerint olim, quādo neq; nova sidera fulserint, neq; comitia Planetarū superiorū fuerint. Ego vero jam nō disputo cui rei accēsa sit stella; fiet id postea; sed quid naturaliter in Naturā sublunarem ex novæ stellæ fulsione seq. sit cōsentaneū, ēt sine expressa novæ stellę notitia.

Qui

Qui vero minora hęc existimant quam ut in ijs agnoscere possint occultam quandam extimulationem ardoris hominum, non quæ consilio sit suscepta propter objecta obvia & cõsueta, sed quæ ab interiore aliqua Naturarum acerbitate fluat: ijs ego sic sentientibus idem accidere puto, quod in nebula ambulantibus, ut quantisper ipsi se mutuo conspiciunt, tantã nebulæ crassitudinẽ, qua circumdantur, nõ æstiment; ubi vero nebulã eminus conspexerint, ipsi in sudo stantes; tum demum densitatem eius oculos subeuntẽ admirantur. Sic turbas hodiernas extenuent qui velint: certũ est, ubi tempus aliquod præterierit, omniaq; quę hodie geruntur, fuerint annotata, lectores sic judicaturos, omnino tumultuosa fuisse ista tẽpora præ cęteris. *Magnas hodie turbas esse.*

Anno quidem 1572. postquam affulsit illa Cassiopejæ stella; quietæ erãt ut plurimũ prouinciæ cæteris: at in Belgio & Gallijs, cũ circa ea tẽpora res turbatæ essent: tanta ex eo anno cõmotio de novo est secuta, non uno quidem ictu, sed per longã telã, ut totę illustres familiæ, totę Resp. everterẽtur funditus, novæq; exorirentur: quarũ turbarũ nondum finis; cum jam paucissimi supersint qui primis initijs interfuere; utrisq; partium pessime multatis: ijs etiam qui mature se fuga subtraxerunt, inq; alijs regionibus consederunt, invidia incolarum, & inopia miserè vexatis. *Quæ consecuta sint stellam anno 1572.*

Qua unius exempli inductione, sive bene argumenter sive futiliter; illud certe unum citra damnum infero; arbitrari me, Rerump. moderatores, ipsosq; adeo Monarchas debere oculos animosq; in hoc exemplũ intẽtos habere, diligenterq; providere; ne major fide sit hodierna uniuersitatis hominum exacerbatio; neve etiam nunc semina jacta sint longissimarum calamitatum tam intra Germaniam quã in vicinia; neve ea, ubi jacta videri possunt, negligentiâ, & minimi laboris incommodive detrectatione tandem adolescant, & penitus radices agant; adeo, ut citra totius agri pernitiem exstirpari postmodum non possint.

Nam ut id tandem finiam, quod mihi ex naturæ ordine dici posse de nova stella videtur: Considerandum & hoc est, cum stella hæc proxime Eclipticam steterit, juncta planetis tribus, lumenque cœleste simile affixis sideribus obtinuerit: ejus utique speciem, ut cæterorum Planetarum & fixarum, etiam in Naturas nascentium hominum una recipi consentaneum esse. Itaq; qui circa 9. & 10. Decemb. stylo novo nati sunt, ij Solẽ habuerunt junctum novo sideri; ut taceam illos, qui toto durationis eius tempore, ijs horis prodierunt, quibus sidus culminauit, ortumve fuit. Atq; hos omnes consentaneum est naturam sortitos νεωτερίζουσαν: quibus non consultum est, turbas modernas quasi per manus transmittere, ut ijsdem ipsi cum adoleverint misceantur. Magna est vis imaginationis in prægnanti- *Novæ stellæ effectus in nascentibus sub ea.*

bus, quæ odia, amicitiasq; partiũ, in fœtus suos propagant; & quæ maximas ab hoste vel Domino perpetiuntur injurias, cum gerunt uterum : earum illi fœtus postquam adoleverint acerrimi solent existere injuriarum illatarum vindices.

Hæc est Philosophia famosissimi illius Liechtembergij; quam verissimã exẽplis cõpluribus, si non essent odiosa, cõprobare possem. Qua philosophia si Magi illi ad Herodem Regẽ vsi essent, professi gentẽ novã, asperã, trucem, novatricem, seruitutis impatientem, quæ sub illa biennali stella esset edita, succreturam: non valde mirum, si Herodes tyrannus ex eo consilium cepisset extirpandi illam in ipsa herba.

Brahe, Röslinum.

Atque hoc fundamento nixos puto eos, qui significata stellæ novæ quæ anno 1572. exarsit, in annum ab illo tricesimum & ultra contulerunt: quod qui tunc nati sunt, ij hoc tempore, elapsis iam 34. annis, in viros succreuerint, & rebus gerendis idonei sint. Tantundẽ quippe temporis fluxit etiã ab exortu Magorum stellæ, priusquã quid illa significaret, in Christo, qui sub ea natus erat, pateret. Respõdet ætas & in eo Principe qui spreto Turcarũ Imperatore, Christianis se iũxit, & deniq; Baciã cessit Regi Hungariæ, ex quo tẽpore, ut olim Africa, sic jam Bacia semper aliquid novi.

Quæ de nascentibus dixi, eadẽ ex parte & de illis intelligãtur, qui multis annis ante, die 29.30. Novemb. stylo veteri nati sunt, quorum Solis locum stella occupavit; aut si quibus in orientẽ incidit; quibus similiter stella, quantisper quidem fulsit, non influxu, sed cõmotione occulta facultatum animæ naturalium, stimulos ad res gerendas addidisse, credi potest.

Hæc tamen intra hos terminos conquiescere necesse est; quæ primũ atque ad speciẽ deducuntur; jam ἰλιὰς κακῶν. Itaq; non valde meditate Fabricius, magno Germaniæ Principi, ex eo solo quod nova stella ortum eius sextili feriret, sole sub ipsum exortum stellæ in illo gradu versante, ausus est felicia omnia, & quidem magnam in Imperio dignitatis accessionem polliceri. Quod hoc loco non alio consilio recenseo, quam ut moneam, quæ sic ego de genesibus dixi, longissime diversa esse ab Astrologorum, & ab his ipsis Fabricij decretis. Nam ut nihil dicam, longe quæsitam esse hanc stellę cum illa genesi cognationem, interventu solis: longe aliud est, Aliquem Anno 1605. inquietari ex occulta stimulatione naturæ suæ per stellam facta: &, Eundem ex hoc anno 1605. in posterum præcipuam dignitatem in Imperio Germanico expectare debere, suisque consilijs Imperij statum in melius emendaturum. Hoc consilij est, circumstantiarumq; sublunarium: illud naturæ.

De

De Trigoni ignei naturalibus effectibus.

Caput XXIX.

Interiicienda est separata hæc explicatio, non tantũ ideo, quia imperfecta videbitur Trigoni ignei descriptio, nisi paucula aliqua respondeantur ad infinitas astrologorum prædictiones ex trigono igneo desumptas: sed etiam quia in sequentibus, Ignei trigoni circumstantia cum stella implicabitur: ut clare pateat quo respectu id fiat; & quid Trigonus igneus per se possit, quidve à stella adjuvetur: Denique ut fiat separatio eorum, quæ ex astrologorum decretis conjunctioni magnæ ascribuntur, ab iis, quæ astrologis & nominatim Fabricio meo spei metusve, & varia præjudicia suggesserunt. Nam secundum Principia Cap. 26. 27. usurpata, credi potest, Deus ipse aliquam rationem habere, eorum quæ sincera mente ex astrologicis præceptis depromuntur: ut plurimum expediat, ea perpurgata haberi. Et dictum quidem est proximis capitibus, etiamque in superioribus sparsim, quid naturaliter in facultatem globi telluris, eam quæ Meteoris præest, potuerit hæc conjunctio Saturni, Iovis & Martis, quæ annis 1603. 1604. initium fecit Trigono igneo. Astrologorum quidem decreta sic sunt comparata, ut Melancholico homini metum conflagrationis Mundi inijcere possint. Quorum persuasionem jam confirmare incipiebant calidæ nonnullæ annorum sequentium partes: hæc ipsa vero æstas anni 1606. quæ humiditate excedit modum funditus iterum convellit. Sic olim Anno 1524. cum Astrologi ex opinione Trigoni aquei luctuosa & horrenda diluvia prædixissent: Creduli non nulli, desertis planitiebus in montana sese receperunt. Atqui non aquis illi, sed paulo post sanguine Agricolarum inundante non pauci periere. Vana est itaque squalorum & siccitatum, ex solo nomine ignei Trigoni expectatio. Non minus enim pluviarum, nivium, diluviorum erit per hos ducentos annos, quam exacto aqueo Trigono fuit incendiorum, fulminum, siccitatisque. Dictum enim capite VI. Denominationes ab Elementis & sic etiam ab igne, venisse trigonis non ex Natura sua, multo minus ex effectu; sed ex mero Astrologorum arbitrio. O vanitatem infinitam Astrologorum, qui nunquam sapere incipiunt, nunquam cessant his futilissimis denominationum ludicrarum fundamentis prognostica sua superstruere!

Trigoni ignei effectus in Meteoris.

Quid? nonne quidam eò amentiæ sunt progressi, ut quia certum habemus Christiani, *Cœlos & Terram qui nunc sunt, Igni reservari in diem iudicij:* hunc

Trigonus igneus non

hunc illum ignem, hoc tempus ducentorum annorũ illud tempus esse advent⁹ Domini, diei Noviſſimę, & Iudicij extremi, auſi ſunt conjectare? Qui præter ſtultitiam opinionis de ignitis temporibus, impietatis etiam rei fiunt, ſtatuentes hunc Mundi interitũ futurum, ſecundũ Naturæ curſum: ſic ut ex motibus cælorũ tanto ante prædici poſſit, cum tenẽat fideles omnes, hunc adventum Domini fore plane improviſum, adeo, ut furis alicujus irruptioni comparetur. Contra hujuſmodi veſaricam, inculco firmiſſimum hoc axioma: Rei Naturali, qualis eſt iſte reditus Trigonorum, non adhærere ullam ſignificationem ullius præternaturalis; niſi accedat voluntas & arbitrium ejus, in cujus poteſtate res illa præternaturalis eſt poſita, ut cum Iride res habet. At conſtat, motus cœlorum permitti Naturæ.

Trigoni ignei effectus in ſocietate hominum.

Iam quod homines attinẽt, eorumque congregationes: & ſiquidem conjunctionum magnarum ipſarum inter ipſos evidentes videre licet effectus, ut ſupradictum: etſi etiam ad articulos conjunctionum multa ſpecialia ſeſe accommodant ex Hiſtorijs; quæ Petro de Aliaco Cardinali dederunt occaſionem comparandi hiſtorias & religionum periodos cum Aſtronomia; quorum aliqua capite ſeptimo in tabella ſunt ob oculos poſita; tamen qui diligenter omnia expendit, deprehendet; non ſub ipſos articulos Revoluti Trigoni Ignei novam aliquam rerum faciem ex improviſo extitiſſe. Quidquid enim experientia per modum naturalem tranſcribere poteſt his Trigonorum permutationibus, ſeu potius magnis conjunctionibus; id hac generali voce, Turbationis rerum per ſeſe mobilium, comprehenditur. In ijs quippe negocijs, ijſque Rebuſpub. quæ jam à multo tẽpore turbabantur leniter; novi & præcipui tumultus excitati ſunt; idque ante triennium tutò prædicere potui, etiam hac vice futurum.

Inquietudo.

At non converſio Imperiorum.

Imperium vero plane novum inter homines conſtituere, Regnaq; & principat⁹ transferre, mutationes Religionum ſeu procurare, quæ ſunt in melius, ſeu permittere, quæ in deteri⁹ vergunt; hæc inquam opera non Naturæ, ſed ſoli⁹ ſunt imperſcrutabilis ꝓvidentiæ divinæ; ſolentq; utplurimũ à tã contemptis initijs ꝓgredi, ut quã plurimos annos, ſæpe etiã non unum ſæculum lateant, aut quãvis appareant, tñ ab ejus ætatis hominibus contenant. Hæc igit̃ ego ante hoc trienniũ (.cũ ex more de Trigono igneo aliq̃d germanico idiomate ꝓſcribere.) cũ nondũ acceſſiſſet nova ſtella, ſic ſolitus sũ applicare ad noſtra tẽpora, ut fideter ꝓnunciaverim: ſtruſtra nos inhiare reb. plane novis, mutationibusq; talib. quales Aſtrologi nobis ex Trigono igneo prædicerent, neq; perpendere ꝙ proximo ſæculo tantæ jam mutationes præceſſerint; ut vix majora ſperanda, vel expectãda ſint. Itaq; quicquid poſt hoc initium Trigoni ignei futurum eſſet, id aut jam antiquam, & cen-

Majora à 158. annis præceßiſſe, quam quæ in poſterũ ex trigono igneo natu raliter qui dẽ ſperari poßint.

centum annorum esse fabulam: aut si quid plane novi feratur; priusquam id in eam adolescat magnitudinem ut oculos incurrat; plurimos ex ijs qui hodie sunt, vitam deserturam, itaq; inutilē & irritam esse ipsorum curiositatem. Desinant igitur homines (occasione hujus quidem initij de Trigono igneo, solitarie & naturaliter considerati) somnia sibi fingere magnifica; Turcæ de opprimendis Christianis; Christiani de subvertenda domus Othomannicæ tyrannide, aut de convertendis ad fidem Christianam vastissimis Asiæ regnis, Persarum Regi parentibus: eo quod Trigonus igneus faveat religioni Christianæ scilicet; partes per Europam litigantes, altera de alterius extirpatione, aut recuperatione; quæ citra ingentem Orbis terrarum concussionem & inauditos tumultus fieri vix possint. Quæcunque enim hujusmodi sperari vel metui pie soleant; eorum semina nondum certe sufficienter apparere; ut astrologus verisimilem inde conjecturam formare possit; quamdiu quidem solas conjunctiones magnas intuetur; quod facit is, qui ipsam etiam stellam, naturalem. & astrologicum effectum esse statuit magnæ conjunctionis: ut Fabricius non obscure; ut Astrologi alij, qui scripserunt, priusquam Nova stella cōparuisset. Nam quod nova stella præter naturæ usitatum cursum ad conjunctionem accessit: de hujus rei præternaturali significatione nondum quidem cœpi dicere; fiet autem paulo post: in præsens vero inculco, quod paulo supra dixi, nimirum quæ ex Planetarum configurationibus non significantur per naturæ quendam modum, plane non præsignificari.

Quænam ex magnis coniunctionibus præcipuæ?

Quæ dixi, naturali argumento, ex ipsis magnis conjunctionibus ducto, confirmavi; non esse, cur ob hanc nuperam conjunctionem, præcipuum aliquid, majusque quam superioribus duobus sæculis, Naturæ vi, expectemus. Nihil enim interest, ad rerum humanarum statum commovendum, ab igne an ab aqua Trigonus denominetur: at hic multum interest, multi an pauci planetæ, ijque prope an laxe & eminus coeant.

Cum enim ea hominis facultas, quę capax est harmoniarum inter radiationes cælestes, ipsa quoque det hoc homini, ut sit animal sociabile; ipsa nimirum sit fundamentum & principium Politiarum, per singulos sparsum: (instinctus enim est potius apud homines, quam consilium, in unum coire, Deo providente imbecillitati ratiocinationum nostrarum, easque hoc instinctu præveniente.) fit igitur ut ἁρμογὴ radiorū causetur ἁρμογῶν operationum; & facilius in idem opus coeant multorum animi, cum copulantur in cælo radij multorum siderum: Et quo arctius coeunt sidera; hoc arctius etiam se mutuo complectuntur, juvantque homines; hoc subtiliora & acutiora (nimirum harmonica) nascuntur ingenia. Itaque annis 1444. 1504. 1563. 1623. conjunguntur Saturnus & Iuppiter arctissime;

quia locus coitionum est Cancer & Leo, ubi sunt Iovis & Saturni nodi evehentes, & Saturni quidem, qui latius in Septentrionem excurrit, nodus sequitur; ut ita circa initium Leonis fiat mutua itinerum Saturni & Iovis intersectio. Caculus quidem ostendit, annis 1444. 1504. Saturnum Iove australiorem esse; annis vero 1563. 1623. jam Septentrionaliorem. Itaque intra 400 annos vix propius coeunt, quam factum anno 1563 (. in Opticis meis fol. 305. sphalma vnius cētenarij tolle.) & cum pauciſſima scrupula intersint inter latitudines Saturni & Iovis, non equidem tantum tribuo calculo, ut negare audeam, corporalem fuisse illam conjunctionem. Quo nomine longe anteferenda fuit illa conjunctio, modernæ anni, 1603. ejusque similibus An. 1544. 1484. ut quæ Saturnum uno gradu borealiorem Iove exhibent; anteferenda etiam conjunctionib. in signo Piscium, annis 1464. 1524. 1583. 1643. quæ Saturnum sub Iovem tantundem deprimunt in austrum. Addit vero illis in Cancro vim etiam altitudo signi in hoc Boreali hemisphærio: cum quæ in Piscibus & Ariete fiunt, humiles sint, & multo humiliores quam in Sagittario ut moderna. Denique in Sagittario Piscibus & Arietis initio Saturnus & Iuppiter descendunt ab Apsidibus; in Cancro & Leone ascendunt. Itaque quod Astronomicas causas attinet; multo potiores sunt in Cancro & Leone coitus quam hic modernus in Sagittario.

Vicissim quod multitudinem attinet planetarum; haud scio an ulla ex magnis conjunctionibus, quæ inde à condito Mundo fuerunt, comparari possit cum illa, quæ fuit Anno 1524. mense Februario: quando Saturnus, Iuppiter, & Mars quasi eodem die conjungebantur in 10. gradu piscium, Venus paucis gradib. ante ipsos staret, Sol & Mercurius in fine Aquarij, paulo ante junctos hærerent & ipsi juncti, & directi, Luna triginta horarum spacio per omnes transiret. At An. 1603. cum jungerentur Saturnus & Iuppiter, Mars aberat in Libra: qui postquam anno 1604. ad locum accessit, jam Iuppiter superaverat Saturnum. Huc igitur ô Astrologi, huc vos Astronomia jubet oculos intendere: ubi non inania nominum terriculamenta, sed ubi res, quæ à Natura magni fiunt, conspiratio motuum, copulatioque radiorum arctissima.

Est quidem & in hac nostra conjunctione illud quoque notandum; quod Sol paucis diebus ante conjunctionem, ipse quoque coeuntibus jungebatur; quam Venus & Mercurius, uti frequenter fit, comitabantur: sed commune hoc habet ista conjunctio cum omnibus proximorum sæculorum conjunctionibus, quibus Sol semper propinquus invenitur; ut sola anni 1563. conjunctio ex omnibus, quæ proximis annis 250. nos circumstant,

ſtant, conſpicua ſit, quippe matutino Planetarum exortu; & tamen ne hîc quidem ſol longius abeſt. Vſque adeo in ſolidum his noſtrorum temporum conjunctionibus negatum eſt, quod tempore Chriſti fieri potuit; ut ſcilicet conjunctiones accidant in oppoſito ſolis, quando planetæ tardi, ob retrogradationem; itaque ter una vice congrediantur.

Igitur ſive naturam ſive ſuum morem tueantur aſtrologi, exiſtimantes, in hac cæleſtium motuum pulcherrima politia depictas eſſe converſiones Rerumpublicarum & religionum: habuerunt evidens hinc argumentum, cur nihil porro expectarent; quod cum ijs, quæ jam à 150. annis acciderant, magnitudine comparari poſſit, quamdiu quidem in ſolam hanc conjunctionem magnam anni 1603. ſunt intuiti, necdum ſtella nova acceſſerat.

Quæ igitur tunc in hunc modum ex aſtronomia diſſerui; ea ſic habere deprehendentur, ſi paululum in hiſtorias, inque comparationem præteritorum cum præſentibus libeat exſpaciari. Equidem his 150. annis, tot & tanta acciderunt, ut majora vix potuerint, eaque talia, ut ſuo quodam reſpectu ad cauſas naturales, conſenſumque naturæ ſublunaris cum harmonijs cæleſtibus pulcherrime referri poſſint. Quis enim eſt tam oſcitans, qui non hoc ex hiſtoriarum lectione deprehendat; Mundum à tempore everſi Romani Imperij prioris, ab irruptione barbararum gentium, quaſi quodam altiſſimo veterno correptum, ad mille annos dormiviſſe; ab anno vero 1450. expergefactum ad priſtinam alacritatem redijſſe? Antea everſis Rebuſpublicis, conculcatis ſalutaribus ritibus, inoleverant mores barbari, quorum aliqua veſtigia hodie ridemus & ſubſannamus: Iuſtitia profligata, vis valebat; latrocinia Nobilitatis erant exercitia. Exſtirpata Chriſtiana doctrina, mundi pars magna conſenſerat in fœdiſſima & abſurdiſſima Mahometis dogmata. Apud Chriſtianos multa barbaries ſermonis, multa ignorantia, & cætera, quæ longum eſt exſequi: Saracenorum Reges creabantur, loco movebantur à Caliphis. Quanta per Deum immortalem fœditas Regni Sultanorum in Ægypto? ubi nemo imperare poterat, niſi prius mancipium fuiſſet, prius eam gentem cui imperaturus erat impietatis damnaſſet, o diſſet pejus cane & angue, à ſua ſententia defeciſſet, perjurus in Chriſtianos factus eſſet. A multis multas & magnas res geſtas eſſe non nego; at ſi compares illas cum noſtris, invenies multitudine potius, & multis centenis millium, quã conſilio patratas; nec diuturnas fuiſſe. Artes veterib. notæ, plurimæ extinctæ erant; literarum ſtudia, redacta intra monaſteriorum anguſtias, ibi quoque miſere degebant; Curijs principum, in Germania maxime, præerant Eccleſiaſtici: quibus ſolis nõ dabatur probro

Comparatio ſæculorum paulo præcedentium cum præſentibus.

literas didiciſſe. Capitales linguæ, Græca & Latina publice corrumpebant, ſola literarũ librorumq; penuria, & inũdatione barbarorũ. Quot p̃clariſſima antiquorũ opera, quot hiſtorię, quot Theologorũ libri, imo quot integræ Bibliothecæ p hanc ſocordiã amiſſæ, ut hodie ſpes nulla ſuperſit recuperandi? At vide nunc rerũ ab 150. annis commutationẽ mirabilem. Primum emendatæ leges Imperiorum, Germanici præſertim; ſancta & ſtabilita pax publica, interdictæ graſſationes, judicia conſtituta, conſuetudines ſaluberrimæ ſtabilitæ, inter quas non poſtrema eſt, celerum ſeu veredariorum inſtitutio. Ipſa Turcarum gens exuta barbarie civilitatem didicit. Cœpit Europa ſuas expendere & agnoſcere vires, & conſilio magis uti, quam impetu, maxime poſt amiſſam Conſtantinopolim, & Gręcorum Imperium everſum. Inventæ machinæ bellicæ, excultus multa manu earundem vſus, ad ſummam commoditatem vſque. Gens Turcarum maximos progreſſus fecit, vigilantia, induſtria, fortitudine; Græcis vel enervatis, vel inter ſe, ut & Europæis, diſſidentibus. Hiſpani Mauros expulere; ſumma animorum contẽtione in rem nauticam incubuere; iter in Indias Orientis, multorum annorum operâ, primum dimiſſis per Africam exploratoribus, pòſt inſtructis navibus, & circumita Africa, tandem detexerunt. Favit tantæ induſtriæ & fortuna, detectis Occidentalibus Indijs: ex quibus rebus commercia Europæa incredibilibus incrementis ad ſummum uſque faſtigium pervenere; utiq; ardentibus omnium animis ob cauſas, quod ego jam infero, cæleſtes. Vna ſola ars typographica facile evicerit, ineffabilem fuiſſe tunc temporis hominum induſtriam: ſi quis paulo diligentius perpenderit, quota manu ars indigeat; imo quot exempla, quam paucis manibus perficiantur; denique quot gradus interſint, priuſquam à ſigillis, quibus Scaliger exiſtimat, admonitos de typographia, majores noſtros, ad hodiernam artis magnificentiam perveniatur. Typographiâ natâ vulgati libri; hinc univerſi paſſim per Europam ad literarum ſtudia ſe contulerunt; hinc natæ tot Academiæ; tot ſubito docti viri extiterunt; ut brevi caderet eorum, qui barbariem retinebant, authoritas; nec quieverunt hominum deſideria; donec novi ordinis, qui literarum ſtudijs ex profeſſo operaretur, author extitit; à quo tempore omnis prope religioſorum ordinum authoritas ad hunc tranſijt; niſi quatenus antiquiores illi, ſuarum rerum ſatagentes, ipſi quoque ad literarum ſtudia ſe conferunt. Ex navigationibus & commercijs occaſio eſt oblata Europæis, Chriſtianam fidem apud barbaras & huc vſq; ignotas nationes latiſſime propagandi: contra ex Academijs & libertate diſputandi, & ex librorum copia, & typographiæ commoditate; nimirum ex eruditione & inquietudine publica, orta eſt denique ingens illa & omnibus ſæculis

memo-

morabilis seceſſio plurimarum Europæ provinciarum à ſede Romana. Rem ipſam, cum ijs circumſtantijs, quibus eſt deſcripta, altius, indeque à divina providentia profectam, nec intra naturalium cauſarum anguſtias cogendam, plane perſuaſum habeo; nec negant, qui eam vituperant: At ineſt in re ipſa vniverſale quippiam, & per omnia reliqua humana negocia ſpectabile; puta inquietudo & fervor hominum, per hæc tempora p̃cipuus: de quo ſolo jam mihi ſermo: dum exempla quib. iſte fervor probatur commemoro. Cum enim ex ſtimulis cęleſtibus concitati eſſent omnium animi, facileq; invicem copularentur vicini quacunq; de cauſa: hinc ortæ tot ſeditiones, factiones, diſſidia, bella, tam religionis, quam imperiorum cauſa. Inter ipſos Mahumetanos qui hodie cum Chriſtianis & Iudæis multitudinem generis humani ex æquo fere tripertiuntur; nonne hoc ſeculo nova civilium bellorum fax, ex diſſimilitudine religionis ipſorum exarſit, quæ Turcis olim exitium allatura videtur? Et quia anno 1504. 1524. 1563. capitales conjunctiones fuere: puto hinc etiam tanto facilius oriri potuiſſe communem cauſam, quæ plurimarum, longiſſime diſſitarum gentium amorem animosque copulat: ut quoties in Gallijs, in Belgio, in Britannijs depugnatur; non deſint in Hungaria, in Polonia, in Germania, qui contrarijs votis ſuę quiſq; partis fortunã proſequantur, ſuam rẽpagi putẽt: quamvis interim ſi communi hoſte carerent, inter ſe ipſi pugnaturi eſſent.

Quatenus hodierna generis humani inquietudo referatur ad conjunctiones magnas noſtri temporis.

Dices iſta eſſe Spiritus S. qui per diverſitatem linguarum cunctarum gẽtes in vnitate fidei congreget. Nec nego ego hoc, & omnia huic Sp. tranſcriberem, ſi non tam multa hujuſmodi de malo eſſent: ſi non vtriſque partium hoſtiliter ſe mutuo inſectantium quod non eſt à S. Spiritu, ſtudium hoc idem eſſet. An eſt hoc contemptibile, ipſas etiam antiquitates, quæ hodie vel defenduntur conſtantiſſime, vel eruuntur pertinaciſſime, hodie nitere; omnes earum fuligines diuturnitate temporis contractas expurgari, coloribus luculentis induci, ut ſi fidem ſolis oculis habeas, omnia nova pronuncies? An vnquam eſt auditum, partes adverſas regionibus non valde diſſitas, claſſibus inſtructis ire ad Antipodas, ut illic de rerum ſumma decertent; quaſi non æque ſit expeditum domi mori. An vnquam florente Romanorum imperio, Sarmatica vel Germanica claſſis, ex mari Balthico ſolvens, circumnavigata Europa, in Italiam venit, celeritate curſores, per mediterranea, via breviſſima euntes, antevertens, & frumento illato caritate annonę ſublevavit? Quid habet ſimile propior antiquitas hodiernæ ſcientiæ rei militaris? Quid dicam de hodiernis artib. mechanicis multitudine innumerabilibus, ſubtilitate incomprehenſibilib. An nõ omnes ſcriptores veteres, quotcunq; extãt, arte typographica in lucem hodie vindica-

mus? An non hodie ipse Cicero à nostris tot Criticis rursum discit Latine loqui? Scriptorum vero in omnibus facultatibus, maxime post annum 1563. major quotannis excuditur numerus, quam mille ante actis fuerat universorum. Per hos nova hodie facta est Theologia, nova Iurisprudentia, novarunt & Paracelsistæ Medicinam, & Copernicani Astronomiam.

Opinor equidem nunc demum vivere, imo & furere mundum: neq; frustraneos fuisse illos selectissimarum conjunctionum stimulos.

Nullam improvisam mutationem ex igneo trigono prædici posse.

His itaque perpensis stultos pronunciavi Astrologos, si putent, nobis per hos futuros 200. annos plura expectanda, & majora quam exactis 150. contigerunt, vi quidem naturali Trigoni ignei ab anno 1603. novum initium sumentis, & solitarie considerati. Nisi forte existimant, novum aliquem orbem detectum, aut artem volandi repertum iri, qua in lunam eamus, aut in alium mundi globum; quibus hercle jam iste telluris globus angustus est.

Exempla ætatis Christi.

Comparatione temporum Christi & Caroli Magni, quibus Fabricius utitur, res patescet. Anno 40. Iuliano, 5. annis ante æram Christianorum, fuit conjunctio magna in Piscibus; quæ sic potuit pro initio haberi Trigoni ignei, ut illa anno 1583. potuit. Imperium igitur Romanorum amplius 40. annis antea devolutum erat à populo ad familiam Cæsarum. Nec jam novi quid accidit; nam mansit imperium in hac familia adhuc 70. annis, mansit apud Augustum adhuc 19. annis; apud alias Romanas familias Principum diutissime.

Caroli Magni.

Sic cum rediisset ignea triplicitas, circa annum Christi 809: nihil novi, nisi quod Carolus Magnus imperium Occidentis anno 751. in patrem Pipinum, & Romanum anno 801. in se translatum, præclaris successibus stabilivit.

Quin potius missis nominibus constellationum Trigonorumque, ab igne aquave ductorum, res ipsas jussi intueri, ut hodie sunt comparatæ. Quædam enim ad fastigium contendunt; quædam ad interitum vergunt; quarundam duratio diuturna sperari potest. Itaque stimulum istum conjunctionis in Sagittario, in ijs potissimum turbaturum & inquietaturum homines, quæ habent sub manibus. Quæ vero de novo plane sint oritura occasione cœlestis hujus extimulationis; ea majora esse non posse, quantisper sola Trigoni ignei dominetur efficacia, quamq; paulo ante acciderint.

Ac etsi postquam Nova stella accessit, jam porro majora aliqua sperari possunt; tamen quia stella illa fortassis aliquibus naturæ vi extitisse videbitur, ut supra in suspenso reliquimus; quibus ideo nihil, præter ea quæ cap. 29. dicta, portendere statuitur: lubet in eorum gratiam hic generale hoc-

hoc pronunciatum de effectu naturali Trigoni ignei (. adeoque & ſtellæ.) explicare latius. Pugnabunt nimirum Reges Europæ de Imperijs, hic vi res agetur, illic inſidijs, pro diverſis nationum motibus; in Germania, atque etiam alibi, magis magisque exacerbabuntur animi: quo magis convaleſcent; qui antiquitatem defendunt, hoc propius coibunt, qui libertatem: & quo proſperiore hi utentur fortuna, hoc acerbius in vicem mordebunt, conſumenturque invicem: fierique tunc poteſt, ut novæ factiones, novæ opiniones emergant. Quanquam contentionum ſtudium apud Politicos, ut ſupradictum, in declinatione eſt: exiſtent igitur compoſitores, qui ipſi non minus turbarum concitabunt, quam ſi novam ſectam ſuaderent. Krabbus dixit eadem, de oritura religione media, ſed oculis à cœlo in Regem aliquem Europæ, inque rumores nonnullos aulicos retortis.

Quid Trigonus ignеus naturaliter ſignificet.

Krabbi vaticinium.

Mutationes contingent non ſpernendę, magiſtratibus his intermortuis, illis diverſæ profeſſionis ſuccedentibus, ſuasque ſecum trahentibus provincias, &, quæ prius illæ didicerant, dedocentibus.

Hæc omnia ſic dico, ut is, qui ſolam naturam intuetur. Interim divinæ providentiæ non ſum immemor: quæ ſi natura interdum utitur, vt quam ipſam providit: at certe à Natura non accipit leges, pœnas miſericordiamque ſuam inter eos qui placuere diſpenſandi.

Turcarum quidem imperium, rerum intelligentes multum de priſtinis viribus deperdidiſſe exiſtimant; nec eſſe impoſſibile, illud, conſpirantibus inde Perſarum, hinc Chriſtianorum viribus, everti, ſi noſtris nos viribus uti, majeſtatemque prudentia temperare pergamus. Itaque hic per accidens ijs aſſentior qui ex aſtris, illi imperio minitantur interitum. Illi quidem ad inane ignis nomen reſpiciunt; exiſtimantes, cum dogma hoc ſub aqueo Trigono cœperit, ſub igneo interiturum; nec perpendunt, jam ſemel ſub igneo Trigono, ab An. Chriſti 800. in 1000. perennaſſe & convaluiſſe: Chriſti vero doctrinam ajunt ſub igneo cœpiſſe, qui primis 200. annis duravit, eandemq; ſub hoc igneo ab anno 1600. in 1800. latius propagandam: rurſum obliti, quod per hos 100. annos ſub Aqueo Trigono navigationum peritiâ longius per orbem diſſeminata ſit, quod ſpacia Terrarum attinet; quam inde à prima ejus origine.

An ſecta Mahumetana brevi ſit interitura vi Trigoni Ignei.

Ego etſi & opto, & omnino exiſtimo, jam ruere Othomanicæ familiæ potentiam: Naturales tamen cauſas ex Trigono igneo nullas video, quib. ij, qui Mahometicam doctrinam amplectuntur, poti⁹ Chriſtianorum, quam Perſarum dominatui acceſſuri probentur. Vtrum autem aliquid melius ſit expectandum, poſtquam jam ſtella nova effulſit: differo in ſequens caput differere. Sæpe jam ſecundi rumores auditi ſunt de Perſa Chriſtiano facto;

sed ij tanta oscitantia scripti, tanta verisimilitudinis negligentia; ut facile appareat, vota potius esse simplicium, quam narrationes expertorum.

Nec enim interest; quam multiplex nostris seu religiosis, seu secularibus, ijs in regionibus conversari liceat; sed quam multis ex provincialibus Christi fides persuadeatur. Atque utinam fiat, quod omnium votis expetitur: tunc nova mihi disputatio erit cum astrologis, quibus hoc tamen sum negaturus; tantam gratiam Dei super miseras gentes, significatam esse à Trigono igneo; cujus nomen vanum, recursus vero status est & naturalis, non arbitrarius, non à Deo procuratus extra ordinem. Quin potius id ad alia signa, nostramque stellam sum relaturus, ut paulo post dicetur.

Quibus regionibus minetur Trigonus igneus.

Quantum igitur ad singulares regiones attinet, super quas Trigonus igneus significare dicitur: etsi sunt tenuia aliqua adminicula, regiones certas subijciendi certis signis cælestibus, quantum hujus geneses imperantium, illisque consentientes subditorum, præstare possunt; tamen & ex dictis apparere puto, & ante triennium inculcaui, nil esse nobis opus, adire Catalogos Vrbium & Regionum, quæ subesse creduntur Trigono igneo, nominatim vero Sagittario. Primum enim ubi alta pax, ibi frustra suspicamur instantem de propinquo mutationē insignem. Nec enim novi quicquam huc usque obvenit Stutgardiæ, aut Misniæ, aut ipsis Hispanijs; etsi sub Sagittarium referuntur.

Contra vero, in se quisque descendat, seque suamque patriam exploret, an à multo tempore compertū sit glisscere dissidia, fraudemq; & operta tumescere bella. Nam qui hoc in Catalogo annotatum nomen habet; is habet, quod sibi ab hac conjunctione metuat, ne ea tantos stimulos afferat, ut in apertum prorumpant mala, hactenus bene condita.

Itaque quod Ungariam seditionibus, Moraviam deprædationibus flagrantem vidimus: ejus rei hæc ipsa jam dicta, & in hominibus ipsis sita, causa fuit. Sagittarius hic Ungariæ, Cassoviæ, Moravię nihil nocuit. Attinuerunt enim mala ista etiam Austriam & Styriam; quarum illa sub Libram hæc sub Capricornum refertur; neutra sub sagittarium conjunctionis hospitium.

Atque hoc vel uno eventu, ego causam meam à communi Astrologorum causa hic diuisam, mirifice comprobatam existimo.

Delectum tamen inter homines admisi, ut quibus hic conjunctionis locus præcipua geneseos loca attineat, dummodo & agiles atq; harmonicæ naturæ sint; ij præcipuos ex hac conjunctione stimulos persentiscant.

Quæ igitur hoc capite perscripsi, tu candide lector sic legito, ut quæ scripta sunt, antequam novum sidus arderet, anno nimirum 1603. quo

maxi-

maxime tempore Astrologorum vaticinia, de Trigono igneo manibus terebantur. Iam porro vero disputabitur; quidnam ex eadem magna conjunctione sit colligendum; postquam Deus Opt. Max. novo sidere ad locum conjūctionis appositō immensam inter hanc & superiores conjunctiones, distinctionem fecit. Vbi, etsi paulo liberalius indulgebitur conjecturis, quam hactenus; nihil tamen causæ erit, cur mihi me à me ipso dissentientem objicias. Hactenus enim principijs usus sum, astrologorum ipsorum cōfessione, naturalibus: jam porro adsciscemus plus quam naturalia, utrinque vero cum hic, tum illic, sub conditione veræ suppositionis, conjecturæ formabuntur.

Quo fine præcipue incensum sit Novum sidus.

CAPVT XXX.

QVÆ cap. XXVIII. & XXIX. diximus, de effectibus Novi sideris: ea respiciebant stellam hanc, ut unam ex causis naturalibus; suntque consentanea, quæcunq; ex opinionibus ex cap. XXVI valeat. Iam porro vero dicemus aliqua, apud illos solos valitura, qui persuasum habent, sidus hoc non casu, non naturæ necessitate, sed certo consilio & speciali providentia Dei accensum fuisse. Quo fundamento posito latissimus nobis campus aperitur ad Manticen universam.

Fundamentū omnis divinationis per res aut modos non naturales.

Pleraque enim divinationum genera apud gentes nitebantur hoc fundamento, quod per somnia, per exta victimarum, per animalium occursum, per monstrosos partus, per fulmina, ventorum procellas, aquarum eluuiones, terræ motus, ostenta cœlestia, Cometas & similia, Dij hominibus responsa dare crederentur. Frequentissima est apud Dionem vox τῶ ἐκβεάζειν, quæ hoc ipsum significat. In primis vero memorabilis est illa Cyri deprecatio, quæ sive de Persarum, sive de ipsius Xenophontis Theologia testatur. Sic enim Cyrus, cum responso mortis accepto, sacrificaret: *Iupiter patrie, tuque Sol & vos Dij omnes, istas susciptote hostias, quibus ego, rebus multis & magnis gestis, supremam manum feliciter impono, simulque vobis gratum me exhibeo: quod voluntatis vestræ signa mihi dederitis per victimarum exta, per ostenta cœlestia, per auguria, & per oracula; quid me facere, quid omittere oportet. Multam equidē vobis gratiā habeo, eo quod ipse quoq; vestrā in me cognovi providentiā.* Itaq; ijsdē Dijs, qui respōsa ista dabant, earū rerū animaliūq;, per quę significationes

nes edebant, poteſtas & directio transſcribebatur: Contra vero ſi pateſceret, animalis, aut rei portendentis motum aut apparitionem, ex Naturali fluere cauſa, ſic ut abeſſet ſuſpicio ſupernaturalis gubernationis; animi ſollicitudine ſoluti, ad quietem ſeſe componebant. Niſi forte naturalis aliquis connexus deprehenderetur inter ſignum & ſignatum; cui arbitrio liberæ alicujus, & ratione utentis cauſæ opus non eſſet.

Fundamentum ſuperſtitioſæ divinationis ex aſtris.

Ex neglectu fundamenti hujus nata eſt magna pars aſtrologiæ. Cum enim multa cœleſtia oſtenta fidem feciſſent, de Dijs, per hæc ſuperna, cum humana gente loquentibus: cœperunt imperiti, quicquid in cœlo contingeret, arbitrio Deorum libero transſcribere, inque omen trahere; præſertim ſi novitate aut raritate viſum vehementer percelleret, ut Eclipſes luminum, congreſſus multarum ſtellarum; qui ſi ab initio perpendiſſent, iſta omnia rata lege Naturæ circumire; tunc aut connexionem harum rerum cœleſtium, cum ijs eventibus, qui ſequi ſolent, in Natura quæſiſſent: aut ſi invenire non potuiſſent, in hanc credulitatem nunquam incidiſſent.

Aſt alij in pejus profecerunt, de ſtultitia in impietatem: cum enim viderent ſtellarum motus ex Naturali neceſſitate dependere; ut tamen & portentis hos accenſere poſſent, rurſum θεὸς ἀπὸ μηχανῆς introduxerunt, non qui motus cœlorum libere conformarent, ad ſignificandum nobis per illos: ſed qui exemplari motuum cœleſtium uterentur, in conformandis & adminiſtrandis rebus humanis. Hinc ſunt illa ſpirituum aſtralium multa millia; verius Diabolorum infernalium legiones, quibus execrabilis iſta Magia, falſo nomine cœleſtis, docet immolare certa ſacrificia, fundere certas preces, celebrare certa feſta, per dies & horas planetarum accendere cereos, induere veſtes coloris appropriati. Nimirum hac demum ratione, cooperantibus ſcilicet dæmonibus, verificantur illa ſtultiſſima & ridicula Aſtrologorum decreta de Planetarum domibus & dominationibus. Iam demum expedit reſipiſcere. Non fuerunt adeo imperiti primi harum nugarum inventores, vt eos ſupra incuſavimus. Addebat intellectum impietas; at vos admodum pueri, ô Aſtrologi Chriſtiani, qui nucleo miſſo, hæretis in putamine: qui cadaver amplectimini, anima eliminata; qui aſtrologiam hanc ſtultam & nugatricem, quæ domibus planetarum utitur, exercetis ſine Magia. Eja pelliceam abluite, ut ne humorem tamen illa bibat.

Deum agere cum hominibus per ſigna.

Apparere puto, tum demum locum eſſe conjectationibus, ubi conſtiterit, Naturam aliquam intelligentem, per hæc ſigna, in quæ mens conjectoris intenta eſt, nobiſcum loqui velle, cujus quidem arbitrio & poteſtati ſigna illa ſubiecta ſint. Sic *Deus Pharaoni, quæ facturus erat, oſtendit in ſomnio*

mnio, Gen. 41. v. 25. Sic Nabuchodonosoro *indicavit* insomnio, *quæ ventura essent in novissimis temporibus*. Dan. 2. vers. 28. Sic loquitur adhuc hodie nobiscum per arcum Iridis, certosque reddit, non periturum genus humanum diluvio: Gen. 9. Sic exhibet signa in Sole & Luna, stellis, & virtutes cælorum movet; ut attollamus capita nostra & videamus num appropinquet redemptio nostra.

Quorsum pertinent & omnis generis portenta, monstra, & diuinitus immissa somnia. Quicquid horum hominibus ultro offertur, non quæsitum; uti quidem procurari ista non possunt; id censuerim, non absurde, vel Deo ipsi, vel ministris angelis, vel alicui spiritui qui hominibus & toti mũdo quadam naturæ lege connexus, instinctu magis quam ratiocinatione utitur, transcribi posse: itaque & significationes illarum rerum non reijciendas: nisi apparuerit, naturæ consuetudine solere illas evenire.

Quæ causa sit cur somnia & portenta significent per allegorias, non clare.

Cur autẽ dubitem, liber ne sit spiritus, qui præest his rebus significãtibus, an vero alligatus naturaliter ad corpus mundi, causas utrinque habeo graves. Etenim quæ significantur, tam per somnia quam per ostenta & monstra; ea per allegoriam significant, non directe, clare, dilucide. Si Natura ludens allegorijs & picturis rerum, est sui arbitrij, & posset, si vellet, rem explicare dilucide; quæritur obscuritatis ratio. An expedire putat, moneri homines in genere, neque de specie ante rem factam fieri certiores? at potuit sic monere breviori compendio, quali dicuntur uti genij quidam, uno pulsu significantes instantem casum. Quorsum igitur illæ somniorum & monstrorum ambages, per eas circumstantias traductæ, quibus ad speciem veniri solet? An verum, quod nobis Plutarchus insinuavit, dum causam perditam Oraculorum agit, productis ex Sophocle versiculis hisce.

Sapientibus per ambages fata eloqui:
Fatuis magistrum prorsus esse inutilem.

Id est, sapientem nullis Oraculorum ambagibus impediri: stulto nullam explanationem sufficere ad intelligendum. Nimirum quæcunque natura est, quæ somniorum picturis, ostentorumque allusionibus nobiscum loquitur, credibile est humanæ naturæ ratiocinatrici, ob similitudinem sui, impense favere: Calamitates igitur significare per ambages; ut homines ad ratiocinandum de causis (. quod hominis est.) permoveantur, itaque veris causis, præsertim si in ipso homine fuerint, cognitis, de genuinis remedijs cogitent. Homines enim per labyrinthos hosce significationum in ambiguo constituti, circumspiciunt

ſpiciunt præſentia; recolligunt præterita, collocant ante oculos futura, donec in rem ipſam tandem incidant.

Quæ ſint genuinæ Deo literæ, quæ lingua, qua nobiſcum is loquitur?

Mos iſte quidem Dei frequentiſſimus, cui non bonum viſum eſt, diſertis verbis homines quottidie alloqui, præſertim de rebus naturalibus, & ad hujus vitæ ſuſtentationem pertinentibus; utitur ille alio ſermonis genere, per curſum naturæ & motum corporum; alio ſcripturæ genere, quæ habet non miniata vel atrata elementa viginti tria, ſed ipſa magna mundi corpora, opera digitorum ejus. Sic hominem docuit ſeipſum munire, veſtire, ſuos fœtus molles educare per longum tempus natare, & cætera; non Magiſter vocalis illi aſſidens, non arma ut Tauris & Apris, veſtes ut ovibus, inceſſum & natationem, ut pecoribus pene omnibus, inde à primo ortu tribuens, ſed manus ei dans & ratiocinationem, & affectum amoris inſtillans parentibus, ut ijs paucis vice omnium præſidiorum uterentur. Sic perſuadere volens hominibus aſtronomiam, non uſus eſt verbis tranſeuntibus; ſed expreſſit hanc vocem in Natura & commenſuratione cœleſtium, Geometria participantium cum humana mente, & inſtitutione umbrarum Lunæ & Telluris. Eodem igitur conſilio, Deus iſte noſter commonefacturus nos de re aliqua, potius allegoriis uti creditur, quam expreſſis verbis; ut homines in his temporalibus, quod eſt reliquũ, de ſuo addant.

Hæc igitur dicere is poteſt, qui ſomniorum immiſſorem, portentorumque conformatorem Deum ipſum eſſe contendit. At ſi cui placet ſpiritus aliquis magis corporeus; habet is indidem argumentum, tuendæ ſuæ ſententiæ accõmodum. Dicet enim, hanc obſcuritatem ſignum eſſe terminatæ potentiæ, quod creatura iſta, ſi poſſet, utique interdum clare loqueretur, aut literas dilucidas in æthere exararet, quibus id quod res eſt, breuiter, & regio ſtylo ſignificaretur. Nunc autem non poſſe hanc nobiſcum aliter loqui quam per Phantaſmata, quæ invenit in noſtra imaginativa: hãc quippe ejus eſſe naturam, hanc eſſentialem hujus naturæ proprietatem: participare cum homine phantaſmatibus, eaque poſſe movere, coaptare & dividere ſic, ut quam commodiſſime conceptum ſuum intra mentis noſtræ ſepta explicet.

An ſomniorum obſcuritas teſtetur de Natura eius qui ſomnia immittit.

Qui ſic diſputat, ſermonis noſtri cognitionem, audit us ſc. facultatem illi Naturæ adimet, perinde ac linguæ uſum; ut illa nihil horum ſciat, quæ inter homines commercio ſermonis aguntur; niſi quatenus varijs phantaſmatis eadem, quæ dicuntur, intus in cerebro exprimuntur.

Nec tribuet illi poteſtatem gignendi phantaſma, quale ipſi utile ad conceptum ſuum formandum, ſed ſolummodo ſignandi inculcandiq; ejus, ꝙ vi irrequietæ ratiocinationis obvenit ultro, intra hominis cerebrum.

Qui-

Quibus modis rediget illam ad has anguſtias, ut non poſſit aliter, niſi allegorijs & picturis nobiſcum agere. Atq; confoditur hæc ratio, eo, quod per ſomnum & loqui & audire videmur: nimirum loquelarum & verborum phantaſias non minus cæteris ſignificativas concipimus; quodque extra hominem inter portenta ſunt etiam voces ἄδηλοι aut abſurdæ, ut ſi Bos, ſi embryo, ſi Bileami aſina, talia loquatur, qualia intelligi poſſunt. Itaque ut qui hæc defendit, recte defendat, neceſſe eſt dicat aut plures eſſe hujuſmodi naturas, rarioresq; illas, quæ vocibus vocumq; ſimulachris ſenſa ſua exprimant, aut omnes quidem modos ejuſdem eſſe Creaturæ, alium tamen alio imbecilliorem & rariorem.

Vtra vera ſit ex his ſententijs, utrinque hoc adſtruitur, portenta, oſtenta, ſomnia, & hujuſmodi, per allegorias explicanda eſſe.

Stellæ genuina ſignificata an in globum telluris redundent.

Igitur poſito quod certo conſilio ſeu Dei ipſius ſeu creaturæ rationalis incenſa fuerit hæc ſtella, ſi ex me quæratur, quē ad finem hoc factum putem; & utrum ejus ſignificata ad ea pertrahenda ſint, quæ ſub manibus habemus homines? Primum ego non gentes tantum ſingulas, ſed totum adeo Telluris globum nimis exilem puto, ut in ejus complexum omnes cogitationes noſtræ quæ oriuntur ſuper genuina ſignificatione, ſideris in altiſſimo æthere verſantis, effundantur. Magna namque Mundi amplitudo eſt; nec abſurda Tychoni Bracheo viſa eſt illa veterum quorūdam Philoſophorum opinio, ſtatuentium cæteris quoque globis, qui vaſtiſſimi ſunt, ſuos eſſe incolas non equidem homines, at creaturas alias; quæ ſi ſunt, ad mundi ornatum utique pertinebunt, neque tantum ſiderum effectus perſentiſcent; ſed etiam providentia ſupremi cuſtodis comprehendentur; nec abſurdum erit, æque ipſis ac nobis in tellure verſantibus hominibus, ex illa altiſſima ſpecula fixarum Sphæræ ſigna mitti, magis forſan ipſorum appropriata captui, quam noſtro. Quæro ergo non cui genti ſed omnino cui globo potius credendum ſit accenſum eſſe ſidus hoc.

An in globis ſtellarum incolæ.

Hunc in modum errantem me per mundi amplitudinem, rurſum ad hanc noſtram Tellurem revocat Magna trium planetarum conjunctio, quæ ſidus hoc circumſtiterunt. Da enim quod huic jam ſententiæ proprium eſt, non fortuitum fuiſſe hunc ſtellæ concurſum cum illa conjunctione, ſed quæſitum à Deo: jam certe convinceris, terris potiſſimum illuxiſſe, Terris deputatum fulgorem hunc, nulli præterea globo. Nuſpiam enim niſi in Terris hiſce Iupiter Marti viſus eſt conjunctus, eo die, quo ſtella effulſit. Eſto igitur ut illa anni 1572. ſtella fuerit accenſa vel Cynocephalis Lucianicis in Syrio, vel

Minotauris in Sagittario versantibus; quia nec in Eclipticam nec in planetas junctos inciderat: hæc certe nostra stella quia prope Eclipticam stetit, in globorum planetariorum gratiam illuxit, ut quorum motus Zodiacum nobis ostendit; & quidem in nostræ hujus Telluris gratiam; ut ex qua Iupiter Marti & novæ conjunctus esse visus est. Seneca alicubi nihil ait tam magnum esse in his terris, cujus notitia ad Mundum illum superum pertineat. Cum hac sententia mihi toto hoc libro pertinacissimum bellum est. Respondebo ego Senecæ ex Cap. 16. Deo creatori neque vastum esse illum Mundum superum, neque parvos hos homines: sufficit nobis hoc sat magnum quod imago sumus Dei Creatoris.

Quo modo interpretandæ allegoriæ portentorum.

Itaque nihil impeditus pergo ad probabiles Allegorias, quas ego, quas & alij varie commenti sunt, occasione hujus stellæ & quas gignunt nobis varia doctrinarum & philosophiæ genera. Primum mihi sic videtur: Si portenta Cœlestia Dei consilio proponuntur nobis hominibus, consentaneum, ea quæ plane sunt contra naturæ ordinem ea ad summa quæque spectare, quæ sunt in rebus humanis: sin aliquid non contra sed præter statam naturam; ad novationem aliquam in imperijs: denique si quid secundum quidem naturam, paulo insolentius tamen aut rarius, id ad vulgus, ad terrâ nascentia, ad animalia, cæteraque talia, vulgi, corporumque, utilitatibus servientia, pertinere. Nihil in terris majus religione vera, ejusque perpetua cultrice Ecclesia. Itaque Deus Optimus Max. in emolumentum ejus populi, cui primum in Ecclesia locum dederat, immutato naturæ ordine, solis cursus inhibuit, dierum spacia, excluſa nocte, continuavit, gratificatus uni Iosue duci populi Israelitici. Alio tẽpore eiusdem populi Regem pium Ezechiam pro incolumitate sua deprecantem, cum Esajæ Prophetæ verbis erexisset, non dubitauit conversione solaris umbræ in Scroterico, confirmare; miraculo ad omnes gentes stupendo, Naturæq; rerum contrario. Quæ res tantã Esaiæ conciliauit authoritatem; quanta omnium ætatum Ecclesijs utilis erat, ad illa vera fide amplectenda, quæ Propheta ille diuinis plane verbis copiosissime de venturo Messia perscripserat. Iam cum Caput Ecclesiæ Rex & Dominus noster Iesus Christus humani generis pecata contumeliosa morte lueret: nullum neque in cœlo neq; in terra portẽtum, nullus horror sufficere potuit, quin ipsa lux, quod est omnium horribilium horribilissimum, claro cœlo & tempore, quo non debuit, extingueretur.

Author Epistolæ quę inscribitur Dionysio Areopagitæ ad Polycarpũ, quisquis est seu verã narrat historiam, seu quid esse potuerit fingat, sermonem Apollophani Philosopho tribuit, rei quam narrat, non inconvenientem.

tem. Cum enim spectarent uterque unà in Heliopoli Ægypti hunc solis defectum, notarentque Lunam contra cursus sui naturam, ab ortu ingredientem in discum solis, idque tempore plenilunij, & postquam tres horas sub sole quiete stetisset, conversa via rursum ortum versus pergentem, sic ut initium defectus esset ab ora orientali, initium emergendi ab ora occidentali: subjunxit Apollophanes: ὦ καλὲ Διονύσι, θείων ἀμοιβαὶ πραγμάτων. Rebus diuinis comparauit ordinarios planetarum cursus, propter constantiam utrorumque: neque fieri posse putauit, ut converteretur lunæ cursus in contrarium, nisi simul & divinarum rerum accideret vicissitudo. Nec ineptam architectatus est allegoriam: Luna genus humanum notat; Sol Dei Filium; contrarius Lunæ cursus, quam debuit, peccata generis humani; defectus luminis, passionem Filij Dei. Atque hæc sint exempla maximarum rerum; portentis ejusmodi expressarum, quæ sunt naturæ cælorum plane contrariæ. Iam Cometæ & Novæ stellæ, secundum portentorum genus, non quidem contra, sed tamen præter cæli Naturam ordinariam, ad quidnam aliud referantur, quod sit proximum rebus, ex humanis omnino maximis, quam imperijs; in quibus singulorum hominum salus consistit. Quod igitur in cælo novus Cometa discurrens, hoc sit in terris novus aliquis homo, qui seu magnitudine imperij, seu armis, seu dogmate, præcipuam aliquam de se famam concitet, & ut Cometa terrore, sic hic vi illata, seu alia calamitate magnam generis humani partem exagitet. Anno quo natus Alexander qui bellorum turbine ex Europa in Asiam translato, maximas humano generi clades intulit, Plinius Cometam fuisse refert Xiphiam. Anno & quo natus Mithridates, & quo imperium adijt, horribiles fulsere Cometæ. *Cometa cujus rei character.*

Si Cometæ cælo discurrentes ad singulos Monarchas; stellæ novæ non discurrentes, sed eodem loco fixæ, ad Respublicas, seu integros populos referri debebunt; seu ad generales causas per magnam partem generis humani pertinentes. *Nova stella cujus rei character.*

Qui hanc viam ingreditur, is eliciet; Novam ex hoc tempore Rempublicam adolescere, cujus imperio generali, regna hodie varie tumultuantia subigantur olim: ut ita mundus nimium inquietus & ferox, aliquandiu sub hujus Monarchiæ tutela conquiescat. Quod si addiderimus planetas conjunctos: circumscriptio existet gemina, prout hos consideraverimus. Nam si licet & fas est, Dei mentem ex Natura simplici Planetarum conijcere, quia post conjunctiones tres, Saturni & Iovis, Saturni & Martis, Iovis & Martis mobilium, & qui juncti solent turbare & movere naturam animalem, altior & clarior effulsit una fixa: significari videtur

ſimpliciter poſt turbas quies. Quorſum pertinet hæc circumſtantia, quod ſtella non in ipſum conjunctionis locum, ſed paulo ante incidit, ſcilicet ne rurſum aliqua fieret conjunctio Novæ cum duobus Planetis. Sic & articulus ultimæ conjunctionis jam tranſierat; fuit enim in meridie diei 9. Octobris, cum ſequente veſpera Mæſtlinus nondum flagrantem viderit ſtellam. Hac itaque ſtella indice

Si qua manent ſceleris veſtigia noſtri
Irrita perpetua ſolvent formidine terras.

His quippe verſibus Vergilius tollendos motus civiles, & ipſa malorum ſemina radicitus exſtirpanda innuit. Nam Pollione conſule, ad quem ſcribit Virgilius: *Teque adeo decus hoc ævi te conſule inibit Pollio*: Initio æſtatis Cæſar & Antonius, pace facta Romam intrarunt amici; quantis populi ſtudijs, quam fauſtis acclamationibus, ex Dione videre eſt; quarum una eſt hæc quoque Virgiliana ad Pollionem.

Saturnus tamen, ante ſtellam relictus intra duos menſes illi junctus eſt: quaſi & hoc dixiſſet Virgilius: *Pauca tamen ſuberunt priſcæ veſtigia fraudis.*

Sin autem hoc recipimus, Deum ad aſtrologiam reſpexiſſe, ut illa uſitate diſcitur & exercetur inter homines (cui ſententiæ favet id, quod Cap. XXV. dixi: videri præcipue aſtronomis incenſam eſſe: quia vulgo non ita facilè notari potuit ut prior illa anni 1572.) jam hæc ſtella nihil aliud fuerit, niſi obſignatio quædam conjunctionis magnæ, & confirmatio omnium illorum, quæ aſtrologi maxime ſobrij ex præceptis artis de conjunctione magna dixerunt, quorum aliqua infra videbimus. Itaque quę Cap. XXX. ex Natura nuda refutavimus, ea acceſſu ſtellæ, per hoc μέγα λίαν αἴτημα, hic rurſus confirmarentur. Nam nihil incredibile amplius, primum atque aduocatur θεὸς ἀπὸ μηχανῆς. Igitur & tempus decerneretur ducentorum annorum, & locus, Hungaria, Moravia, Hiſpania: quæ ſub Sagittarium referuntur: imperium vero Romanum, aut tota Chriſtiana Reſpub. ex eo; quod ut hæc ſunt præcipua totius orbis imperia; ſic Sagittarius hoc tempore, præcipuus cæli locus; ut in quo initium Trigoni ignei, & planetæ tres ſuperiores conjuncti.

Fabricius ad Germaniam accommodat ſpecialiter, hoc argumento quod quo tempore ſtella primum videri, Sole occidente, potuit, Aries ſignum Germaniæ & æquinoctiale fuerit in ortu. Itaq; totam ſtellam in mutationem imperij trahit, eiq; nomen dat ab Aquila imperij inſigni: qua in re mihi nimium videtur ſubtilis: poſſunt enim varia momēta eligi hoc pacto, variaq; ſigna: ut Capricornus, quia occidente ſole in Medio Cæli fuit:

item

item Piſces, quia culminante nova piſces orti: item gemini, quia occidente nova orti gemini. At multo potius Sagittarius ipſe, non tãtum, quia tribus ſuperioribus & ſtellæ novæ dedit hoſpitium, ſed etiam quia Sole die 10. Octobris in medio cæli poſito, oritur ſub altitudine poli 48. ipſiſſimus locus novæ, 18 ½. Sagittarii; quod multo meliori iure, ut notatu dignum, inculcaſſet Fabricius. Et quid ſi Libram, quia oriente ſtella culminabat, & Solem initio vehebat? Vides igitur, potiori jure manere nos in Sagittario, ne incertum ſignum fiat. Et quia ſtella ſimul Oceano Auſtrali verticalis: poſſet aliquis ex omnibus coniunctis prædicere copulationem illarum Orbis partium omnium ſub Hiſpanorum, aut in genere, Chriſtianorum imperium.

Fuerunt in hac aula viri ſplendidi, qui cum legiſſent comparationem meam hujus Novæ ſtellæ cum illa anni 1572. quomodo illa ad latus mundi ſeceſſerit in angulum cæli obſcurum & abjectum: hæc vero apud regium iter omnium planetarũ proxime aſtiterit: perpẽderẽt vero, quod anno 1572. Belgicæ provinciæ de novo à Rege ſuo receſſiſſent: auſi ſunt Hiſpano bene ex hac modernâ ſtella ominari: nimirum Belgas, qui anno 1572. à Rege ſeceſſerant; jam ad viam regiam, ſcilicet ad imperium Regis ſui redituros. Hos quidem aliquandiu aluerunt fauſti rumores, de pace inter Hiſpanos & Belgas, procurante Britanno. Deſtituti enim auxilijs vicinæ Britanniæ, portubus illis Hiſpano in poſterum patentibus; videbantur tuta conſilia amplexuri, viribus ſuis diffiſi.

Eadem argumentatio prolicuit & Heliſæum Rôſlinum, ut jamjam imminere inculcaret illam tot jam annis à ſeſe decantatam Rerũ omnium Europæ Cataſtrophen. Nulla unquam argumentatio mihi adeo mira eſt viſa: Cometam fuiſſe Anno 1556. poſt 24. annos, anno ſc. 1590. alium Cometam, durationis tempore curſum mutaſſe, inque Sagittario diſparuiſſe, ubi poſt alios 24. annos, ſc. anno 1604. contingat magna Planetarum conjunctio: Igitur anno 1604. rerum omnium ab anno 1556. cœptarum futuram Cataſtrophen.

Mira inquam argumentatio, nam & ante annum 1556. multi fuere Cometæ; & inter annos 1556. & 1580. tres vel quatuor alij. Quare imbecillis eſt connexio illius anno 1556. fulgentis, cum hac anni 1580. ex ſolo contrario ſigno, & contrario motu deducta. Quod ſi omnino illa providentia quæ hominibus Cometarum exhibet ſpectacula, huc reſpexit, ut hi duo copularentur: Cur non potius ego dicam, tempus Cataſtrophes rerum ab Anno 1556. geſtarum, ab Anno 1580. inchoari, & in annum 1604. planè terminari? Analogia quippe melior fuerit; quæ à Cometa directo, qui fuit Anno 1556. ſignificabantur; ea ha-

ea hactenus inoffenso tramitte gesta esse; donec anno 1580. planeta contrarij motus obortus, fine suæ durationis cursum mutaverit, ex retrogrado factus directus. Igitur res illas, ab anno 1580. recisuras in contrarium, quãdo jam expiratura sint Cometę significata (esto ut hoc sit anno 1604.) alteram quoque mutationem experturas; rursumque futurum id, quod ab anno 1556. ceperat.

Nihil dicam de eo, quod Cometæ motus, qui anno 1580. fulsit, se ipso retrogradus non fuerit, sed simpliciſſimus: linea trajectoria, quæ solet esse parum perarcuata. Nam in meridionali plaga sphęræ Martis circa 15. Arietis coortus, impetu propemodum rectilineo sursum in septentrionem latus est; & saltu super solem facto, versus ipsiſſimum terræ iter, in confinio Libræ & Scorpionis perlatus, expirauit. Terræ itaque motus illi conciliauit hanc speciem retrogradationis. Verum istas argutias non fert hęc Mantice: & quid verbis opus? Vicit, vicit inquam Röslini argumentatio; quo magis illam miror. Nimirum uti hæc prodigia sunt extra ordinem; sic interpretibus quoque opus habent, peculiari, nec omnibus obvio, utentibus instinctu: nec aliter explicantur, nisi prodigiosa mentis agitatione. Quid multis? Confundit Deus artificiosas argutias eorum, qui inflati scientia, Magistros sese profitentur; eligitque sibi pro instrumentis, eos qui vel mente capti, vel simplices sunt manifeste (plurima quippe vaticinia ab hujusmodi hominibus etiam nostro seculo proveniunt) vel inconnexis hisce, & coram humana ratione stultis argumentationibus, indulgent creduli. Itaque etsi Röslini argumentatio nihil concludit: agnosco tamen divinam virgulam in ejus viri vaticinijs. Dixeris glebas, plurimum quidem arenæ continentes, confuso tamen alicubi auro. Et ita moris est, qui auro inhiat, hunc pigere non debet egerendæ terræ, immani cumulo. Nec moror, Roslinum ex affectu quoque loqui; ut cum Anno 1596. nondum talia contigissent, quæ ipsi placebant; distulit expectationem, & illam suam Catastrophen, in in annum 1604. Dixi quippe naturam eam, quæ prodigia nobis procurat, quæque somnia immittit, conceptibus uti humanis, (quorum plurimos nobis gignunt etiam vota nostra) loco litterarum, quas admirabili arte, ad placitam sententiam exprimendam colligat & componat.

Non esse artem quæ doceat interpretari legitime prodigia.

Attendite quæso quid scripserit vir ille Haganoæ $\frac{4}{14}$ Octob. anno 1604. *Stella hæc tanto mihi plus creat admirationis, quod inde à viginti amplius annis ex stella anni 1572. & Cometa anni 1580. providi, hoc anno 1604. aliquid futurum, quod omnia miracula superet. Rogo autem legas quæ tractatu meo Meteorastrologo physico de Cometis anni 1580. & 1596. scripserim: invenies, mirabile dictu, Cometam anni 1580. digitum intendisse in hanc novam stellam. Disparuit enim in hoc loco quo nunc*

nunc ſtella fulget, & Conjunctio magna planetarum accidit. Quodque ſcripſi, hoc tempore futuram Cataſtrophen rerum omnium, quæ in Orbe Chriſtiano à multis annis inchoatæ ſunt: id partim jam impletum eſt in Anglia iamque in Belgio; reſidua brevi, quorſum evaſura ſint, apparebunt, puta Regis Galliarum negocia, & Epiſcopatus Argentinenſis, & res Vngaricæ.

Scripſerat hæc $\frac{4}{14}$ Octobris in Alſatia, cum ecce poſtridie $\frac{5}{15}$ Octobris prima & manifeſta initia motuum Ungaricorum: qui Chriſtianis cum Turca pugnantibus hactenus ſudes ſunt in oculis: Epiſcopatus quidem Argentinenſis negotia in καταστροφὴν interea deſierunt mitiorem quidem quam expectaverat Roſlinus. Et Rex Galliarum ἀρεμεῖ: ſed tamen κατέστραφε καὶ τὼ σείλω καὶ τὸ δόγμα καὶ τὰς πολλῶν διανοίας, & quid ſi ipſius Röſlini. Καὶ τῶν μὲν καταστροφὴ, τῶν δὲ ἐξοστρακισθέντων ἀναστροφὴ. Ita nihil pene fruſtraneum his verbis perſcripſit Roſlinus. Quæ vero de Belgicarum rerum converſione tunc inchoata eſſe dixit: ea ſequenti anno 1605. & hoc 1606. continuarunt, Hiſpanis ab Orientali latere munitiones aliquot intercipientibus. In Anglia vero quorũ tunc ſperari, vel metui poterat καταστροφὴ, eorũ ſuccedente tẽpore manifeſtã experti ſumus ἀναστροφὴν. Ita hic nihil ad votum, præter ipſos in genere motus Regni, qui plerunque ſuſque deque tendunt promiſcue, ut fluctus marini.

Sed ad reliquos εἰκασμὸς καὶ αἰνίγματα pergamus. Nam hæc Roſlini conjectatio, non præcipue ipſius Novæ ſtellæ circumſtantias conſequitur, ſed componit ſigna multorum temporum: quod Tycho Braheus in Progymn. Tomo 1. fol. 556. in Gemma præcipue reprehendit.

Fuerũt igitur qui infauſto omine ex occidentali clariſſima, factã eſſe orientalem lividam annotarent: ac ſi vel Latinæ Eccleſiæ, vel imperio Occidentis, pro eo ſtatu, quo nunc floret, orientalium populorum triſtiſſima conditio portenderetur.

Hæc circumſtantia poſſet & aliter explicari, nimirum res à ſtella ſignificatas inter initia fore maximas, poſtea intervẽtu Magiſtratus qui à Solis acceſſu ad ſtellam denotabitur qui à Solis ſplendore ſignificetur, occultatum, exque hominum animis & ſermonibus ereptum, at non abolitum iri; ſed poſt aliquas moras factas, rurſum emerſuras, non tamen in eo vigore, quo initio ceperant. Nimirum huc accommoda res Ungaricas: Spe pacis interjecta metus pauliſper differri, donec vaneſcente pacis tractatione, recrudeſcant. At rurſum ut initio, ſi naturale eſt ſtellam novã paulatim langueſcere, & denique emori; naturalis iſta conditio, ut quæ non quæſita ſit à Deo, ominoſa eſſe non poterit.

Quibuſdam mirum in modum placuit hiſtoria motuum, à me in ſcripto

pto germanico per verba ἀμφίτροπα, in hunc modum concinnata: Comitijs Saturni, præfracti ſenis, & Iovis ſuperbi, Martisq; pugnacis, in domo ſeu templo Iovis celebratis: Iovem & Martem ſeceſſione facta, junctis ſuffragijs, novam ſtellam elegiſſe, quam eadem humilitate venerarentur, qua Saturnum antea. Quo facto diſceſiſſe in ſuum quemque curriculum. Saturnum vero pedetentim accingi, ut in Novam proficiſcatur: at fore ut & hic novæ ſeſe ſubmittat, ſiquidem illa duret, & ſub ea, etſi non multo humilior, tranſeat. Temporaneum hoc quidem eſſe; & diſcedere planetas, manente Nova: ſed tamen & reverſuras, Nova tunc procul dubio extincta.

Nihil tam leviter in hoc genere dicitur, in quo non lubeſcat vulgo conjectando experiri. Credo ut pueris ingrata quies corporis; ſic uniuerſi quærunt, in quo ſe conjecturis exerceant; non ut verum inveniant, ſed ut tempus fallant ratiocinando conjectandoque. Ita hic ſtella primum me interpretem accepit, ego mei interpretamenti multos alios nactus ſum interpretes, interq; hos & Fabricium. Nec male accõmodabantur res Ungaricæ, ſi Cæſarianos exercitus, Turca à Strigonio repulſo in ſuperiorem Ungariam euntes, ſub perſona Saturni intelligas. Atqui rurſum non poſſunt cælorum motus tanta cum ſubtilitate in omen trahi. Sunt enim neceſſarij; non arbitrarij, non accommodati de induſtria. Et monuerã in ſcripto Germanico, me fundamenti loco ponere falſum illud, ſtellam ex Conjunctione Iovis & Martis incenſam naturaliter.

Illud etiam inculcaveram: Quo tempore aſtronomi tres clariſſimas ſtellas Saturni Iovis & Martis una copula junctos expectabant: ſubito tribus illis interveniſſe quartam altiorem & clariorem: & aſtronomos, miſſis illis perennibus, in Novam hanc tranſitoriam reſpexiſſe potius. Qua pictura ſignificari nobis videtur; non tantum per naturæ modum, ut ſupra cap. 28. dictum, ſed etiam ex ipſo ſignificantis, ſeu Dei, ſeu præpotentis ſpiritus arbitrio: novum aliquid in rebus humanis exhibitum iri, in quo plurimi occupentur, neglectis privatis negocijs.

Lubet vero etiam mortuis prædicere ex ſua philoſophia. Notum eſt dogma Pythagoræ, animas Heroum per viam lacteam aſcendere & deſcendere: Et portam quidẽ qua aſcendere incipiunt, in Capricorno patere, qua vero deſcendunt, in Cancro. Hoc tẽpore melius ſecũ ipſa facit hæc ſententia, quo via lactea porrigitur ex Sagittario in Capricornum; quæ olim per Scorpium & Sagittarium tendebatur: Igitur ſtella in via lactea in Sagittario, & quidem ſeptentrionalis, ſignificabit aliquem Heröem Pythagoricum ex hoc tempore periodo ſua peracta, ad oſtium imi gradus conſiſtere,

qua

qua incipit aſcenſus deſinitque deſcenſus, etiam ſaltu facto in hunc inferiorem Mundum veniſſe. Notabitque huiuſmodi aliquis, anno 1572. novam ſtellam extitiſſe in altiſſima parte viæ lacteæ in Caſſiopeja: anno vero 1600. aliam paulo humilius in eadem lactea, & imagine Cygni: hanc jam infimo loco ex Boreali Zodiaci plaga, proximam Eclipticæ: non igitur aſcenſum ſed deſcenſum eſſe, qui 32. annos duraverit.

Ex veteri vero gentilium Theologia, ſtella flagrans, incenſa in poſteriore pede Æſculapij, qui ſerpentem premit manibus, ſcorpium pede calcat, monebit nos, ingruere univerſalem peſtem venenatiſſimam: quaſi hæc ſtella pedi Æſculapij ſit addita pro ſtimulo, ut pedem proferat, moras rumpat, auxilia expediat, ſimul remedium pro peſte hac oleum ſcorpionum & theriaca commendaretur; & ortus peſtis ex humore nimio divinitus ſignificaretur.

Mitto plurimas alias hujuſmodi conjecturas: quas utcunq; magno numero exponam; nulla tamen eſt, quæ nos ad ſpeciem deducat. Atq; ego interdum ſic exiſtimo; ſi Deo placuiſſet, aperte hominibus, quod vellet ſignificare: literis cælo exaratis ſcripturum fuiſſe; fruſtra itaq; homines conjectando diuinæ voluntati obniti. Sed tamen me reprimo ijs ipſis rationibus, quas ſupra poſui, hoc capite: dum conſentaneum eſſe dixi, Deum hac ænigmatis propoſitione nos invitare velle ad penitius inſpicienda noſtra negocia, excutiendosque omnes angulos, ſicubi forte latentem inveniamus rem, in quam ſtella hæc digitum intendit. Nam ita me Chriſtus amet, ut omnia quæ hactenus de imperijs deque varijs hominum negotijs dicta ſunt, præ magnitudine noſtri miraculi, plane vileſcunt. Itaque lubet cum Tychone Braheo exclamare: Quaſi vero non majora negocia ſint in his terris, quam illæ turbæ Belgicæ, Britannicæ, Hungaricæ. Ipſe Roſlinus fatetur, nihil adhuc contigiſſe ex anno 1572. quod cum magnitudine illius miraculi digne comparari poſſit. Cur igitur tam facilis eſt in aſſignandis huic Novæ, anni 1604. eventibus, ex medio rerum politicarum uſu deſumptis: quæ tot nominibus illa priore anni 1572. potior ſupra, Capite XXV. eſt inventa.

Quæ hactenus dicta, non reſpondere magnitudine novæ ſtellæ.

Age itaq; perquiramus cum Aſtrologis vel tandem, quæ ſunt penes humanum genus maxima: excutianus gentium oracula, prophetiasque, utrum aliquid eorũ ſit, quod nobis jamjam inſtans per hoc tam ſplendidum ſidus divinitus ſignificetur. Imitemur exemplũ Magorum qui cum haberent oracula Danielis de vẽturo Meſſiah, orta ſtella mirabili, eaq; ipſa quoque ſub magnæ conjunctionis tẽpus, quando cepit ſexta Periodus triplicitatũ; excitati ſunt ad inſpiciẽdos libros, & ſumma annorũ non abludente,

ad quærendum, quem, ſtella Indice, natum putabant, Iudæorum Regem, mundi Salvatorem.

An Indi vniverſaliter convertendi.

Magnum eſt, detectum eſſe hoc vltimo ſeculo à Chriſtianis Novum orbem, inventas in eo gentes multitudine innumerabiles, immanitate adeo barbaras: ut pene credideris, gigantum aliquos, qui procurabant abortus, humana carne veſcebantur, ex illo univerſali diluvio in illas regiones enataſſe.

Iam habemus certiſſimum Chriſti Servatoris noſtri vaticinium; *Prædicabitur Evangelium hoc in vniverſo Orbe Terrarum.* Habemus exemplum Cananæorum, quibus Deus primò Abrahami tempore quadringentos annos, poſtea ſub Moſe, quadraginta dedit ad pœnitentiam: cumque ſeipſis deteriores redderentur, funditus extirpati ſunt. Eſt ob oculos copia hominum in Europa, ſunt nobis implacabilia bella cum Turcis; diſſidia domeſtica inter nos ipſos. Pellimur ab Oriente in Occidentem, ibi nos Oceanus excipit, ſunt ad manus artes, & navigandi peritia ſtupenda: & crebreſcens indies ſtudium adeundi novas Indias. Nec deſunt exempla ex antiquitate, quomodo gentes aliæ alias expulerint, plerumque Scythicæ Europæas, plerumque Orientales Occiduas. Quid ſi ergo ingens aliqua inſtat ἀποικία ex univerſa Europa in illos terrarum tractus: & propagatio fidei Chriſtianæ inter barbaros, & traductio illorum ad civilitatem; & non parentium, ut olim Chananæorum, extrema extirpatio? Quorſum digitum intendit ex aſtronomia circulus ſtellæ, ex aſtrologia Sagittarij ſignum, & Trigonus igneus, quem aſtrologi credunt favere religioni Chriſtianæ, ut & ſpicam Virginis, cum qua, ut notavit Roſlinus, Sol ſtetit ſub exortu ſtellæ, ſextili illuſtratus à ſtella. Ponimus quippe, Deum his uti conceptibus aſtrologorum ad ſignificandum aliquid hominibus.

An Mahumeti ſecta peritura per ſtellam ſignificetur.

Circumferuntur paſſim vaticinia Mahumetanorum, ex quibus multi evincere volunt, hoc eſſe tempus, quo ſit interitura ipſorum religio: quib. placebit Deum hoc ipſum indicare voluiſſe incenſa nova ſtella in Sagittario, quæ eſt triplicitas Solis & Martis, dom⁹ Iovis; cum Sol & Iupiter Chriſtianis favere dicatur ab aſtrologis (quorum conceptibus Deus uti poniſ.) Mars vero Turcis. Et quidem ſtella magis cum Iove concordavit in latitudinis plaga, Mars vero fuit in maxima latitudine Auſtrali, q̃ hac vice eſſe potuit depreſſus igit̃. Hinc victoria Religionis Chriſtianę ſupra Turcicã aſtrologice cõcluditur. Quod ſi hodiernũ Chriſtianorum cultũ inſpicias, nunquam forte meliores occaſiones, quã hodie: perpẽdat rem Lector ſecũ ipſe. An eſt impoſſibile Deo ex his tam multiplicib. tenebris, & contentionib.

Chriſti-

Christianitatis, educere lucem aliq̃? An est incredibile inter causas, ob quas hæreses permittunt̃, unam etiam hanc esse; ut Turcæ his gradib. invitati ex mari flagitiosissimarum opinionum in navem Ecclesiæ enitantur? Scio ex his aliquos gradus esse, quibus à Christianismo defecere nonnulli ad Mahumetismum. At lubet argumentari cum B. Paulo. *Nunquid sic offenderunt ut caderent? Absit, sed illorum delicto salus est gentibus* Mahumetanis. Sic olim Gothi, primum ab Arianis ad Christianismum conversi, deniquead Catholicam Ecclesiam penitus accesserunt.

An Messias Iudæorum venturus à stella significetur.

Constat Iudæos expectare Messiam, qui sit ipsos liberaturus è servitute gentium. Quib. Saturnus placebit, concordans cum stella in latitudine, illique fere corporaliter junctus 11. Decemb. anno 1604. & sequenti Augusto stationem apud illam perficiens: vide pag. 10. & Conjunctioni Magnæ nomen dans. Præficitur autem ab Astrologis Iudaismo. Etsi itaque Christiani Iesum Mariæ filium è tribu David, qui ante hos 1600. annos natus est, pro vero à Prophetis promisso Messiah agnoscimus, ideoque hunc Dominum & Deum nostrum religiosissime colimus; Iudæorum vero cæcitatem deploramus; qui spreto hoc servatore, alij venturo inhiant: tamen non omnino frustraneam esse ipsorum expectationem multi, & inter hos Tycho Brahe fol. 808. colligunt ex vaticinio B. Pauli ad Romanos Cap. 11. vers. 25 *Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc (ut non sitis vobis ipsis sapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium* *intraret, *εἰσέλθῃ. *Et sic omnis Israel* *salvus fieret. Sicut scriptum est, VENIET EX SION QVI *σωθήσεται. ERIPIAT, & avertat impietatem à Iacob. Et hoc illis à me testamentum, cum abstulero peccata eorum.* Etsi vero interpretationem loci difficilis mihi non sumo; tamen facile sum, propter alias circumstantias, ut credam, imminere aliquam generalem conversionem gentis Iudæorum ad fidem Christi, quam unus aliquis ex ipsorum medio, ut instrumentum Dei, sit procraturus. Gens enim numerosissima est, quæ in summo contemptu sese tamen propagat, quæ per infinitas persecutiones, locum tamen inter gentes invenit habitandi, idque procul dubio ex dispositione divina, qui Regum corda dirigit ut vult. Et quod summi miraculi loco est, nostris vivit laboribus, ipsa ociosa. Eripe ex Christianorum vita avaritiam, inhumanitatem, neglectum proximi, fastum, pompositatem in vestitu, libidines: Iudæos, ut nunc quidem vivunt, è rerum Natura funditus extirpaveris. Itaque res ipsa clamat gentem hanc etiamnum hodie in parte esse diuinę providentiæ: qua factum, ut cum omnes nationes invicem confusæ & permixtæ sint, adeo ut pauciſſimæ familiæ originem à millesimo anno repetant: soli Iudæi restent, quorum notitia mundo coæva sit. Itaque si

quis est interpretum, qui locum D. Pauli allegatum aliter forte intellexit, is tamen venturæ experientiæ nihil derogatum voluit, memor generalis regulæ, quæ eventum vaticiniorum genuinum statuit interpretem. Comparet Lector Phrasim D. Pauli: Cæcitas ex parte contigit in Israel, *donec plenitudo gentium* εἰσέλθῃ, *& sic omnis Israel* σωθήσεται. Comparet inquam hæc cum phrasi Christi Lucæ 21. v. 24. *Et Ierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora Nationum.*

Ducunt autem nos eædem verisimilitudines in causa Iudæorum, quæ prius in causa Turcarum. Dixit mihi doctus quidam Hebræus, exclamans altum: *Hodie vos multis millibus miliarium propius ad nos accessistis, quam majores vestri.* Nimirum ut est gens virulento & animo & lingua, & calumniarum studiosa, Christianis multas blasphemias tribuunt. Itaque & hoc occultæ Dei providentiæ transcribendum puto, quod hodie tantis cum fervoribus passim occasiones Iudæis calumniarum præciduntur. Alius quidam Iudæus mihi dixit, in confesso esse apud ipsos, ab annis octoginta se tolerabilius tractari à gentibus, quam olim. Et celebrant decretum Solymanni Turcarum Imperatoris, qui anno 1540. jusserit instaurari muros Ierosolymorum, & aquas per tubos deduci in civitatem.

In genere omnes hodiernas inter Christianos usitatas contentiones, & differentiam cultuum eo vergere opinor, ut ex mutua ruina sit occasio convertendarum dictarum gentium. Hinc Indorum, inde Iudæorum & Turcarum. Quorsum non incommode referas, quæ de Indorum idololatria, ejusque remedijs Iosephus à Costa lib 5. de procuranda Indorum salute in hunc modum perscripsit.

Cap. IX. *Nescio equidem, quibus verbis significem: non tam imbutos, quam in idololatriam penitus transformatos istorum animos, ut neque in ocio, neque in negocio, neque in publica re, neque in privata quicquam peragant, nisi Idolorum suorum prius superstitione adhibita. Non lætari in nuptijs, non lugere funus, non epulum præbere aut accipere, non denique aut pedem efferre domo, aut operi manum admovere sine sacrilegio gentili. Vsque adeo Diabolus oppressos tenet eorum sensus servitute miserrima. Quanto vero artificio ista omnia celent, atque dissimulent, cum publice agere haud liberum sibi esse perspiciunt, quanta rursus impudentia, cum licere sibi putant, insaniant, mirari potius possum, quam satis dicere.* Et recensitis pene infinitis speciebus idololatriæ inter ipsos usitatæ, addit. *Quot autem victimarum, quot libaminum, quanto Cæremoniarum ordine istorum omnium cultum persequerentur*

rentur Ingarum proceres, infinitum eſt dicere,&c. Ac re ipſa, certoque uſu obſervatum eſt, eas Indorum nationes plures ac graviores ſuperſtitiones Diabolicæ ſpeciei tenuiſſe, in quibus Regum ac Reip. maxime potentia & peritia excelluit,&c. Poſtea cum cap. X. & XI. remedia contra Idololatriam ſumpſiſſet explicanda: ſubjungit hæc vltimo: *Sed illud ſummopere curandum eſt, ut pro noxijs ritibus ſalutares introducantur & cæremonijs cæremoniæ obliterentur. Itaque & aquæ benedictæ uſum, & Imaginum & Roſariorum & granorum, & cereorum, & palmarum, & cæterorum, quæ Eccleſia ſancta probat ac frequentat neophytis perquam oportunum eſſe ſibi perſuadeant Sacerdotes, atque ea omnia in concionibus popularibus multis laudibus proſequantur, ut pro veteri ſuperſtitioue novis religioſisque ſignis imbutos aſſuefaciant. Ita fiet ut melioribus atque elegantioribus occupati; obſoletam ſectæ ſuæ ſuperſtitionem de manibus ac de mente deponant.* Hæc Acoſtus. Quod ſi quis jam Mahumetanorum, & præcipue Iudæorum ſtudia, his Indorum è diametro contraria, perpenderit: is facile concludet, contrarijs etiam remedijs invitatum iri; ac proinde exemplo ſupra dicto Gothorum facilime omnium ad Antitrinitarios, poſt ad Arianos, tum ad ſaniores cœtus Chriſtianorum, maxime ſi per nos cæremonias legis ſuæ retinere poſſent, 1. Cor. 7. verſ. 17. in 24. traduci poſſe: ergo Deus, ubi convenire nos Europæi non poſſumus ex partibus tantopere confligentibus, alteros ad Indos, alteros ad Turcas ableget, vel jam ante certo conſilio, utroſq; conſervatos alteros ad Occidentem, alteros magis ad Orientem collocavit, ut locis diviſæ, invicem mordere & conſumere deſinant; & quælibet, ſi non ſibi, ſaltem gentibus ab Eccleſia penitus alienis proficiat?

Rabbi Iopeph Alba, circa annum Chriſti 1425. compoſuit librum Ikkarim, qui multos ad Arianiſmū perduxit.

Iam quod attinet factiones Chriſtianorum inter ſe: longum eſſet ex Apocalypſi D. Ioannis, ex Propheta Daniele, ex vitæ Chriſti Servatoris ænigmate proferre, quid quæque pro ſe diſputet: quomodo numeros in his Prophetijs expreſſos applicent; quomodo Antichriſtum, à Chriſto & Apoſtolis prædictum, alteri adhuc expectent; alteri jam veniſſe contendant. Vtriſque ſane ſuſpicio aliqua ex hac ſtella ſuboriri poſſit; illis, Antichriſti, his ipſius Iudicis vivorum & mortuorum imminentis. Et quia Chriſtiani poetæ traduxerunt effigiem Serpentarii ad illud ſemen Mulieris, conterens caput Serpentis: videant igitur, quorum hæc eſt profeſſio, quomodo nova hæc ſtella pedi ejus poſteriori pro ſtimulo addita allegatione dictorum Scripturæ, præſertim Apocal. 12. & 20. pulchre explicari poſſit: ſufficit monuiſſe.

Quod

An ſtella ſit adventus Chriſti prænũcia.

Quod igitur attinet ſalutarem illum, omnibuſque vere Chriſtianis deſideratiſſimum & certiſſimum adventum Domini noſtri Ieſu Chriſti ad Iudicium, & conſummationem ſeculi: quemadmodum aliqui Trigonum igneum redeuntem, eius ſignum eſſe dixerunt, ut ſupra dictum: ita non deerunt, qui ſtellam hanc ejuſdem faciant prænunciam; confirmati, illa Magorum ſtella, quæ primum Chriſti adventum præceſſerat. Quorum religioſum affectum minus ſane reprehendo, quam priorum illorum curioſitatem, qui rem, citra controverſiam naturalem, ad hoc ſupernaturale opus accommodabant. Cur enim reprehendam eos, qui Chriſtum Dominum imitantur, jubentem ſuos auditores vigilare, quod neſciant, qua hora venturus ſit, qui ad omne ſignum cœleſte, terreſtre, quod hominum animos vehementer percellit; expectari ab hominibus voluit, pijs, ut liberato-; nefarijs, ut ſeverus judex? Et tamen alicubi, tempus aliquod interjecit, ſigna poſuit, ante quæ non ſit hoc futurum. Quod utrumque imitatus eſt D. Paulus, gentium Apoſtolus.

Sed tamen monitos volo, conſiderent, non plane certum eſſe, num ſtella hæc ſit opus Naturæ, (.cum jam aliquot hujuſmodi fuerint.) an ipſius Dei immediatum, uti ſupra dictum. Itaque judicium ne præcipitent; & hic Chriſtum imitati cum Apoſtolis. Deinde utar argumento Tychonis Brahei. Aut enim ſequuntur Eccleſiam Romanam, aut ab ea diſceſſerunt. Illi expectant adhuc Antichriſtum: hi credunt Iudæos adhuc convertendos: utrique probabiliter; prædicandum Evangelium per totum Terrarum Orbem, omnibuſque barbaris. Neutri igitur certi ſunt jamjamque imminere adventum Domini. Itaque non poſſunt hanc ſtellam aliqua peculiari ratione ad Chriſti adventum accommodare, exque eâ tempora dinumerare metaſque præfigere: quam ſcientiam Deus ſibi reſervavit. Interim non ſane peccant, ſi hac ſtella commonefacti, vitam inſtaurant Chriſtianam, itaq; ſe comparant, ut Chriſtum Dominum jamjamque excepturi.

Quod ſi cui ſtellam hanc lubet ad noſtras Europæorum trahere contentiones: equidem fiet capitulatio omnium fere conjecturarum, quas hactenus recẽſui. Nam Sagittarius repreſentabit Eccleſiam Dei (.poſito quod Deus in ſignificando utatur conceptibus aſtrologorum; quod non omnes tamen concedent; egoq; hæſitanter ſuppono.) tam aſtronomice; quia in eo ſigno congrediuntur hodie planetæ, in eo ſigno initium eſt Trigoni ignei: quàm aſtrologice, quia ſagittarius eſt domus Iovis. Et quia conjunctio Iovis & Martis turbulenta eſt, & ſtella paulo ante illos junctos ſtetit, quo ad diem & locum; & Sagittarius Triplicitas habetur Martis & Solis: itaque maximarum contentionum novationem, & ut cum Röslino loquar

κατα-

καταστροφὴ, forte & Novam ſectam, ut aſtrologi cæteri ſuggeſſerunt, ſignificat: & quia ſtella antecedit illos in die & loco tam longitudinis, quam latitudinis; ideo quietem poſt rixas pollicetur: & quia ſtella ſtetit prope viam regiam planetarum; id innuit confuſionis & exorbitationis abrogationem, & Ordinis reductionem; quod alij de reditu ad Catholicam eccleſiam, alij de ſimplicitate cultuum Apoſtolica accipient. Et quia tunc fuit initium ignei Trigoni qui nobilitatus eſt præcipuis rerum geſtarum articulis, ut Creatione Mundi, Nativitate Chriſti (.vide cap. VII. Et Tychonem Braheum in concluſione Progymn. fol. 805.) Ideo ſignificatur aliqua revocatio ad principia Chriſtianitatis. Et quia ſtella fuit altior Iove & Marte, & cum illis; quorum ille pompam, faſtum, authoritatem: hic inquietudinem, pugnas, rixas, ſeditiones, furorem vulgi, & impetus temerarios ſignificat: ideo ſignificatur aliquid his duabus partibus contrarium: Et quia ſtella non fuit cum Saturno: nulla ergo imminet molitio contra res ſaturnias; ſed quia fuit cum illo conſentiens in latitudine; ea re adumbratur nobis Saturninarum rerum victoria, nimirum antiquitatis, conſtantiæ, conſilij, prudentiæ, ſeveritatis, parſimoniæ. Reſtaurabitur publico concilio diſciplina Eccleſiaſtica; non permittentur amplius Concionatores ſcribere prognoſtica, fidemq; & exiſtimationem ordinis hac vanitate labefactare; emẽdabitur Eccleſia, tolletur libertas juvenilis diſputandi, calumniandi, refrænabitur furor populi; valebit ἀριστοκρατία collegiorum; coercebitur pompa, luxus, ſuperbia τῶν μοναρχόντων; quod & Braheus fol. 802. ex ſua ſtella deduxit: in ſumma, Iovialia erunt mediocria, Martialia deterrima, Saturnus prævalebit: Et quia fuit idem ordo quatuor ſtellarum latitudine, qui eſt revera in mundo ſphærarum; ideo ſperari poteſt emendatio maxime conſentanea rerum Naturæ. Atque hæc eſt illa clariſſimæ & flagrantiſſimæ ſtellæ amœnitas; ab omnibus paſſim commendata: niſi quod paulo plus ruboris, cum eſſet humilis, præ ſe tulit: unde conijcias, initia ad tantos ſucceſſus difficilia, turbulenta & ſanguine purpurata futura: finem vero pulchrum. Nimirum ſic etiam illam ſtellam anni 1572. interpretati ſunt nonnulli; incenſam eſſe novam lucem in ſpem piorum, qui paſſim maximis calamitatibus circumventi gemebant

Addent aliqui & tempus: nimirum, quia ſexageſimo die poſt exortum ſtellæ, Saturnus ad nouam venit: rata igitur futura iſta, poſt annum ſexageſimum. Et quia tunc Sol quoque præſens fuit Saturno & Novæ; ratificatio hæc multum habebit ſolennitatis; eritque abſcondita ab oculis vulgi, & tractabitur per literatos: non in conventu aliquo publico & valde conſpicuo, niſi forte paucorum: ſed per literas.

Quanquam quod hanc determinationem temporis attinet; exceſſimus extra principiorum noſtrorum limites. Nam ſi locus & tempus ſtellæ in 18. Sagittario ob congreſſum Iovis & Martis fuerunt electa à Deo: tunc congreſſus iſte Saturni cum nova poſt diem ſexageſimum neceſſarius fuit, non quæſitus à Deo. Aut igitur Deus totam rei ſignificationem ſecundum præviſam ſpecialitatem motuum cœleſtium diſpoſuit, quod abſurdum eſt, (.nihil enim hominibus mittit propter cœlum; ſed ad ea quæ miſſurus eſt hominibus, ſignificanda, ponitur uti cœlo.) aut in re, quam Deus per ſtellæ conjunctionem, cum Iove & Marte ſignificavit, Saturni congreſſus cum Nova naturaliter poterit illa, quæ de anno ſexageſimo diximus: quod rurſum eſt abſurdiſſimum, ſtatuere de re diuinitus exhibenda, præter naturæ modum: aut quia neutrum horũ verũ; hunc Saturni congreſſum cũ Nova non poterimus ad conjecturas noſtras formandas adhibere.

Illud tamen non difficile eſt colligere: quia ſtella ultra integrum annum durauit, rem ſignificari valde diuturnam: Cometarum enim nullus tam diuturnus fuit.

Quanquam hæc ego de mutatione in melius, non tanta fiducia prædico, quanta uſus eſt Roſlinus. Quid ſi namque longe aliter interpretanda eſt illa religio Saturnia, vel ille Propheta Saturnius, qui à Noua ſtella, eiuſque cum Saturno conſenſu in latitudine ſignificatur? Horret animus explicare, quas ominationes mihi ſuppeditet præſens rerum facies & exempla per omnes nationes obvia. Sed commodum intervenit Harpocrates. Nimirum Saturnus friget, Saturnus contemptor eſt, Saturnus omnia fuſque deque fert. Saturnus preſſus & coactus omnia ſimulat diſſimulatque, omnia perveſtigat, omnia ſcrutatur, omnia ſuſpicatur, omnia ſuſpecta facit, animum indurat, pertinaciam induit. Hic unus eſt, qui vel Turcas malis Chriſtianis, uno fœdere, ſed occulto & inconfeſſo, ſociare poterit. Nec ulla pœna tam eſt magna, quam non meruerimus.

Ubi venerit filius hominis, putas quod fidẽ inventurus ſit in terris?

Expoſui omnes modos; quibus puto methodica aliqua ratione ad ſignificatum ſtellæ perveniri poſſe: quos, rogo lectorem iterum atque iterum, ut ex aſſumptis principiis æſtimet. Negatis enim quæ quoque loco aſſumpſi, ruent & illa quæ ſuperſtruxi. Illud unum ſupra ſæpe repetitum, nunc quoque inculco, ſubtilitati diſputandi, qua multis videbor uſus, minimum in hoc negocio locum relinqui, in quo, experientia teſte, tantum valent Enthuſiaſmi: Cum res tota divina ſit, reique interpretatio diuina, ut ſupra dictum.

Epilogus.

Rogo autẽ Lectores quo me propius norunt, ut mihi ne vitio vertãt; ſi breuiores quã ipſi forte expectarũt, diſcurſus Theologicos & Politicos

de

de certaminibus hujus temporis, eorumque Cataſtrophe inſerui, perpendantque conditionem meam, qui à Cæſare conductus ſum, non ut eſſem publicus vates; ſed ut aſtronomiam genuino ſuo Magiſtro, Tychone deſtitutam, pro viribus perficerem, eoq; in officio rationem haberem omnium hominum, à quibus Magnus Cæſar hanc Aſtronomiæ excultæ & perfectæ gratiam inire ſtudet, neq; in privatorum gratiam talia ſcriberem parerga, quibus abſterriti & abalienati cæteri, ipſum forſitan τὸ ἔργον, quod tracto, univerſi negligant. Quam ego circumſcriptionem maximi beneficii loco habeo: cum certus ſim, ſi mihi animi ſenſa licuiſſet typis expromere libere, & extra limites profeſſionis meæ, propter cognationem rerum, in Politiam & Eccleſiæ ſtatum excurrere; nullas hodie partes eſſe pugnantes, quas ſcriptione mea nō fuerim offenſurus. ſcilicet *Iliacos intra Muros peccatur & extra.* Nec nullus erat metus, idem mihi eventurum, quod alijs; quod & Fabricio, cujus ſcriptum de ſignificationibus hujus ſtellæ nihil aliud continet, quam querelas de ſuis vicinis, opinionem de ſtatu Imperij, & deſiderium vindictę atq; emendationis. Itaque fic format ſua oracula, ac ſi ab eo Magiſtratu, ſub quo vivit, conductus eſſet orator, partim ad terrendos rebelles & malos vicinos, partim ad conciliandum & excitandum Cęſarem. Sic Crabbus planè conſiliarium agit, oſtendens res Chriſtianis perire per ſocordiam & ſomnolentiam: Turcamq; hoſtem, hoc pacto convaleſcere. Nec perpendit, quæcunq; narrat, ſeu vera ſeu falſa, fruſtra ſe narrare; non enim erant iſta proponenda in prognoſtico, ſed in arcano Conſilio, aut tacendum; cum nihil tale cælum nobis dicat: morborum vero indices ſemper plures ſint, quam medici. Atque his rebus hi ſeſe deridiculo exponūt multorum. Saluberrimum itaq; conſilium mihi, cum hæc mea conditio, tum Deus ipſe ſuppeditauit exemplo ſui: qui generale ſignum omnium partium oculis exhibuit ſpectandum: ut admoneret ſingulos, in ſe deſcenderent, ſuaq; vitia examinarent, & cognitis ſuis erroribus, ſuiſq; ſceleribus, ad veram pœnitentiam converterentur. Imitatus eſt hoc idem ut plurimum & Tycho Braheus; cujus veſtigia quid cauſæ ſit, quin preſſe ſequar.

Nimirum magna eſt vulgi vanitas, & perverſiſſima conſuetudo: qui portento aliquo divinitus exhibito, ſtatim oculos & aures ab illo ad interpretem convertunt, hunc ipſum pro novo habentes portento; ſollĳciti non quibus rationibus is utatur, ſed omnino quidnam dicat eventurum veriſſimum ipſi portentum; qui exiſtimant, unius aſtrologaſtri gratia, & ad commendandas ejus ſubitaneas opiniones, incenſum eſſe à Deo ſidus in ęthere. Neque hæc ego vulgo per calumniam vel exaggerationem tribuo: res ipſa eſt, quam dico. Perpende quæſo quis paulo religioſior, paulo ad humani-

tatem propenſior, non ad omnes aſtrologi voces tanquam totidem ad oracula attentus eſt: omnino exiſtimans occulta Dei diſpoſitione dici gerique omnia; quantumvis intelligat vitioſitatem argumentationum, quibus aſtrologus utitur. Hujuſmodi hominibus nulla unquam declaratio rei ſufficit, quæ intra terminos artis conſiſtat; ſed poſtulant ab aſtrologo, ut intima animi ſenſa per circumſtantias locorum, temporum, perſonarum, Religionum rerumque publicarum, nudiſſime ob hominum oculos ponat: quibus ille niſi paruerit, hoc eſt niſi ineptiſſimus mortalium evadat: jam varias incurrit reprehenſiones: negant ipſum agere candide, inſimulant timiditatis, adulationis, defectionis, & mille criminum; neq; diſtinguunt inter aſtronomiam & aſtrologiam; rati nullam fore aſtronomiæ utilitatem, niſi ea per divinatricem cum externis hiſce circumſtantiis in publica vitæ conſuetudine verſantibus ita confundatur, ut omnis vita, omnes etiam leviſſimæ hominum actiones ex cælo nectantur, & prædefiniantur eventuræ. Iis igitur hoc ego concluſionis loco dictum volo: ut cum curioſitate ſua ad Prophetias Ioachimi Abbatis S. Brigitæ, Merlini & reliquas, adque vaticinia Antonii Torquati, Carionis, Theophraſti, Iacobi Hartmanni, Miſocaci, Sibaldi Brandini, Herlicii qui os ſuum in cælo ponunt, nec quenquam niſi Eventum judicem recognoſcunt, denique ad eos, qui hos pro meritis ſuis tractarunt, ut Ioannem Raſck, Paulum Meſſingum, & alios, faceſſant; ibique ſeſe oblectent: ab hoc vero libello, quem ego aſtronomicis & Naturalibus ſpeculationibus totum dicavi, oculos huic materiæ infenſiſſimos abſtineant.

Cæteris, qui horum contrarii, temperantiam laudant, ſpero me comprobaſſe me bonum & pacificum Germanum: qui ſi quid etiam hic notabunt, quod nimium eſſe videatur, id imputabunt aſtrologis, quorum vaticinia generaliora erant excutienda; ſin autem aliqua reperturi ſunt, in quibus ipſis non ſatisfecero; perpendant hanc eſſe mortalitatis conditionem. Equidem

Non eadem ſentire bonos de rebus ijſdem
Incolumi licuit ſemper amicitia.

Nec quiſquam ita facilis eſſe poteſt ad cenſuram, quem recta monentem Ego facilitate parendi non ſim ſuperaturus.

FINIS.

IOANNIS KEPLERI

S. Cæs. Maiest. Mathematici

DE

IESV CHRISTI SERVATORIS

NOSTRI VERO ANNO NATALITIO,

CONSIDERATIO NOVISSIMÆ sententiæ Laurentii Suslygæ Poloni, quatuor annos in vsitatam Epocham desiderantis.



Cum Priuilegio S. Cæs. Maiest. ad annos quindecim.

FRANCOFVRTI,
In Officina Typographica Wolfgangi Richteri.

M. DC. VI.

PERILLVSTRI VIRO

Dn.

IOANNI BARVVITIO

Sac. Cæs. Maiest.

RVDOLPHO II.

à

CONSILIIS IMPERIALIBVS AVLICIS ET SECRETIS INTIMIS,

Domino meo gratioso.

CVM superiori æstate S. Cæs. Maiest. permissu & veniâ, per Illust. Dominationẽ Tuam impetratâ, in Styriam profectus essem, domestici negocii causâ: bono quodam studiorum meorum fato accidit, vt venalem Grätii inuenirem libellum Laurentii Suslygæ Poloni; cui titulum fecit; Theoremata de anno ortus ac mortis Domini, deque vniuersa Iesu Christi in carne œconomia. *Cuius libri argumento mirificè delectatus, cepi de eo, ad meum libellum, de Noua Stella Serpentarii, quem tunc meditabar, accommodando cogitare. Nam si vera dixisset author, quatuor annos adiiciendos vsitatæ Christianorum Epochæ, ad ætatem Christi constituendam; sequebatur igitur, Christum natum esse anno vno atq; altero post coniunctionem Magnam Trium superiorum in principio Arietis, seu fine Piscium, à qua sextum ab orbe condito recurrebat Triplicitas ignea: stellam igitur, quæ Magos perduxit ad Christi præsepe, vtpote biennio antiquiorem*

natiuitate Christi hac circumstantiâ nostræ huic stellæ fuisse comparandam.

Cum igitur descriptionem ipsam Stellæ, ex officio scriptam, Suæ C. Maiest. vt debui, dedicauerim: hanc vnicæ huius circumstantiæ temporariæ, quoto anno Christi fulserit nostra stella, elucidationem, in illo meo ocio Styriaco scriptam, cui potius offeram, quam Illust. Dom. Tuæ, vt, sicut illic Suæ Maiestati officii mei, sic hic ocii per Te mihi procurati rationem tibi reddam? Accedunt Illust. Domin. Tuæ merita, cùm in Artes omnes, & potissimum in Astronomiam Braheanam; tum verò & in earum cultores, meque adeo ipsum: vt quorum patrocinium in hac Augusta Aula sic suscepisti; vt hanc palmam cedas nemini. Atque vtinam aliquid à me proficisci possit, quod Tibi tantum pariat voluptatis, quantum ex hac Tua tutela Ego sensi vtilitatis hactenus. In præsens maiora non potui: & spero Tibi placituram vel solam in me voluntatem. Vale, mequ tueri & promouere perge. Pragæ VIII. Id. Septembris, anno vsitatæ Epochæ 1606.

Illust. Domin. Tuæ

Obseruantissimus
cliens

Ioan. Keplerus.

DE VE-

DE VERO IESV CHRISTI MEDIATORIS NOSTRI NATALI ANNO.

VIDES, lector, in libello de Stella Noua Serpentarii, pagina 135. momentum aliquod accedere nostrę contemplationi, si constet Christum Iesum natum anno Iuliano 41. Augusto XII. & Sylla Coss. Quia sic stella Christi cum stella nostra hoc commune nanciscitur; vt vtraque in coniunctionem magnam incidat.

Itaque non admodum præter institutum in hanc syluam Chronologicam excurrero. Quod si olim Censorinus suo Q. Cærellio de die Natali gratulaturus, materiam censuit idoneam, qua omnes omnium gentium Epochas vno quasi fasciculo colligatas ob oculos exhiberet, eoque labore studium Chronologicum adiuuaret: quæso te, quid adeo alienum à nostro proposito; si & ipse Natalem noui sideris, & quæ cum illa coincidit, Triplicitatis igneæ, qua geminata celebritate Deus Optimus Maximus quendam quasi clauum fixit, Lustro magno condito, ludosque sæculares & spectacula Orbi Terrarum, in Circo cœlesti, seu Planetadromo magno, per integrum annum exhibuit: si hâc inquam sæcularem celebritatem repetitione & emaculatione Epochæ Christianis commendatissimæ exornauero.

At non tam necessitate meæ materiæ, quam peculiari quodam studio impellor ad repetendam Laurentii Suslygæ Poloni sententiam: Cupio enim hanc, vt veram meo iudicio, innotescere quam plurimis hominibus: & verò vereor ne negligatur, quatuor potissimum de causis; primâ, quod Authoris noui liber titulum præfert Chronologicum, cuius nominis artes à paucioribus excoluntur; alterâ, quod grauatur author præiudicio Magnorum virorum; tertio, quod neglexit astronomiam, & in disputatione de passionis anno hanc scientiam traditionibus plane postposuit; quæ res astronomos à thesi per se verâ abalienare possit; denique quod ipsa sibi solet obstare nouitas & solitudo Authoris, difficulter hominum animis euellantur vsu trita, multorumque consensu stabilita.

Quibus incommodis etsi nonnihil prospectum iam est a Posseuino, qui Authorem publicè commendat, facit id tamen, intactâ

hac quæstione, nulla significatione in vllam partem inclinans.

Itaque non abs re putaui, sententiam Suslygæ transscriptam in hunc libellum, (quem ob materiæ curiositatem in multorum manus venturum existimo) & communiorem facere, & argumentis perspicuis etiam astronomicis adiuuare, adeoque vnius insuper anni subtractione in Herodis, filiorumque funeribus, probatiorem, & veritati propiorem reddere, vt habeant lectores pulchrum aliquid, quo frustratam inutilium diuinationum expectationem solentur.

Quod dum aggredior; Deum Opt. Max. suplex oro; ita mihi mentem obfirmet, vt veritatem nudam vndecunque oblatam irretortis oculis aspiciam: neque me personarum & partium vel admiratio, vel despectus, quod hodie plerisque contingit, fascinet: iis vero, qui me vel ob hoc, vel ob illud reprehensuri, vel suspicionibus oneraturi sunt, hoc vicissim pœnæ irroget; vt agnitis prauitatibus affectuum, quibus hodie vulgus etiam literatorum in studia abit pernicioſissima, hoc ipsum, quod in me culpant, imitentur.

An & qualis error in Christi Epocha vulgata.

Aberrari hodie in notatione annorum Christi publica & receptissima; fatentur pleriq; omnes ex Chronologorum turba: quidam annum vnum, quidam biennium desiderantes. Qui vero ad quartum vsque annum progrediantur, præter quem dixi Suslygam recentissimum, noui neminem.

Erroris vero causæ, neque pudendæ sunt, neque omnibus ex æquo Christianis communes. Nam quod has externas circumstantias attinet natiuitatis Christi, non duxerunt necessarium Ecclesiæ patres, omnes minutias persequi, maximè nondum vsu confirmato, tempora per annos Christi signandi.

Quod si ēt quispiam Theologorum vsq; ad contentionum studia prouehatur, ista curiosius inquirendo: iam censurā incurrit increpantis Apostoli. Eusebio quidem & post eum Chronologis, qui hanc materiam ex officio tractāt, maior necessitas incumbit, quam ipsis Theologis, vt Christianam Rempub. ab hoc ludibrio vindicent.

Quis author Epochæ erroneæ.

Iam quod eorum sententiam attinet, qui hodie vnum vel alterum annum in annorum Christi notatione desiderant: ab iis non antiqui patres, sed recentior Ecclesia post annum Christi 500. in hac aberratione deprehenditur. Nec enim aliud tradunt illi Veteres ante 500. annos, aliud hodie Chronologi de circumstantiis, & characteribus anni, quo Christus natus est; sed vtrique iunctim, & illa primitiua Ecclesia, & hodierni Chronologi ex eius testimonio, medios, se inter & nos, hallucinantes arguunt; vt quibus contigit ista hallucinatio non

Quæ causæ errandi.

igno-

ignoratione circumstantiarum, cum Christi Natiuitate coincidentium, sed sera receptione moris numerandi per annos Christi. Quid mirum enim, si Dionysius Abbas, ignoratis iam, post tot sæcula, moribus Romanorum, Nouembrem proximum ab illo Septembri, quo Tiberius decimum quintum Imperij annum finiuerat, adhuc partem fecit quindecimi anni Tiberij, qui primus eius error esse videtur: quid item mirum si Locutionem B. Lucæ Euangelistæ sic accepit, ac si ille dixisset, Christum, cum baptisaretur, anno quindecimo Tiberij, Mense (vt authores Dionysio probati voluere) Nouembri; incepisse agere annum ætatis tricesimum, quasi nuper completo vndetricesimo, vix ingressus esset Tricesimum: qui alter eius error tanto fuit promptior, tanto excusabilior, quod etiamnum hodie in tanta luce literarum de ea locutione varie disputatur. Quibus duabus hallucinationibus accessit neglectus historiæ Romanæ, & Iudaicæ; condonandus & iste sæculo illi, vix ab irruptione barbarorum sese recolligenti, cum ex hoc ipso neglectu etiamnum hodie apud Viros clarissimos, ocio librisq; abundantes, omnis residua dubitatio pendeat. Quid si verò coniectura ista nostra, qua in re Dionysius aberrauerit, falsa sit, sic vt Dionysius B. Lucam aliter forte intellexerit, quasi triginta solidos retrò quindecimum Tiberij numerantem ad ortum Christi, recte etiam quindecimum Tiberii definiuerit, sed eundem non rectè ab annis Diocletianeis, quibus ætate Dionysij vtebantur Christiani, dimouerit, confusus perplexa Consulum, Imperatorumq; serie?

Nostra Epocha pugnat cum traditione primitiua Ecclesia.

Quidquid huius sit, & Dionysio condonari potest, & veteribus Patribus commune non fuit. Nam colligens eorum suffragia scriptor Annaliũ Baronius & concilians, potissimos in hoc consentire deprehendit, Christum natum esse, vel exitu consulatus Messahalæ, & Lentuli, vel initio consulatus immediate sequentis Augusti XIII. & Syluani, à quo anno hic annus est supra Millesimum Sexcentesimũ octauus, quẽ nos à nativitate Christi perperã numeramus sextũ.

Quin ne his quidem vltimis sæculis defuere, qui biennij errorem in Dionysio animadverterent. Producit testem Scaliger Marianum Scotum, clarissimis verbis testantem de hac discessione Dionysij à Veteribus Patribus.

Cæterum, quia & hos antiquos etiamnum vno aut altero anno à vero abesse contendit Suslyga: quæras non iniuria, quæ ipsis causa aberrandi, cum fuerint temporibus Christi vicini.

An etiam primitiua Ecclesia computatio in errore versetur, & quatenus?

Ego vero dico, vestigia B. Lucæ Euangelistæ religiosè secutos, tanquam

tanquam minimè aberrauerint, ſic explicari poſſe. Dicit B. Lucas anno quindecimo Tiberij, Ieſum cum inciperet (ſcil. curſum prædicationis, vt Ignatius, Beda, Bernardus intelligunt) fuiſſe, quaſi triginta annorum. Anni triginta ablati ab anno quindecimo Tiberij relinquunt quadrageſimum ſecundum Auguſti, annum ſecundum Olympiadis CXCIV.

Idē Lucas act. 1. v. 1. περὶ πάντων, ὧν ἤρξατο ποιεῖν καὶ διδάσκειν. Et v. 22. Ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος Ἰωάννου. Cum his confer locū ipſum Luc. 3. v. 23. καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος, ὢν, ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσὴφ, &c. Vt interpunctionē ante ὢν mutuemur excitatione Epiphanii, fauente phraſeos concinnitate.

Quicunq; ergo B. Lucam in voce imitatus, dicit Chriſtum natum, circiter hunc Auguſti, & Olympiadis annum, non debet pro errante corripi, etſi calculo ſubducto accuratius, vel XLI. vel XL. annus Auguſti exeat. Nam & ipſe tricenarius numerus per ſe, quo B. Lucas vtitur, rotundus eſt, & compendiarius ſeu ſummarius, & vox (quaſi, ὡσεὶ) ex abundanti addita, omnem huiuſmodi ſcrupuloſitatem repudiat. Et quid attinuit Patres ſcrupuloſius iſta tempora rimari, quæ B. Lucas ipſe, quo loco de Baptiſmo agit, rimatus eſt?

Quin potius, ſi quis articulum Nativitatis preſsius inquirat, proprios Euangeliſtarum locos adeat, quibus ipſas Natiuitatis circumſtantias deſcripſerunt: inueniet quantum & tunc ſuffecit Rerum geſtarum è propinquo memoribus, & hodie dum ſufficit diligentibus hiſtoriarum lectoribus: Natum eſſe ſcilicet, quo tempore ex decreto Auguſti cenſus in Iudæa actus, viuente Herode Rege.

Vides vſitatas temporum notationes Veteribus, per Reges & Imperatores: cum ijs iam perge ad hiſtorias, quas Lucas ipſe tibi commendat, dum citat; minus te fallent, quam rotundus Euangeliſtæ numerus, triginta annorum, alieno loco, vbi non de Natiuitate, ſed de Baptiſmo loquitur, expreſſus.

De exceſſu Herodis.

IGitur Luca Euangeliſta duce peruenimus ad exceſſum Herodis, nec accuratius deſcribitur Natiuitatis tempus, quam quod præceſſerit Herodis mortem; niſi forte cenſus actus nos poſtmodum in arctiori conſtituat ſpacio, aut omnino fidem mereatur vetus traditio de bimulo Chriſto quando ex Aegypto redijt.

Omnis igitur labor in exceſſu Herodis indagando vertitur: Cuius hiſtoriæ ſcriptor Ioſephus & diligentiſſimus & Romanarum rerum peritiſſimus, & publica Romanorum Imperatorum honoratione de fide commendatus, cum hodie diuino beneficio ſuperſit: mirum equidem

quidem est, quo fato fiat, vt Christiani homines potius illi fidem abrogent, (quo rotundum B. Lucæ numerum, reclamante particula ὥστε, rigidè sequi possint) quam vt ex fide Iosephi, etiam Euangelistarum fidem de Natiuitate scribentium, ad exteros & gentiles, quibus tamen disputandi conditionem deferunt, luculento & penetrabili argumento commendent.

Cæterum Iosephus, aiunt, errauit in annorum computatione sæpius, & citra controuersiam: non tutum igitur, ex eius fide, definito Euangelistæ numero vim facere.

Accipio conditionem huius campi, & occurro; quod si Iosephus in historia Romana, (cui Iudaica sic intexta est, vti subtegmina staminibus) nullius erroris, ex Tacito, Dione, Suetonio, Paterculo cæteris coargui potest, & si Iudaica Herodis negocia Natali Christi vicina (de antiquioribus enim excusationes sunt variæ) per huiusmodi circumstantias Romanorum concurrentium describit, quas Romani scriptores eadem, nec tamen ex composito, commemorant, iure merito fides ei est habenda etiam in Iudaicis. Atqui hoc demonstrauit Suslyga; hic illius libelli scopus, hæc summa est: Hoc si repetiero, & diserte explicuero, liberabitur Iosephus ab errorum intentatorum suspicione: nisi si quid forte peccauit librarius, à quo casu ne ipsa quidem sacra volumina ex omni parte manserunt immunia: quibus tamen nihilominus sua constat irrefutabilis authoritas.

Vtar autem ad hanc rem proponendam his potissimum Hypothesibus.

I. In confesso est apud omnes, Anni ordinationem Iulianam, vti ab Augusto est restituta, mansisse hucusq;, & Calendas Ianuarias, à quibus init nostra vitiosa Christi æra, principium fuisse quadragesimi sexti Iuliani, Caio Cæsare Augusti filio, & Aemilio Paulo Cos. Primum vero Iulianum Cos. habuisse C. Iulium Cæsarem, & Fabium Maximum. Hac Iulianorum serie libenter in hoc negocio vtor, vt quæ centenariorum repetitione non sit onerata.

II. Confessum & hoc est historicis, à quo tempore cœpit Iulianorum annorum series, Consules annorum singulorum sic sciri, vt alteri alterorum sint indices: saltem vsq; ad Tiberij excessum: quia cum sequentibus temporibus nullum nobis in præsens est negocium. Itaq; breuitatis causa vtar vt plurimum numero Iuliani anni, omissis Cos.

III. Valde vereor, vt omnes Romani juris prouinciæ, ne Iudæis quidem ſub rege precario exceptis (nec enim Rex hic eos cenſu Orbis excipere potuit) annos Imperatorum & Regum per conſules numerent, ſic vt qui fuit vltimus Auguſti, eius reſiduum à XIV. Cal. Sept. numeretur pro integro & iuſto anno primo Tiberii, duobus Sextis, Pompeio & Apuleio Coſs. Et Cal. Ian. ſequentibus, Druſo, & Norbano Coſs. iam dicatur inire II. Tiberii, vix tertia anni parte in Imperio exacta. Videtur id innuere Tacitus Annal. III. Cuius verba hæc: *M. Silanus ex contumelia conſulatus, honorem Principibus petiuit: dixitq; pro ſententia, vt publicis priuatisq; monumentis ad memoriam temporum, non conſulum nomina præſcriberentur, ſed eorum qui Tribunitiam poteſtatem gererent.* Tiberius vero *decretas ob Tribunitiam Druſi poteſtatem cæremonias temperauit.* Hæc Tacitus. Noluit nempe morem numerandi annorum ſpacia per Coſs. abrogari. Equidem in prouinciis, quæ ſub regibus conſueuerant, obtinuiſſe par eſt credi, vt anni Imperatorum præſcriberentur actis; at quia ſoliti vna Conſules addi, omnino vt Imperatores numerum, ſic conſules metam annis præfigebant.

Suslyga eandem numerandi & ſignandi formam latenter ſequitur in loco Lucæ, annos Tribunitiæ poteſtatis Tiberii computans, quod non probo; nec veriſimile, Ioſephum & B. Lucam, non Romanos, ſed prouinciales, Tribunitiæ poteſtatis potiorem, quam Monarchiæ rationem habere.

Hanc igitur hypotheſin adhibebo ad coniecturas formandas: nihil tamen obſtinate defendam. Viderit autem Scaliger quo modo diuerſa imperiorum initia ex Iudæorum conſuetudine deſumpta, cum iis argumentis, quæ hic ſum allaturus, conciliare velit.

1. Calculus Ioſephi & Dionis. Anno 37. Actiaca pugna, relegatus Archelaus, qui eſt 51. Iulianus.

1. Cum igitur annus 15. Iulianus ſit annus pugnæ Actiacæ; 51. Iulianus erit triceſimus ſeptimus pugnæ Actiacæ: quoto Ioſephus affirmat Archelai bona fiſco Cæſaris vindicata, relegato Archelao in Gallias.

At eodem 51. Aemilio Lepido, Lucio Arruncio Coſs. Dio refert: *Herodem Palæſtinum, accuſatum à fratribus, trans Alpes damnatum in exilium, ditione, quam tenebat, Reip. vindicata.* Nulla diuerſitas niſi nominis, ſeu filio Patris nomen hallucinans Dion indiderit, (legimus enim & anno ſecundo Caji Herodem Galilææ tetrarcham relegatum in Gallias) ſeu Herodi Archelao nomen fuerit. Quemadmodum Agrippæ, ei qui Herodis ex filio Ariſtobulo nepos, ſolus ex poſteris Herodis

Ieroſolymas

Ierosolymas tribus primis annis Claudii tenuit, & Cæsareæ mortuus est, ei inquam Actorum 12. etiam Herodi nomen est. Immerito itaq; hic Iosepho imputatur error, & videtur Scaliger diuersa secutus annorum initia seipsum inuoluere. Sed neq; Suslyga hic sibi per omnia constat, dum hunc ipsum Dionis locum citans, ad Iulianum 52. accommodat, contra manifestam literam.

Archelaus hic apud Iosephum habet annos Imperii nouem, alibi decem. Intellige decimum inchoatum, vel ex hypothesi tertia, vt ceperit imperare anno 42. Iuliano, à quo hic 51. relegationis, sit decimus. Cum ergo Iuliano 42. successerit, oportet vt Herodes magnus decesserit eodem anno 42. ante pascha.

Fuit vero decimus imperii Archelai.

Ergo 42. est primus Archelai, vltimus Herodis.

II. Idem confirmatur etiam eo numero annorum, quem Iosephus Herodis imperio distertis verbis ascribit. Nam Herodes Rex declaratus est anno 6. Iuliano, quia Domitio Caluino & Asinio Pollione Consulibus, quos Iosephus indicat. Regnauit verò ab hoc initio annos 37. Si ergo 6. Iulianus est Herodis primus, ergo 42. Iulianus est triceſimus septimus, & sic annus mortis Herodis.

II. Calculus Iosephi Herodes mortuus anno 37. à Renunciatione, 34 à captis Ierosolymis.

Rursum Herodes cepit Hierosolymas, capto & paulo post deleto Antigono rege, anno Iuliano 9. quia Marco Agrippa, & Caninio Gallo Cos. quos itidem Iosephus indicat. Regnauit vero ab hoc initio annos 34. Si ergo 9. Iulianus est Herodis primus ab hoc initio: igitur 42. Iulianus est Herodis 34. & sic annus mortis Herodis. At si spreta hypothesi tertia scrupulosè agas, currebant de triceſimo septimo inchoato dies forsan aliqui à priore regni initio. Et à posteriore deerant triceſimo tertio complendo menses amplius tres; quia Ierosolymas cepit æstate, die ieiunii.

Ergo anno 42.

At ne turberis lector, neque diffidas, Iosephum numero hoc complecti voluisse Consulum paria, quæ regnando Herodes atti git. Ecce enim huius numerationis exemplum etiam alterum in hoc ipso authore; dum à captis per Pompeium Ierosolymis, Cicerone & Antonio Coss. ad easdem per Sosium captas, Caluino & Pollione Coss. annos numerat 27. qui sunt completi 26. eâdem præcisè die redeunte, sed 27. paria consulum Romanorum attingunt: quo nomine etsi Iosephũ Iosephus Scaliger fol. 422. insignis peccati reum agere visus est, rediit tamen cum eo in gratiam in secundis curis. Verba scribam. Fragmentorum Chronologicorum folio L. sic

Quod Iosephus inclusiuè numerat.

Cum ex summi Viri Iosephi Scaligeri Opere plurimum profecerim: nolo hæc aliter accipiantur, quã à me proponũtur: scilicet ad instaurandam rerum notitiã, quas certatim hodie quærimus. Quicunq; hac mentione ad suam obtrectandi libidinem fuerit abusus: is & me & bonas literas insigni iniuria flagellauerit. Idem de cæteris dictum volo, pro cuiusq; merito.

Iosephus de Dauide: διέταξε δὲ μίαν πατειὰν ἄρχονεῖσθαι τῷ Θεῷ ὅτι ἡμέρας ὀκτὼ, ἀπὸ σαββάτου ἐπὶ σάββατον. *Dixit octo dies ἰδιωγκῶς, cum essent tantum septem solidi.* Lucas, ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ τοῦ περιτεμεῖν τὸ παιδίον. *Atqui ἐπλήσθησαν ἐπὶ à duntaxat. Sic* πεντετηεὶς *dicitur, quæ quatuor tantum ann. solidis constaret.* Hæc ibi:

At in additamentis fol. 747. sic

Tamen Xenophontis hæc de re verba sunt hæc: πελὰ τοῦτον ἦδη καὶ δεύτερος, εἰς ὃν ἐξ ἡμῶν, καὶ ὀκτὼ καὶ εἴκοσιν ἔτη τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα. *Præter sex menses ait octo & viginti annos præterea huic bello absolutos fuisse. Sed vtitur idiotisimo loquendi, viginti & octo annos, pro vigesimus octauus annus, quæ locutio apud *Iosephum, Plutarchum, Gregorium, Turonensem, & alios veteres frequens occurrit, quod mihi imposuit, & cautioribus imponere potest. Itaque qui hallucinari putant *Xenophontem, ipsi potius hallucinantur. Non enim est hallucinatio, sed ἀκριβολογία καὶ ἰδιωτισμὸς.*

Et alibi excusat Taciti locutionem similem, qui eadem de causa *Tribunitiam Augusti potestatem continuatam* ait *per septem & triginta annos*; cum ne sex quidem & triginta solidi fuerint. Plura exempla suppeditabunt argumenta sequentia. In præsens illud solum considera, non posse ex hoc Iosephi loco scrupulos colligi temporum, vel ideò saltem quod non ita accuratus sit circa Regnum Herodis, vt fuit circa imperium Augusti: in hoc enim menses, & dies computandos sibi putauit, in Herode solos annos; scilicet inter vtriusque initii consules duo tantum paria consulum intersunt; sic vt annus captæ vrbis quartus sit ab anno regni traditi per Senatum.

* *Ecce*

* *Subsume Iosephum.*

Adde quod hoc pacto, si imperium Herodis, alium sensum literæ secutus, in 43. Iulianum termines, Archelaus ditionem solos 8. annos tenuisset, planeque falsum dixisset Iosephus de anno Archelai decimo. Sic altera manu Iosepho medicinam applicans non necessariam, altera atrocius lædes. Magis igitur ad fidem Iosephi, moremque Romanum est, vt dicatur Herodes mortuus anno 42. Iuliano, quod quidem ex sequentibus etiam argumentis patebit.

Atque hæc mihi supereſt controuersiola cum Suslyga: conuenimus interim in hoc vterque, Herodem non serius anno 43. Iuliano decessisse.

Iosephum plerumque nu-

Itaq; illi, qui annos Herodis regni 34. vel 37. à pugna Actiaca numerandos putant non verisimili coniectura nituntur. Quale namq; absurdum, eum, qui Herodis diarium confecit, vnde Iosephus omnia transcripsit, in hoc diuersissimo initio regni Herodis, hacque anno-

annorum summâ vel hallucinatũ, vel mentiri voluisse. Si Iosephum diligenter legeris, inuenies semper vere spectatum ab eo initium illud, quando Ierosolymas Herodes cepit; non quando à Cæsare confirmatus fuit, post victoriam Actiacam. Nec enim erat illi Cæsar quæstionem moturus, vtrũ hactenus legitimus rex fuerit, iuuerat.n. Antonium in Herodis dignitate constituenda; sed regno hactenus possesso, ipsum vt Hostis sui Antonii sociũ rursus erat priuaturus. *merare à captis Ierosolymis.*

Ecce L. 15. C. 7. Pugnam Actiacam, quæ incidit in 15. Iulianum, confert Iosephus in septimum Herodis, itaque Nonum Iulianum, quo Ierosolymæ captæ, primum numerat Herodis. *1. In pugna Actiaca anno 7.*

Et C. 12. Regni decimo tertio famem Iudęæ cõmemorat, quã Herodis prouidentia subleuatã ait anno sequente, puta Regni decimoquarto. Eodẽ vero tempore auxilia misit Ælio Gallo in Arabas mouẽti. Hanc autẽ Ælii Galli expeditionẽ Arabicam Dion refert in Iulianum 22. Is si est 14. regni Herodis, oportet vt 9. Iulianus, quo captæ Ierosolymæ, sit Iosepho primus regni Herodis. *2. In famẽ per Iudæam & expeditione Arabica. anno 22.*

Sic annum 36. Iulianũ, quo Augustus, Dione indice, fuit in Galliis, & vnde redeuntẽ exitu anni Herodes ex Syria veniẽs inuenit Aquileiæ; hunc igitur annum Iosep. confert in Herodis vicesimum octauũ: sic dicẽs: *Tùm* (intellige æstate priore, quã isset Herodes Romã) *perfectam fuisse Cæsareã, Olympiade CXCII*, qua notatione frequẽter solet signare tota quadriennia, nõ certum eorũ annum. Itaq; ablatis 27. solidis à 36. relinquitur 9. Iulianus, qui primus Herodis perhibetur; quia scil. eo cepit Ierosolymas. Obiiciat mihi quis celebritatẽ ludorum, quos Herodes instituit Cæsareæ? scilicet vt suspicionẽ faciat Olympiadici ludicri, quod nonnisi annis Iulianis 34. 38. celebrari potuit? At perpende nõ decuisse, vt Herodes Olympiacam celebritatẽ, quã ipse auxit Cæsarienſi minueret, eodem anno occupato. At vide consiliũ Herodis aliud: Anno 36. Iuliano, vicesimus annus cõplebat à morte Antonii, & Cleopatræ, & recepta Alexandria; post quam victoriam Cæsar solus imperio potitus est, à quo Herodes Cæsareæ suæ nomen dedit. *3. In dedicata Cæsarea & itinere Romã anno 28.*

Huc quadrat ẽt locus Ioannis 2. mediocriter, quẽ pede nõ inoffenso trãsit Scaliger. Anno 15. Tiberii, qui est p hypothesin tertiã, Iulianus 73. Iudæi dicunt Christo, 46. annis ædificatũ esse templũ, quantum eius eo vsq; erat consummatũ. Auffer 46. solidos à 73. restat 27. Iulianus currẽs. Dicunt igitur Iudęi cœptã structuram Iuliano 27. Iosephus verò ait, aliquid temporis datũ demolitioni templi prioris, & *4. In demolitione templi anno 18.*

conuectioni materiæ. Idem ait promulgatum ab Herode decretum hoc, de tẽplo ædificando, anno regni 18; additis 17. ſolidis ad 9. Iulianum currentẽ, exit 26. Iulian. currẽs, quo Ioſephus ait decretã ædificationẽ templi, annus nempe proximus ante illũ, quo anno Iudæi dixerunt cæptã ſtructuram. Numerat igitur & hic Ioſephus annos Herodis à captis Ieroſolymis. Itaq; de bello Iud. lib. 1. c. 16. vbi quindecimo regni anno aſcribitur hoc decretum, omninò mendum eſt.

5. In Auguſti aduentu in Syriam, anno 17.

Sic l. 1. c. 15. de bello I. Auguſtũ ait anno 10. reuerſum in Syriã: ergo 25. Iuliano. Nam ſexdecimo in Syria fuerat, iens in Ægyptum cõtra Antoniũ. Hunc 25. Iulianũ in animo habens, appellat 17. Herodis, eoq; affirmat amplificatum Herodi Regnum ab Auguſto. Aufer 16. ſolidos à 25. currente, reſtat 9. Iulianus currens, quo Ieroſolyma capta, vnde Herodis initium putat Ioſephus.

Hic ſi Dionẽ conferamus, videtur naſci inſtãtia, noſtræ hypotheſi tertiæ. Nã Dioni Auguſtus anno 24. abit in Siciliam, animo eundi in Syriã, ibiq; hibernat; anno 25. in Samũ, & hic hibernat, anno demum 26. in Syriam excurrit: rediensq; in Samum, ibi ſecundo hibernat, & hunc Ioſephus appellat 17. Regni, videtur igitur hic 17. cõpletos, aut à die captæ vrbis, non à Cal. Ianuariis currentes numerare? Ego vero iam ante probaui Ioſephum, cum de hoc excurſu Auguſti in Syriã loqueretur, non 26. ſed 25. Iulianum in animo habuiſſe. Quare vt concedam vel Ioſephum vel Dionem vno anno aberrare in hiſtoria, illud non eſt neceſſe, vt concedatur, Ioſephũ numerare hic completos. Vide an Dion duobus ſeculis Auguſto poſterior, deceptus in hoc ſit, quod nimium ſero traiicit Auguſtum in Aſiam, nimium diu retinet in Samo: Si quis tempora rebus adminiſtrandis in proportione iuſta admetiatur.

Quæ obũci Ioſepho poſſint de duobus regni Herodis initiis.

Iam & hæc nobis eſt amolienda ſuſpicio, quaſi Ioſephus in cõſulibus allegatis fuerit hallucinatus; ſic vt temporibus cogitatis non genuinos præfigeret conſules. Simul autem fides facienda iis, quæ dixi? Herodem Regẽ declaratum priori parte anni 6. non poſteriore; Ieroſolymas verò cepiſſe anno 9. non octauo. Sunt. n. qui decepti amphibolia vocis χειμῶνος, Herodẽ putant hyeme nauigaſſe Romam, quod nõ poſſet alio tẽpore fuiſſe, quã exeunte Sexto. Itaq; irruptionem Parthorum in Syriam, & occupationem Hieroſolymarũ aſcribunt anno ſexto, confirmati in hoc inſuper mendoſo Ioſephi loco, De bello Iud. l. 1. c. 11. vbi legitur *poſt biennium à pugna Philippica*, quæ in 4. incidit, illa contigiſſe. Sed videt ſic accipiendus Ioſephus, vt qui Hero-

Herodem dicat triſti cœlo nauigaſſe, etſi vernum tempus fuit. Et allegatum biennium explicat locus Ant. l. 14. C. 23. vbi rectius eſt, *anno altero*. Sic cladem Ieroſolymarum Dion conferre videtur in annum octauum, ſub alios conſules, dum multis commemoratis, quæ anno 8. per Antonium geſta, vel per Soſium incepta diutius protracta fuere, concludit generali voce ἐπ' ἔτους ἐγένετο *ſub Claudio & Norbano Coſſ.* At ſi contuleris hiſtoricos, patebit inceptum quidem hoc anno bellum Iudaicũ à Romanis exercitibus, Soſio parentibus, ceptamq; per Herodem Hieroſolymarum obſidionem; ſed finitam tandem anno ſequente, quo Dion ait Romanos nihil præterea memorabile in Syria geſſiſſe.

Hæc igitur aliter confirmari nõ debent, quã ſi probetur ex Liuio, Velleio, Suetonio, Dione, Strabone, Plutarcho, eiuſque deſcriptore Appiano: Ioſephum in hiſtoria horum annorũ nuſpiam, nec in circumſtantiis, nec in temporibus, ab hiſtoria Romana aberrare. Quod vbi per omnia deprehendetur, iam porro & fidem ipſe Ioſephus merebitur, ſi alicubi circumſtantias nonnullas temporis ſolitariè commemorauerit: ex quibus reciprocè Dionis ſenſum vnico loco enucleare nobis licebit.

Igitur ſeries hiſtoriæ Romanæ temporum illorũ longè alia, quam in Cuſpiniano, nimirum hæc eſt. a *Bruto & Caſſio in Philippicis Macedoniæ campis interfectis, Victores Cæſar & Antonius Romanum imperium, & quod reſiduũ fuit belli ciuilis partiti*, b *Cæſar in Italiam*, c *Antonius in Aſiam diſceſſerunt. Antonius per ciuitates Aſiæ* d *plurimas exegit pecunias. In Cilicia* e *Cleopatræ amoribus irretitus, anni quarti Iuliani fine in Ægyptum cum illa deſcendit, ibiq; hiemauit. Eo amante, vére anni quinti*, f *Parthi Aſiã & Syriam occuparũt*, g *Saxa legato Antonii occiſo; in Palæſtina* h *Hyrcano depoſito*, i *Antigonum Regem faciunt*; k *ſolis Tyriis in Romanorum fide manẽtibus. Antonius amore implicitus, per totum annum quintum quieuit, nihil adiutis prouinciis. Tranſactaque & altera hyeme in Ægypto, tandem anno ſexto ineunte nauigauit Tyrum.* Hæc Antonius.

Hiſtoria Romana illorum temporũ.

a b c d e f g h i k

IV. V. VI.

Cæſarem vero à pugna Philippica reuertentem in Italiam anno 4. morbus remoratus eſt, tandem Romam venit, conſule Lucio Antonii fratre, hoc eſt, anno quinto. Nec diu ſtetit, cũ Fuluia vxor Antonii, Conſulq; Lucius, Cæſarẽ multis obtrectationib. vexatum, deniq; hoſtem fecerunt. Belli apparatus tota Italia per æſtatẽ fuere. Aduocati ex Galliis exercitus Antonii, duce Ventidio, cõtra Cæſarem. Tempore autumni l *Lucius à Cæſare cõcluditur Peruſiam, dum obſidetur,* l

Iuliano IV. V.

Fuluia

VI. *Fuluia maritum per literas ex Aegypto aduocat in Italiam. Post Calendas Ianuarias Iuliano. 6. Lucius dedit Perusiam; Fuluia, duce Ventidio, fugase ex Italia proripit in Graciam; cui Athenis fit obuius Antonius.*

Ad Tyrum enim acceptis vxoris literis, cum & impar esset Syriæ li-
ll *berandæ; circumnauigata Asia* ll *perrexerat in Italiam. Hic primum*
audit de Perusia dedita; fuit igitur hoc mense Februario circiter. Qua-
m *re* m *hostem Cæsarem facit, & recta nauigans in Italiam, Brundusium obsi-*
det: Sed interuentu communium amicorum statim conciliatur Cæsari,
n *tunc ex Gallijs redeunti,* n *in quas dedita Perusia excurrerat. Antonius noua*
o *imperij partitione, cum Orientem nactus esset, confestim mittit* o *Ventidium*
p *in Asiam contra Parthos.* p *Sic amicifacti Cæsar & Antonius,* q *Romam ve-*
q *niunt circa vernum æquinoctium anni sexti. Antonius prouincias suas partim*
r *Legatis, partim & Regibus tributarijs distribuit, inter cæteros* r *Herodi Idu-*
s *mæam, & Samariam,* s *Senatu ipsius acta rata habente. Inde pacem Antoni-*
t *us, & Cæsar cum Pompeio faciunt;* & t *Autumno propinquante Antonius ab-*
x *iit contra Parthos,* x *hyemauit autem Athenis. Ibi primum nuncium ac-*
u *cipit de* u *Ventidii legati sui victoriis; qui per æstatem anni sexti,* y *Pharnapa-*
y *ten deleuerat, Parthosq3, & ducem eorum* z *Pacorum Syria expulerat, Anti-*
z *gono, Iudææ Rege, per* A *Silonem in ordinem redacto,* B *pecuniisq3 ab illo, &*
A B *à* C *Malcho Nabatheæ Rege, extortis.*
C *Incipiente vere anni septimi Antonium in Parthos iturum Athenis, reuoca-*
VII. *uit Cæsar in Italiam, quod Pompeius non staret pactis; Antonius verò breui re-*
uersus est ex Italia in Graciam, inde mouens in Asiam. Interea Parthis bel-
D E *lum reparantibus, Ventidius occurrit;* D *casoq3 ductore Pacoro,* E *Parthos*
Asia & Syria exuit: Victoriamq3 persecutus, ad Euphratem pergit, Antio-
VIII. *chumq3 obsidet in Samosatis, & cum ipso de deditione paciscitur: cum ei subi-*
F *to superuenit Antonius, & spretis conditionibus, arctius* F *Samosata obsidet;*
G *sed parum proficit, tempus trahitur,* G *damnis Antonius plurimis multatur.*
H *Deniq3 iam Claudio & Norbano Coss. hoc est,* H *anno 8. leuioribus conditio-*
I K *nibus* I *deduntur Samosata. Antonius pro Ventidio* K *Sosium præficit Syriæ,*
L *qui Aradios expugnat, Antigonum Palæstinum,* L *qui præsidia Romana, quæ*
M N *in sua ditione erant, deleuerat,* M *prælio vincit, &* N *Ierosolymas fugere cō-*
O *pellit.* O *Antonius reditum parat in Italiam. Anno 9. eundo in Italiam, & re-*
IX. *deundo in Syriam, totum annum consumit, nihil in Syria effecto; nisi quod ego,*
P *Dionem interpretās ex se ipso & ex Iosepho,* P *expugnationem Ierosolymarum*
Q *in hunc annum protractam fuisse affirmo. Ex eo enim intelligas* Q *diuturn-*
nam fuisse obsidionem, quod Dion commemorat, multa damna Iudæis illata,
multa etiam accepta.

Ierosolymis

Ieroſolymis deditis R *Herodes præficitur: Rex* S *Antigonus, ad Antonium miſſus, virgis cæditur, cruci alligatus, & denique ſecuri percutitur, exeunte anno nono. Poſtero anno* T *Antonius infœlicem expeditionem ſuſcipit in Parthos, & Medos, reditq; hyeme in Ægyptum.* Atque hæc eſt ſeries hiſtoriæ Romanæ, in qua ea retuli, quę temporum articulos produnt, aut cæteroqui ad rem faciunt; ſecutus Appianum, vbi Dion paulo confuſior & indiſtinctior viſus eſt, ea plerumque connectens, quæ rerum ipſarum, non quæ temporum ſerie cohærent. Vide nunc conſenſum Ioſephi exquiſitiſſimum in geſtis Antonii; qui alterum imperii Romani caput tum crebro rebus Iudaicis concurrebat, vtpote Orientem tenens. *Primum* narrat Ioſephus, a *Bruto & Caſſio circa Philippos interfectis*, b *Cæſarem iſſe in Italiam, puta anno 4. & 5.* n *& in Gallias, puta initio anni 6. Antonium vero circumiuiſſe* c *Aſiam: & primo in Bithynia, iterum Tyri*, d *accepiſſe ab Herode grandem pecuniæ ſummam; in Cilicia* e *habuiſſe obuiam Cleopatram, eiusq; amore captum, ei turpiter ſeruiſſe. Altero deinde anno* (*vides annum 5.*) f *Syriam occupaſſe Parthos*, g *Sexa Didio occiſo, vbi nominat*, y *& Barzapharnem Satrapam &* z *Pacorum Regis filium, illumque Ptolemaide, & Sidone receptum* k *excluſum Tyro: Hieroſolymas occupaſſe pentecoſte*; h *Hyrcano cum affine Herode loco motis, Regem feciſſe* i *Antigonum. Multis deinde Parthorum, & Herodis actionibus profectionibusq; interpoſitis, &* C *Malcho Arabiæ rege fruſtra de auxilio rogato*, G *quod ſtuderet rebus Parthicis; quibus conſentaneum fieri poteſt, anni quinti reliquum, menſes circiter 7. aut 8. tranſactos; tandem confugiſſe Herodem in Ægyptum,* ll *ibiq; non inuentum Antonium. Et quamuis Cleopatra ſtuderet Herodis iter remorari, eo quod eſſet mare procelloſum ſeu inclemens cœlum, &* l *turbulentus Italiæ ſtatus nunciaretur (audis bellum Peruſinum, cum in Ægypto nondum ſciri poſſet; pacem Brundiſii factam)* m *Herodem tamen contemptu periculis properaſſe, & iactura facta, veniſſe Rhodum, ibiq; naui ædificata tandem veniſſe in Italiam: cum* o *Ventidius iam præmiſſus eſſet in Syriam contra Parthos, &* p *Antonius cũ Cæſare iam* q *Romæ amice degeret. Ibi narrat Antonio geſta Parthica aliquot menſium; & credibile eſt, Antonium partim in Aegypto, partim in itinere abſentem, nondum eo vſq; audiuiſſe, quæ in interiori prouincia gererentur. Profuiſſe autem* r *Herodi ad regnum, quod vtilis ab Antonio diceretur futurus bello Parthico, & Cæſarem quoq; in gratiam Antonii iuuiſſe Herodem, &* ſ *Senatum ſuper eius negocio conuocatum Atq; hæc facta Caluino & Pollione Coſſ. currente adhuc Olymp. 184. id eſt, anni ſexti* t *parte prima. Nam æſtate ſequente expectabatur Olympias 185. Exquiſitiſſimus conſenſus. Ex eo narrat reditum Herodis in Iudæam* u *ad Ventidium, & res geſtas Ventidii*

R S

T. *Iuliano* X.

Conſenſus Ioſephi cum hiſtoria Romana circa initium Herodis.

a b n c d e

Iuliano. IV.

f g y z k h i

C G

l

m

o

p q

r

ſ

t

u

C & A

A B VII. & A Silonis, & quomodo B pecunias ab Antigono acceperint. Atque his aliiq; gestis annus 6. consumptus est; ostendit enim Iosephus, Tunc exercitus in hiberna ductos, & Herodem aliqua gessisse hyeme, ergo initio anni septimi, quo tempore ait X Antonium fuisse Athenis; rursum eximio consensu. Statim subiicit nouum apparatum belli Parthici, & quomodo Ventidius D Pacorum acie victum occiderit, E Parthisque recedentibus, Herodi subsidia miserit. Quæ igitur Herodes, vel horum auxilio, vel solus contra Antigonum fœliciter gessit, ea innuit, residuum de anno 7. occupare; eo quod Macharam, Romanorum Auxiliorum ducem, Ierosolymis exclusum, Hierichuntem abisse ait; quasi in hiberna; scilicet euidentius per sequentia. Tunc enim ait Herodem ad Antonium abisse, oppugnantem F Samosata ad Euphratem, at q; interim dum abest, H in Iudæa fuisse messem; abierat igitur hyeme, initio anni 8. Venisse autem ad Antonium G opportunissimo tempore, nec sine periculo; I & deditionē illi procurasse Samosatæ. Dum abest, Iosephum fratrem, L & quinq; Romanas cohortes ab Antigono deletas. Dum redeunt, K Sosium Syriæ fuisse præfectum. O Antonio vero in Ægyptum eunte, missas esse Herodi legiones à Sosio; cæsos M esse exercitus Antigoni, semel at q; iterum, & Herodem imminētem Ierosolymis, sic N vt Antigonus fugam ex vrbe circumspiceret, retentum fuisse tempestatibus, quibus de sæuientibus castra locata ad Ierosolyma, anno tertio R ex quo rex fuerit declaratus; puta fine anni 8. de cuius messe supra loquebatur. Interim nuptiis procul dubio per hyemem cum Mariamne celebratis Samariæ, iam anni tempestate fauente (quod ex sequentibus intelligitur) venisse Sosium, ex Phœnie, adductis q; vndique magnis exercitibus obsessam Ierosolymam; Q durasse obsidionem menses quinque; expugnatam die Ieiunii, anno Sabbathico, Agrippa, & Caninio Coss. Dionem, qui Sabbatho captum dixit, explicat Strabo; qui diem Ieiunii dicit, quod Dion Sabbathum. Nempe, vt Scaliger monet, omnes feriæ Iudaicæ, quandoque dicuntur Sabbatha. P Expugnatis iam Ierosolymis, Antonius Iosepho rursum ingreditur Syriam; ad quem Sosius S Antigonum vinctum adducit. Quem cum Antonius vellet seruare ad triumphum, Herodis instantiis securi percussit T apud Antiochiam; vbi proculdubio apparabat bellum in Parthos, anni sequentis primo vēre suscipiendum. Hæc Iosephus. Quid igitur contra hunc exquisitissimum consensum authoris cum historia Romana excipi possit plane non video. Omnino ita q; fide dignus est circa initia regni Herodis; nec minus igitur circa eiusdem excessum.

VII. X D E VIII. FH GI L KO M N IX R Q P S T

Etiam circa mortem Herodis historia tēpori consentit in Iosepho.

Quod si fidem Iosepho tribuendam existimas rerum, quæ Herodis exitum præcesserunt, narratarum; omnino res ipsæ de tempore testantur. Ecce enim seriem. *Æstate* anni 38. *Herodes Romam it: in itinere namque olympiadicum ludicrum offendit.* Redierit in Iudæam ante

Iuliano XXXVIII.

finem

finem anni. *Interim ipſi domi conflatum erat bellum cum Trachonitis,* XXXIX.
quorum latrones tunc comperit latitare apud Arabas. Itaque conquiſiuit, & interfecit ipſorum domeſticos : quod vnius menſis ſpacio fieri potuit. *Latrones itaque vicißim vaſtant Herodis prouincias* ; da his ſecundum & tertium menſem. *Tum Rex apud Syriæ præſides. Arabas poſtulat deditionem latronum. Et dum dies Syllæo dicitur, iudiciumque peragitur* : tranſeat menſis quartus & quintus. Sextus ſit illud *30. dierum ſpacium, præſcriptum reſtitutioni latronum, & debiti, quam Syllæus iurauit.* Expectet Herodes, & ſeptimum menſem, dum *Syllæus non ſtat pactis, potius que Romam abit; interimque Herodes à præſidibus Syriæ accipiat poteſtatem exſequendi*, & octauum *exſequendo* conſumat, *etſi pauciſſimorum dierum tempus ſuit.* Nonus vero detur *relationi Herodis ad præſides, & Arabum vicißim ad Syllæum Romam*; & decimus tranſeat *accuſatione Herodis apud Cæſarem*, vndecimus vero *reſcriptioni Syllæi ad Arabas*, *Cæſaris ad Herodem*: dum duodecimo *mittat Herodes legatos Romam ſui purgandi cauſa; qui* per 13. *detenti, tandem infecta re* 14. *redeant ad Herodem.* Iam 15. 16. 17. 18. dabimus rebus XL.
pendentibus, dum *Herodes malis, & inſolentia hoſtium coactus, rurſum mittit Legatum Nicolaum* per 19. *atque is Romæ Syllæo diem dicit*; detur huic 20. *Tunc Cæſar habebat in recenti memoria numerum occiſorum Arabum, quem prius Syllæus, Herodem accuſans, dixerat.* Vide igit, ne tempus longe breuius, quam 10. menſium interceſſerit inter accuſationem, & excuſationem. *Cæſar Nicolai oratione reconciliatus Herodi* ; *literis vero Herodis, de filiorum perfidia eodem momento rurſum perturbatus* ; menſem 21. interponat, *donec reſcribens Herodi, poteſtatē ei necis filiorum facit*; qui nuncius occupet 22. reſiduos duos *Herodes conuocatione Romanorū Berytū, damnatione & cæde filiorū* conſumat. Sane nec odium eius in filios, poſt ipſius reditum inſtauratum, diutius biennio in hoc faſtigio ſtare potuit. Itaq; hæc omnia intra ſpacium 24. menſiū, ſcilicet in 9. & 40 Iulianū incidunt. Ab hinc inuenies circiter 14. menſes ad finem vitæ Herodis. Etenim *filiis Herodis Alexandro & Ariſtobulo fraude fratris Antipatri ſic ab Herode patre interemptis, Antipater* (recēti vtiq; memoria fa- XLI.
cti) *paulatim venit in odiū.* Detur huic rei ſpaciū menſtruū, dum *is interim regni cupiditate & manifeſto periculo inſtigatus patri quoque Herodi in Iudæa & fratribus cæteris Romæ per clandeſtinas literas ſtruxit inſidias.* Alter menſis abeat dum *literas mittit Romam, ab amicis petitum, vt curent ſe à Cæſare accerſi*: tertio redeant *Romæ reſponſa amicorum, & vocatio*; quarto *ipſe citatus eat Romam.*

Atq; interim ipse absens & fratribus author necis, & fratribus cæteris, ipsiq; Patri Herodi insidiatus fuisse conuincatur. Ab hoc articulo, vsq; ad eius discessum ex vrbe Roma, dum Patri reuocanti paret, Iosephus diserte numerat menses septem, admiratus ipse, tãtum temporis spacium labi potuisse Antipatro non intelligente suum periculum. Mensem itaque duodecimum insumat in reditum. *In ipso aditu patriæ in vincula coniectus est, missæq; ad Cæsarem scelerum nunciæ literæ,* quibus *tertius* decimus cedat mensis; & quarto decimo *referatur sententia mortis à Cæsare, qua accepta Herodes, iam morbo implicitus, cæde in filii properasse* legitur, *cui non amplius quinq; dies superuixit.* Vt ita etiam ex historiæ contextu intelligas Herodem mortuum anno 42. Iuliano.

XLII.

III. Calculus Iosephi. Vicesimus Tiberii, vel 78. Iulianus est 37. Philippi, ergo 42 Iulianus est primus Philippi, vltimus Herodis.

III. Idem annus mortis Herodis, per alterum etiam Herodis successorem Philippum probatur in hunc modum. Affirmat Iosephus *mortuum Philippum anno vicesimo Tiberii*; is est, per nostram hypothesin, Iulianus 78. *Imperauit* vero *annos 37. eodem teste.* Itaque fit annus 78. regni Philippi tricesimus septimus. Ergo 42. Iulianus est primus imperii Philippi, vltimus igitur imperii Herodis: ita vt Herodes illo anno fuerit mortuus.

Atque hæc duo argumenta se ipsis adeo valide sunt reuincta, vt si in annis Herodis velis argutari, & scrupulos colligere, neque, vt hodie loquimur, inclusiue numerare, sic vt Herodis decessus in 43. incidat, statim Iosephus vt prius in Archelao, sic iam in Philippo plane dicat falsum, nisi & illic Dionis 51. Iulianum, & hic Iosephi 20. Tiberianum per Cos. numeratum, velimus excedere.

Mirum in his rebus fatum, cum Scaliger hic hæreret, cœpit coniectare mendum in Iosepho & pro 20. legere 22. quod cum feciſſet, inuenit Rufinum veterem Iosephi interpretem, qui ita, vt ille coniecerat, est interpretatus. At seu mens Rufino aberrauerit in cõputando, ijsdem cum Scaligero rationibus mota, seu manus scribendo, aduersa habet Iosephi Græca exemplaria, aduersum Iosephi morem numerandi per Romanos Consules, aduersam ipsam adeo veritatem.

Obijcitur vero series historiæ Iosephi lib. 18. Cap. 6. vbi Vitellij res Parthicæ, & Armeniacæ recensentur, quæ certum est ex Tacito, in Iulianum 80. 81. incidisse. Quibus expeditis Iosephus Philippi mortem subiungit, quasi is non anno 78. sed anno 81. vel 82. sit mortuus.

Ego nihil, nisi quod Vitellius rebus Philippi nihil admisceatur; & si connexionis particulam (*Tùm*) respicere velimus; æquè mortem

Philippi

Philippi ad Cai Imperium, cuius mentio fit verbis proximè superioribus, ac ad Vitellij tempora referre queamus, quod absurdum quidem est, cum *Tiberius* Iosepho ipso indice huius *Philippi* morte superfuerit, eiusq; *ditionem Syriæ adiunxerit*. Mos est historicis, hoc loco Iosepho vsurpatus, addo & Tacito in gestis Vitellii, simul referre, quę inter se cohærent, etsi temporibus sint diuisa. Hoc factum inquam hoc loco à Iosepho. Versatur enim in rebus per Pilatum gestis, sub quo Parthorum tumultus exorti: quos Vitellius sedauit, simulq; Pilatum magistratu mouit, simul etiam cum Herode Tetrarcha negocia habuit. Importunum erat huic sermonis contextui mentionem inijcere mortis Philippi. Contentus igitur fuit Iosephus, si proximè subiiceret hanc Philippi mortem; ostenso, quod circa illa tempora contigerit, & definiret tempus accuratius, addito anno Tiberii. Mortuus est igitur Philippus anno 78. Iuliano ante consulatum Vitellii, in mediis turbis Parthicis, Pilato Iudæos affligente.

Manifestum quidem est ex Tacito, gesta Vitellii (quæ Iosephus commemorat) in 80. 81. Iulianum incidere, quæ tamen ipsa quoq; Iosephus dictâ de causa posterius commemorat, quam Pilati loco motionem, quamuis hæc anno 82. Iuliano accidit, paulo ante excessum Tiberij.

Non ignoro per hunc Iosephi locum ad Tiberii vicesimum etiam illum annum referri posse, qui potiori parte cum vicesimo coincidit, annum nempe 79. Iulianum, Vitellio, & Paulo Fabio Coss. Nam si 37. solidos addas ad 42. annus mortis Philippi prodit 79. Iulianus. At quo minus sic numerem, hoc impedior, ne fiat inconstans numerandi ratio, iam inclusiuè, iam exclusiuè. Si vero inclusiue numerem, vtrinq; æqualiter numero, salua Iosephi fide, eundemq; modũ etiam in tertio, & quarto exemplo comprobo. Sed audiamus etiam ex Astronomia argumentum.

IV. *Circumstantia Astronomica. Herodes mortuus inter duo plenilunia proxima, Eclipticum, & paschale.*

IIII. Iosephus disertis verbis testatur, Herodem esse mortuum inter Plenilunium Eclipticum & paschale.

Scaliger indicat Eclipsin anno 45. Iuliano, quæ contigit inter 8. & 9. Ianuarii, si Iulianus tunc cucurrisset, vt nunc currit.

Hac Eclipsi mirum quantum confirmetur vir ille de excessu Herodis, vt hac fiducia Iosephi textui diserto, qui non vltra 37. numerat, vim quodammodo facere cogatur, sanè quam inuitus; vt qui ex se ipso non iniuria quærat, *potuerit ne ignorare Iosephus quæ legerit in actu Herodis?*

Ego primum nego, hanc Eclipsin posse esse : abfuit enim tribus integris mensibus à paschate. Morbus vero Herodis tantas moras non fert, vt qui pridie lunaris deliquii iam pro mortuo proclamatus in ipsa regia fuerat. Legatur historia totius reliqui morbi : tota enim vna cum profectione transIordana ad Callirhoen, & cum reditu Hierichuntem, vbi offendit Primores Iudæorum, edicto forsan antea conuocatos, iisque in Hippodromum conclusis, mortuus est; totum hoc, inquam, intra viginti dies includi, res ipsa clamat.

Adde quod Iudæorum seditiosi, socios suos aquilæ demolitores, qui ea nocte, qua defecit Luna, viui cremati fuerant, octaua die à morte Herodis; adhuc, vt recens interemptos deflebant, à templo non digressi; adeo vt mendicato viuerent; at si tres iam menses lapsi, quomodo recens interempti? Hæc omnia cum simul affirmet Iosephus, certum est, deliquium Lunæ tale fuisse, quod proximo ante paschale, plenilunio contigit. Gratias tamen debeo Scaligero, qui me exemplo commonefactum ad Astronomiam adduxit.

Anno itaque 43. prima Martii contigit plenilunium proxime nodum, sed non Eclipticum; Medium tamen plenilunium cadit intra terminos Eclipticos, sicut suspicionem prima computatione facere possit Eclipseos. Quod si prima Martii Plenilunium, igitur, & tricesima prima Martii. Et quia 24. Martii Æquinoctium, igitur 31. Martii Pascha Iudæorum. Non fuit igitur hic annus mortis Herodis, quem Suslyga dixerat.

Hoc autem accidit solo anno Iuliano 42.

Sed verissime fuit annus 42. cuius anni 27. Martii in Nouilunio, quod erat æquinoctio proximum, iniit annus Iudaicus, & secutum pascha 11. Aprilis. Die vero 13. Martii præcedentis, Luna defecit ad 6. digitos in 20. gradu Virginis horis antelucanis, meridionale latus vmbræ Terræ transgressa. Quod si Iosepho mentiri collibuit, oportet & valde oculatum, & bonum Astronomum fuisse. Quodnam vero precium fuisse dices mendacii tam laborioſi?

Ergo Herodes omnino mortuus anno 42. octo vel nouem diebus ante pascha. Hac Eclipsi considerata spero, Suslygam in meam omnino sententiam iturum. Consideret ipse, si vult, annum alterum, 43. à se dictum.

Motu-

Motuum ἐποχῶν ex Prutenicis·	Ex Tychone per constantem Eccentricitatem solis.
Tempus æquatum Hierosolymis	
13. Martii. mane H 3.31.	13. Mort. H. 3.10.
Locus Solis 19.58.X.	20. 5.X
Anomalia ☾.48.18.58.	49.11.3.
Latitudinis. 1. 42.10.9.	6.12.20.47.
Latitudo Merid. 44.11.	44.34.
Semidiam. vmbr. 41.17.	43.56.
Lunæ 15.26.	16.19.
Digiti $\frac{0}{4}$.52'.	Digiti $\frac{0}{7}$.27'. Paulo min⁹ dimidio.

Hactenus itaque Iosepho ipsum etiam cœlum attestatur, videamus nunc & historiam Romanam; ex qua Suslyga tria luculenta affert argumenta.

V. Philippus Herodis filius nactus ex Augusti concessu, quartam partem regni patrii, vicum Bethsaida, à se conditum, à Iulia Cæsaris filia denominauit, quod singulare genus obsequii tunc temporis fuit in totam Augusti domum. At Iulia hæc adulterii rea anno Iuliano 44. nempe, vt Velleius Paterculus refert, *triginta annis ante consulatum Vinitii, Octauio XIII.* & quem is author addit, *Cannio Gallo Coss. relegata ab Augusto fuit in Insulam Pandatariam*, tanta indignatione Augusti, vt qui eius gratiam retinere voluit, ab ipsa etiam mentione filiæ se abstinere debuerit. Philippus igitur, Herodis filius vicum à se conditum à Iulia denominauit, Iulia adhuc florente, scilicet ante annum 44. nec vno anno vtique; quare pater Herodes, cuius hæreditatem adierat, mortuus ante 44. & 43. Iulianum, & omnino 42. Iuliano.

Relegationem autem Iuliæ in hunc annum incidere probat Lipsius etiam ex Macrobio, qui anno ætatis 38 relegatum; & ex Dione, qui natam tradit anno Iuliano 7. Probo etiam hinc: Dion ad annum 48. *Populus, ait, tentauit Augusto persuadere, vt Iuliam reduceret. Nec tamen statim, sed aliquando post, hoc illi extorsit.* Suetonius vero ait: *quinquennio postquam relegata fuit, restitutam*; itaq; anno vel 43. vel 44. fuit ejecta. Quibus confirmantur, quæ de condita Iuliade dixi.

VI. Efficacius argumentum affert Suslyga ex historia C. Cæsaris adoptiui Aug. filii. Caius Cæsar fuit natus anno 26. vt Dion ad hunc annum. Anno 40. expleto 14 ætatis, prætextam posituro, cum senatus officii causa consulatum in sequentem annum deferret, negauit Augu. in eas necessitates deuenisse Remp. vt ante vicesimũ annũ, quo ipse

V. Philippus restruxit Iuliada.

florente Iuliæ. At hæc nõ amplius floruit anno 44.

Hic Octauiano abdicanti suffectus videtur. Constat. n. ex Suetonio, Augustũ hoc consulatu functũ, non toto anno, vt quẽ in id solum petiit, vt Luciũ Cæsarẽ suo tyrocinio deduceret in forũ, amplissimo praditus Magistratu. Natus. n. est Lucius, Dione indicãte, anno 29. Iuliano, & anno priore 43 prætextum posuerat. Ergo Iuliæ cõdita ante 44. Et Philippus igitur Tetrarchiã tenuit ante 43. Igitur Herodes mortuus non post 42

VI. Caius anno 44. Iuliano abiit in Asiam nunquam reuersus.

ipſe conſulatum primum inuaſerat, iuuenibus crederetur. Atque ita (vt Tacitus) C. & L. *filios, nec dum poſita puerili prætexta principes iuuentutis appellari, deſtinari conſules (ex eo die quo in forum quiſque deduceretur, poſt annos quinque,* vt Auctor Auguſtus ipſe in lapide Ancyrano) *ſpecie recuſantis, flagrantiſſime cupiuerat.* Caio ſacerdotium, & multa alia Senatorum ornamenta indulſit, vt Dion. Anno ſequenti 41. *conſulatum Auguſtus vltro petiit, vt Caium ſuo tyrocinio in forum deduceret, ampliſſimo præditus magiſtratu.* Tacitus. Deduxit autem Caium in forum, *vt intereſſet conſiliis publicis:* quod lapis Ancyranus Auguſti habet. Nempe vt Suetonius: *Teneros adhuc ad curã Reip. admouit, & Coſſ. deſignatos,* (puta in longinquum) *circum Prouincias, exercituſque dimiſit.* Denique vt Paterculus, *Breue* (à Iulia relegata anno 44.) *interceſſit ſpacium, cum* C. *Cæſar, ante aliis prouinciis ad viſendum* (ſic Lipſius legit) *obitũ* (vtiq; per annum 43. 44.) *in Syriam miſſus eſt.* Ac *Iudæam præteruehens Ieroſolymis non ſupplicauit.* Sueton.

Quod autem Caius anno 44. in Syriam iuerit, vel hinc patet, quod Tib. Nero, Caii vitricus Anno 40. (cum Caius iam ſumpſiſſet virilẽ togam) in Rhodum ſeceſſit, (Paterculus) inde rediit octauo poſt ſeceſſum anno (Suetonius & Pat.) & Ti. Vinitio Coſſ. (Paterculus) id eſt, Iuliano 47. Biennium vero, hoc eſt, 45. 46. anxie egit in Rhodo, eo quod Caium Sami conueniens, Lollii criminationibus alienatum deprehenderat: Paterc. Sueton. Dion. Hoc ergo factum anno 44. Propterea ſecuritatis cauſa, anno 45. ſcilicet, *expleto Tribunitiæ poteſtatis tempore,* puta quinquennio (Suet. & Dion.) reſtitui petiit. Et quid opus argumentis. Tacitus apertè: *Quirinius proficiſcenti C. Cæſari ad Bellum Armenicum, datus Rector, nondum viceſimum annum agenti.* Natus eſt Iuliano 25. authore Dione, anno igitur 44. completurus erat annum vndeviceſimum. Itaque omnino Caius ante finem anni 44. iuit in Syriam, ac poſt in Armeniam, nec rediit. Mortuus enim eſt in Lycia, vel Syria anno 49. *Sc. Sex. Ælio, & Sentio Coſſ.* (vt Paterculus) cum conſulatum anno 46. geſſiſſet abſens.

Et Iudæã præteruehens non habet obuium Herodem.

Ex hac igitur hiſtoria duo naſcuntur argumenta. Primum ſi anno 44. quo Caius in Iudæa fuit, ſuperſtes vixit Herodes, qui factum vt nulla Herodis in eum à Ioſepho commemorẽtur officia, qualia Auguſto, & Agrippæ præſtare eſt ſolitus, quoties in Aſiam appulerunt, vt in quorum gratiam longiſſima terrarum ſpacia, ſalutandi cauſa, ſæpius eſt emenſus. Omnino itaque iam perierat ante annum 44. Herodes.

Ergo is perierat antea.

VII.

VII. Alterum Herode mortuo, cum eius filii coram Augusto de hæreditate contenderent, Caius August. filius iudicio præsedit, indicante Iosepho. At iam dictum anno 44. abiisse Caium in Syriam, nec reuertisse, annum vero 43. forte & partem de 44. consumpsisse in visendis prouinciis, & exercitibus: vt Suetonius & Paterculus. Ergo iudicium filiorum Herodis omnino ante 44. vel etiam ante 43. Iulianum peractum. Itaque Herodes ante hos annos est mortuus.

VII. *Caius præsedit cognitioni causæ filiorum Herodis Romæ. Ab anno vero 43.44. Romæ fuit absens, nec rediit. Ergo iudicium peractum ante 44.43. Ergo ante mortuus Herodes.*

Illustrissimum certè mendacium dixerit Iosephus, & à tota vrbe, ne dicam ab aduersario eius Appione, exprobrandũ; si de causa filiorum Herodis, cui Caium Augusti filium præsedisse affirmat, cognitum sit, Caio iam Româ absente in Asia, aut iam planè mortuo. Quæ si nemo alius, certè posteri Herodis passim regnantes, multæque Romanorum familiæ clarissimæ, quibus cum Herodianis amicitia intercedebat; poterant refutare. Contra vel tacentibus Herodis posteris, Iosephus Romæ diu commoratus potuit ea, quæ veritatis studio quærebat, vel à conscii, vel exactis publicis obtinere, citra erroris aleam; quibus veritatis adminiculis Iosephus ipse contra Appionem plurimum gloriatur.

ARGVMENTA.

De anno natalitio Christi.

I. Cognito Herodis excessu, iam vnà demonstratũ est, Christum certò non serius esse natum, quam anno 41. Iuliano aut pauciss. diebus post. Itaque annorum 32. fuisse baptisatum; quo tempore B. Lucas obiter ait, ipsum fuisse annorum circiter 30. populari modo loquendi. Quod si vtaris hypothesi tertia, reperies eundem 41. Iulianum, numeratum esse 27. Actiacum, sic vt primus Actiacus ab iis Calendis Ianuariis anni 15. Iuliani incipiat, quas proximè secuta est iisdem sub Coss. Victoria Actiaca. Facit cum hac forma numerandi Censorinus, exemplo Augustanorum annorum, quos more Romano incipit à Cal. Ianuariis eius anni, quo anno paulo tamen post Cæsari nomen Augusti datum fuit.

I. *Herodes mortuus anno 42. Iuliano. Christus igitur natus ante 42.*

Cum itaque Clemens Alexandrinus vetustissimus scriptor de Vetustiorum sententia, referente Scaligero, testetur, Christum natum anno 28. Actiaco; si quidem de initio consulum loquitur, quib. consulibus 27. Actiacus completur, quam proximè mecum facere deprehendi-

henditur, differentiâ non maiore vno anno, aut forte pauciſſimorum dierum.

II.

Chriſtus ſub Sentio Saturnino in tabulas cenſus Romani relatus eſt.

II. Hoc pacto etiam Tertulliani tenemus teſtimoniũ, qui Chriſti natalem non obſcure ſub Cenſum Sentii Saturnini confert. Nam hæc eſt in Ioſepho ſeries hiſtoriæ. Herodes mortuus eſt anno 42. Iuliano; quinq; diebus ante occidit filium Antipatrum, ante paſcha ſc. Antipater nuper Roma redierat. Abeat menſis dum legati, poſt reditum Antipatri perferentes accuſationem Antipatri; eunt, redeunt Româ. Menſe itaque Februario, vel Ianuario Antipater Roma redierit. Atqui quo tempore ad patrem venit, erat cum eo Q. Varus, per id tempus Succeſſor Saturnino miſſus in Syriam. Ergo anno præcedente 41. Saturninus erat adhuc præſes Syriæ, vtique quia etiam Iudicio interfuiſſe legitur, quo iudicio damnati filii Herodis Alexander & Ariſtobulus, anno circiter vno ante cædem Antipatri, vt ſupra probatum.

Hic vero anno 41. Iuliano deceſſit Syria. Ergo ante finẽ anni 41. natus Chriſtus.

Anno igitur 40. vel 41. Cenſus per Saturninũ in Iudæa agi, Chriſtus naſci, Pueri infra bimatum cum filiis Herodis Alexandro & Ariſtobulo, Macrobio teſte, occidi potuerunt.

Porro hic ſolet obiici, non dixiſſe B. Lucam de cenſu Sentii Saturnini, ſed de cenſu Quirinii. Huic obiectioni reſpondebit Suslyga, optimè conuenire Tertulliano cum B. Luca: Non enim dixit Lucas, *Chriſtum cenſum ſub Cyrenio*, ſed hoc dixit, *deſcriptionem vniuerſi orbis, ſub qua natus Chriſtus, primũ factam, cum Cyrenius eſſet præſes Syriæ.* Nempe rem totam explicat hiſtoria Romana in hunc modum.

Quomodo cenſus Saturnini ſit idem cum cenſu Quirinii.

An & quando Quirinius Syriam tenuerit.

Anno 34. P. Sulpitius Quirinus conſulatum geſſit. Etſi igitur Suetonius latam ab Auguſto legem commemorat, *ne Magiſtratus ſtatim à depoſito conſulatu in prouincias mitterentur*, & Dio lib. 53. quinquennii ſpacium huic ceſſationi præfinitum fuiſſe affirmat: quod Suslygam turbat, hic tamen *Quirinus*, Corn. Tacito authore, *mox* à conſulatu, puta anno 35. Iuliano, *caſtella Homadenſium expugnauit in Cilicia, & triumphi meruit inſignia.* Ex quo Baronius ſpecioſè colligit, Quirinium Proconſulari cum imperio iuiſſe in prouinciam Syriam; cui contributa fuerit Cilicia vicina prouincia. Id enim fieri cæptum ſub triumuiratu, cum Antonius ex Syria in Italiam nauigans Caio Soſio, & Syriam & Ciliciam commiſit, Iuliano 9. Et quem alium Auguſtus prudentiſſimus Imperator C. *Cæſari res Syriæ, & Orientis adminiſtraturo* anno 44. re-

ctorem

florem iuuentutis, consiliorumque daret, quod de Quirinio Cornel. Tacitus affirmat, quem insuper alium anno 5 iuuenti consiscanda bona Archelai mitteret in Syriam, quod habet Iosephus, nisi eum, qui præses Syriæ paulò ante fuisset?

Itaque hoc sit in confesso, Cyrenium post consulatum per annos 35. & 36 præfuisse Syriæ.

Hic iam confer, quæ Dion & Paterculus vno ore ad annos 34. 35 36. recensent. Anno 34 Pannoniæ, Agrippa domitore mortuo, defecerunt, à quibus, vt Paterculus, *magnum atroxque, & per quam vicinum bellum imminebat Italiæ.* In hos iit Tiberius anno 34. iisque domitis, insignia triumphi meruit; qui dum anno 35. Romæ abest ab exercitibus, denuo Pannoniæ defecerunt, adiunctis Dalmatis, & per annum 36. rursum debellati sunt à Tiberio, non sine difficultate. Iisdem temporibus frater eius Drusus victorias populi Romani per Germanias circumtulit, ad Visurgim vsque penetrans. Causam belli dedit prouinciarum inferioris Germaniæ defectio, & clades M. Lollii: quod *bellum tanti momenti fuit, vt Cæsarem Octauium ex vrbe exciret in Gallias*, vt habet Paterculus. Et Dion anno 36. Augustum exhibet absentem in Galliis; & Herodes eum redeuntem inuenit Aquileiæ, Iosepho teste. *Res gestæ, nih. Augusto fuit oblata occasio censendi orbis.*

Tertium quoque bellum, & ipsum atrox, ortum est, iisdem annis in Thracia, à L. Pisone confectum triennio, *domitis gentibus ferocissimis, quo Macedoniæ pax, Asiæ securitas reddita.* Paterculus. Tria hæc bella eodem tempore feliciter gesta, & anno 36. Iuliano finita, Augusto dederunt animum, *faciendi descriptiones omnium, quæ possiderent, perinde ac solent priuati*; quod Dion narrat ad annum 36. Iulio & Fabio Maximo Coss. Quod apud Corn. Tacitum, & Suetonium explicatur largius: *Breuiarium* voluisse *totius Imperii, in quo opes publicæ continebantur, quantum ciuium, sociorumque in armis, quot classes, Regna, prouinciæ, tributa, aut vectigalia, & necessitates & largitiones.* Neque hoc solum, sed & Senatus ipse eodem anno 36. decreuerat Ianum Geminum claudere, teste Dione, vtpote bellis omnibus per hãc incredibilem trium Imperatorum, Drusi, Tiberii, Pisonis felicitatem sublatis. Nunquam certe tempus Orbem describendi, nisi cum bellis quiescentibus Ianus clauderetur. *Quando census Orbis vniuersalis institutus.* *Argumentum alit a pacis & otii ad descriptiones orbis faciendas, Iani clausus.*

Dico itaque Quirinium ex Consule per annos 35. 36. Præsidem Syriæ, hoc anno 36. ab Augusto mandatũ accepisse, descriptiones pro- *Quirinius census indixit prouinciis fuit.*

uinciarum quas regebat, faciendi: idq; mandatum more solito promulgasse, diesq; singulos singulis Territoriis, itaq; & Iudææ in longinquum constituisse. Cur vero census iste anno 36. sub Quirinio promulgatus, & forte inchoatus anno demum 41. in Iudæa sub Sentio Saturnino fuerit peractus, causam ex eodem Dione colligimus. Cum enim Ianum, quamuis decretum esset, ideo non clausum dicat, quod *hyeme aduentante, Daci Istrum concretum transierint, Dalmatæ per exactiones*, vtiq; per hanc ipsam descriptionem *exasperati defecerint, Celtæ & Chalti, Sicambris coniuncti*, Drusum vexare ceperint: satis clare innuit, nouis bellis vndique consurgentibus, ne descriptiones quidē confici potuisse, ne vniuersæ prouinciæ eodem tempore vexatæ dictarum exemplo in Rempubl. Romanam arma simul capesserent.

Cur Ianus ex decreto claudi non potuerit.

Nec descriptio orbis peragi.

III. Suslyga hoc argumentum pressius persequitur. Anno inquit 54. Iuliano, Quintilius Varus cum legionibus extinctus est in Germania, Tunc apertæ belli Portæ, quæ Orosij testimonio erant per integros 12. annos clausæ. Itaque clausæ anno 41. Iuliano. Itaq; census tunc peragi potuit.

III. Christus sub censu natus, ergo clausis belli portis. Clausa verò belli porta anno 41. Iuliano.

Constat ex Suetonio Ianum ab Augusto ter clausum primo finitis bellis ciuilibus, tertio paulo ante excessum eius: Secundo decretum quidem, authore Dione, Anto. 36. atquando factum (impeditum enim tunc) ex Dione & Paterculo non nisi coniecturâ assequaris, sc. inter annos 40. & 44. quod tempus transiliunt; quia intermedio tempore, quippe altissima pace, nihil memoratu idoneum inuenerunt. Itaq; quidam in Dione defectum arbitrantur.

IV. Amplius addit Suslyga ex tribus lustris generalibus, vicenis annis inter binos interpositis, medium, in quo censum egit Augustus sine collega, ex indicio lapidis Ancyrani; incidisse in 38. Iulianum, tunc igitur existimat, missum P. Sulpitium Quirinum in Syriam ad censum peragendum, eumq; postea per Saturninum fuisse continuatum. Hic etsi vereor, ne me deficiat iusta cognitio antiquitatis; non possum tamen intermittere, quin moneam, consideret Suslyga, an idem sit *censum peragere Ciuium Romanorum & descriptionem facere totius Orbis*, in qua non Romanus tantum Ciuis, seu in vrbe seu in prouinciis, ciuitate donatus, sed etiam prouincialis quisque profiteretur, in qua, vt Corn. Taciti lib. 1. Annalium, imo & Dionis lib. 56. verbis vtar: *Opes publicæ continebantur, quantum ciuium, Sociorumque in armis, quot classes, Regna, Prouinciæ, Tributa, aut vectigalia & necessitates, ac largitiones. Quæ cuncta sua manu perscripserat Augustus*, inquit Tacitus;

IV. Tria lustra generalia peracta anno 18. 38. 59. Iuliano; credibile igitur Christū Paulo post medium, sc. anni 38. Iuliani natum, anno videlicet 40. vel 41.

puta

puta anno 36. Iuliano, vt Dion refert, initio facto. In Cassiodoro certe leguntur hæc distincta: *Census*, inquit, *Romanorum ciuium primus Seruius inuenit; mox Augustus per orbem ampliauit.* Quod si, quod ego puto, diuersa hæc sunt; nihil attinebit igitur lustrum anno 38. Iuliano ex consuetudine peractum ad descriptionem orbis, nouo exemplo factam, in qua Christus recens natus cum Parentibus Nomen professus est.

Adde quod Iosephus Ant. l. 16. c. 12. an. 38. (nam hoc anno Olympias acta, quam Herodes Romam nauigans offendit. L. 1. de bello Iud. c. 16.) Titum quendam Syriæ præsidem commemorat: eiq; statim, c. 13. Saturninum, & Volumnium successores dat. Nullus igitur his annis Quirinio locus. Census itaq; lustri generalis, non est census orbis à Luca dictus. Concinnè tamen dixeris, occasionem huic iam continuando præbitam ab illo iam peracto.

V. At multò maiorem habet verisimilitudinem, quod idem Suslyga ad huius argumenti confirmationem affert ex inscriptione quadam, cuius Plinius lib. 3. cap. 20. meminit, in qua Senatus profitetur, *Gentibus omnibus, quæ à mari supero ad inferum pertinebant, sub imperium Pop. Romani redactis* facta esse inscriptionem illam, *Tribunitiæ potestatis XVIII.* (in meo exemplari vitiose XIIII.) Iam constat ex Dione lib. 53. vt & cæteris, Tribunitiam potestatem Augusto decretam esse Iuliano XXIII. V. Cal. Iulii (vt eam scilicet Cal. Ian. anni sequentis more omnium magistratuum Romanorum iniret; quia Capitolini fasti ab his eam numerant.) Igitur additis completis 17. ad 24. Iulianum currentem, ostenditur annus labens Iulianus 41. gloriationis tam splendidæ. Quod si connumeretur annus decretæ potestatis (Tacitus enim *continuatam ait per annos septem & triginta*, quo nomine cum annus 59. fuerit vltimus, annus 23. necesse est sit primus) igitur decimus octauus in Iulianum 40. incidit. Post hunc igitur annum, verisimile est, Iani templum, quod anno 36. ex decreto fieri non potuit, clausum, censumq; Orbis Romani, qui eodem anno 36. ab Augusto erat institutus, hoc anno denique peractum fuisse.

V. Anno 40. vel 41. Iuliano Romanis altũ ocium ad descriptiones orbis faciendas.

Tunc igitur, vel tãdem Ianus clausus, descriptiones peractæ: sub quib. Christus natus.

Hæc itaque, etsi ad hunc modum habent, & omnino Quirinius anno etiam 36. Syriam prouinciam tenuit, non tamen video, quid Iosephus peccauerit, qui post Archelaum relegatum anno sc. 51. Iuliano in hæc verba de hoc Quirinio scribit: *Cæterum ditione Archelai contributa Syriæ, missus est illo à Cæsare vir Consularis Quirinius, qui censum ageret per Syriam, & ipsius Archelai domum venderet.* Et initio lib. 8. In-

De censu altero Quirinii quo descripsit solam Iudæã, nato iã Christo.

terea Quirinus Senator Romanus per omnes honorum gradus ad consulatum vsque provectus, & imprimis clarus, à Cæsare mittitur in Syriam, vt Iura populo redderet, facultates q; censeret omnium. Quid hic dicitur, quod Iosephi fidem [illegible]cet in dubium? Num quia censum peractum in Syria dicit, Christo iam nato? At verum dicit, si voce πρώτη pro nomine vsurpetur. Id vult Euangelista noster, propterea dicit, *illam censum*, sub quo Christus natus, *primum à Quirinio peractum*, innuens, & alterum ab eo peractum: Etsi ego malo Græcismum agnoscere, in Nomine πρώτη, pro aduerbio πρώτον.

Quæ Iosepho circa hunc Quirinium obiici possint.

An illud male, quod Consulatus Quirinii meminit quasi nuperæ rei? At hoc non dicit Iosephus, nuper fuisse consulem, sed laudat Viri industriam, qui per omnes honorum gradus ad consulatum vsq; fuerit euectus. Causam commendationis, ni fallor, Tacitus insinuat, nouitatem hominis, & municipalem originem.

An forte in contrarium aliquis pugnabit, negaturus præsidem Syriæ fuisse Quirinium antea, eo quod Iosephus huius dignitatis iam non meminerit? At neque meminit eius, quod cum C. Cæsare anno 49. biennio scilicet ante in Syria fuerit, quæ res præcipuam illi Viro dignitatem circumdederat. Consulatus commemoratur non tanquam postrema dignitas, sed tanquam suprema. Sic enim Iosephus & de Saturnino loquitur: *primus* inquit *Saturninus vir consularis, multisq; defunctus honoribus protulit sententiam.* Ecce tacet hic inter dignitatis axiomata, quod sit Syriæ præses; Ne cædem quidem infantum, Macrobio notam, commemorat, seu quia clam habitum consilium facti, nec in acta Herodis relatum, nec à Nicolao Historico, Iosephi authore, commemoratum, seu quia querelæ miserarum matrum, quæ omnes iam erant mortuæ, ad Iosephum non peruenerant, ne ad Macrobii quidem ætatem peruenturâ notitiâ rei, nisi dicterio Augusti, scito & arguto fuisset excepta. Nec enim probo insimulationem Suslygæ, quasi rem cognitam Iosephus dissimulauerit. Patiantur quæso homines, & Iosephum, quæ profitetur scire, & quædam interim, quæ tacet, ignorare; vtraque vero vera interim esse.

Cur Iosephus cædis infantii non memmerit.

An Quirinius anno 51. successerit Quintilio Varo.

Sed hic forte Iosephus tenetur, quod Q. Varo successorem dat Quirinium anno 51. Iuliano, cum Varus ad annum vsq; 54. in Syria manserit? Primum quæro, quis hoc affirmet? Dion aiunt, anno demum 54. Varum habet in Germania. Quasi vero ab anno 51. non Romæ, aut in ipsa etiam Germania degere potuerit, aut quasi de

Varo

Varo necesse sit, nos illud vsurpare, Venit, Vidit, Victus & Occisus est. Varus in pacata Germania, vt putabat, degens, materiam Dioni nullam præbuit nisi clade sua, quæ ei per insidias obuenit anno illo 54. Iuliano. Deinde quid prohibet etiam manente Varo, vel etiam alio aliquo Syriæ præside, Quirinium mitti ad constituendas prouincias cum ampliori potestate, (quod l. 18. Iosephus dicit) vt Agrippas, vt C. Cæsar filius, vt Augustus ipse: quibus in Syria præsentibus, frustra præsides prouinciæ è conspectu, honoris puto causa, amouentur. Imo quid prohibet Quirinium solius census causa (cuius Iosephus disertè meminit) mitti, vt perficeret in Iudæa anno 51. quod inchoauerat anno 36. & fortasse pauculas aliquas controuersias inter locorum præsides dirimeret. Nulli ne vnquam legati Cæsaris, nulli Procuratores (quod officium Iosephus Quirino lib. 17. assignat) missi sunt ad ipsos præsides? Numquid Pedaneum, qui legatus erat, ipsi tolerant pro præside, quod necesse non est; Legatus fuit, etsi Iosephi interpres ipse officia hæc confundit in Saturnino, sententiam dicente in concilio Beryti. Et Volumnius cum Saturnino præses, cum Olympo procurator, solitarie vel magister militiæ vel Procurator dicitur; nisi diuersi fuerint & hîc, eodē nomine. Diceretur itaq; Quirinius in Syriā missus, nō vt Syriæ præses, sed quia Iudæa pars Syriæ, cuius populis iā fisco Cæsaris adiungendis iura sua constitueret.

Ac cum hic de Iosepho sermonem finiturus sim, duo alia diluam, quæ ad fidem eius labefactandam afferuntur.

Quæ Iosepho obiiciuntur de alio Varo.

Primum existimant pugnare Iosephum secum ipso, quod Varum quendam, in prouinciis Iudææ conterminis Præsidem post annū Iulianum 18. nempe post primum Agonem Actiacum (lib. 1. de bel. c. 15. & Ant. l. 15. c. 12.) commemoret: Quintilium vero Varum Saturnino successorem det in Syria anno 42. Primum Varus iste, non prænominatur Quintilius. Quid si ergo alius hoc nomine, & nominatim Varus ille bis captus in Philippica Ciceronis, tunc temporis præfuit Syriæ? Aut quid impedit, eundem esse Varum, qui 23. annorum interuallo bis Præsidem agat Syriæ. Res est eiusmodi, vt inde nil temerè sit suspicandum.

Sphalma scriptorium in Iosephi Codice ineſſe conuincitur.

Sed fortius Iosephus premitur ætate Herodis, qui cum dicatur mortuus Septuagenarius, annis 45. antè, tantum habet annos 15 Hic Suslyga respondet, ætatem annorum 15. contra mentem esse Iosephi, vt qui ferè decennio anteà Herodem, Romanorum nobilissimo familiariter notum exhibeat, quod de puero 5. vel 6. annorum dici

dici non possit: mendum igitur esse scriptoris peruetusti, qui 15. expressit, cum 25. essent scripta: atque hoc idem ego quoque facile credo.

VI. His satis euidentibus argumentis de anno 40. vel 41. Iuliano Christi Natalitio, addit Suslyga etiam speciosum hoc: quod si quid ex Iosepho colligi potest de censu & de fama publica nati Messiæ, totum id ab eo refertur in annum proximum ante Herodis excessum, annum scilicet 41. Iulianum.

VI. *Christus sub censu natus, at paulo ante excessum Herodis Iosepho alludente census peractus, Saturnino præsi de Syria. Ergo natus an. 40. vel 41. Iuliano.*

Etenim sublatis Herodis filiis Alexandro & Aristobulo, cum iam antipater tertius filius doli machinator, furiis agitatus vltricibus, cogitaret ad Cæsarem profugere (id autem non plus vno anno fuit ante mortem Herodis, vt supra ex serie historiæ demonstratum) commemorat Iosephus lib. 17. C. 3. dissidiorum, in Regia Herodis domesticorum occasionem, inter cæteras etiam hanc. *Cum tota gens Iudæorum Regi & Cæsari fidem suam iureiurando obligasset* (quæ verba Suslyga non obscurè traducit ad censum tunc actum) *Pharisæos, numero sex millium, non iurasse*, quod fiduciam in iis arguit, sparsi rumoris de vero Rege Iudæorum iam nato, *iisque multatis ob hoc æris grandi summa, vxorem Pheroræ, qui frater erat Herodis, multam persoluisse: Eosque prædicasse, decretum esse Deo, regnum ablatum ab Herode, eiusque progenie* (audis Matthæum, conturbatus est Herodes, & Ierosolymæ cum eo) *transferre in Pheroræ progeniem. Itaque Herodes multos ex hac conspiratione interfecit:* Videat Suslyga, an & infantes Bethlehemiticos. Inter cæteros *Bagoæ Eunucho hæc spes erat facta, appellatum iri parentem, & benefactorem Regis, quem destinarent Vaticinia; prosperè enim cessura nouo Regi omnia, constabilita successione prolis legitimæ.* Sic enim verisimile, interpretatos Vaticinia, semen eius in æternum manebit, & regnum eius in æternum non dissipabitur. Qui rumores cum congruant cum Pastorum, Magorum, Pharisæorum apud Herodem, Simeonis & Annæ prædicationibus: credibile est eundem esse annum, & quo hæc facta, & quo natus Christus, annum igitur 41. Iulianum. Perpende igitur hunc Iosephi & Lucæ Euangelistæ consensum plurimum fidei conciliare cum historiæ tum etiam anno: neuter enim alterum tanti facit, vt in eius gratiam ista fingeret; & proculdubio neuter alterum nouit.

VII. *Christo nato sparsus rumor de Rege Iudæorum nato. At Saturnino Syriæ præside paulo ante Herodis excessum sparsi rumores eiusmodi. Tunc ergo anno sc. 41. vel 40. Natus Christus.*

VIII. *Infantes deleti sub Saturnino vel Varo.*

VIII. His argumentis & hoc adde. Testis est Macrobius perlatum ad Augustum, Herodem inter pueros, quos in Palæstina infra bimatum

matum iussisset occidi, interfeciſſe & filium. At filium Herodes occidit vnum Antipatrum anno 42. paulo ante obitum, duos anno 41. damnatos, illos Saturnino, hunc Varo Syriæ præside: Christo vero nato testatur Matthæus bimulos occisos. Natus igitur Christus circa 40. vel 41. Iulianum. Si dicas, vera dixisse Macrobium, dum infantes cum Herodis filiis cæsos affirmat, sed errare Iosephum in tempore vtriusq; facti: perpende, quam hæc facile redargui potuerint à familiis præsidum, quorum mentio immiscetur.

Ergo Christus paulo ante, anno igitur 40. vel 41. natus.

IX. Nec nullos ex Veteribus inuenit Suslyga, hunc eundem Natiuitatis Christi annum tradentes, iisq; characteribus partim historicis, partim astronomicis insignientes, quos non potest alius, quàm Iulianus 40. pro conceptione Ioannis Baptistæ, & 41. pro Natiuitate Christi suscipere. Quæ omnia vide, si placet, copiosius apud authorem. Mihi enim ea solum argumenta visum est producere, quæ vel confirmari, vel aliter informari, vel ad meum institutum traduci potuere, qui nulla hæsitatione contendo. Herodem anno Iuliano 42. mortuum, anno vno citius, quàm Suslyga dixit: vnde & ætati Christi non leuibus coniecturis apud Suslygam adhuc vnus decesse videtur. Sententiam meam dicere volui; si quis me deprehenderit errantem, hunc obsecro, vti ne me celet, rogatus, cui ego non rogatus hæc vltro suggero.

IX.

Veterum quorundam patrũ calculus de anno 40. & 41 Iuliano.

Summa disputationis.

Mens Euangelistæ: Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη μὲν ἐγένετο Κυρηνίου τῆς Συρίας ἡγεμονεύοντος, ἀλλ' οὐκ ἐδυνήθη διαπελεῖν τότε, ἀποσταίσαντος τῆς ἐθνῶν ἕως ἐπὶ Σατορνίνου ἡγεμονεύοντος: τότε δὴ καὶ ἀνεκινήσατο ὑπ' Αὐγούστου, καὶ διεπέρανθη. Anno itaque 41. Iuliano, Augusto XII. & Cornelio Sylla Coss. qui erat 40. à cæde C. Cæsaris, & initio Octauiani Augusti, 27. à pugna Actiaca, cuius æstate iniit annus IV. Olympiadis CXCIII. Sentio Saturnino præside Syriæ, qui censum Romani orbis vniuersalem, Augusti iussu ab antecessore Quirino institutum, pridemque inceptum, sed postea intermissum, tunc per Iudæam, & Galilæam peragebat: Anno 36. Imperii Herodis à renunciatione 37. à captis Ierosolymis, seu 6. Ianuarii, seu 19. Aprilis, seu 19. Maii, seu Septembri, siue denique 25. Decembris, sequente vel antecedente. Natus est Christus in oppido Bethlehem, ad quem intra quadragesimum diem venerunt magi, cum stella ante annum, vel biennium fere, anno scil. 39 vel 40. in coniunctione magna effulsisset. Magi Christo adorato. vbi non reuersi ad Herodem. domum alia via perrexerunt; Christus

infans bimestris deportatus est in Ægyptum. Herodes vero paulo post, crebrescentibus rumoribus de nato nouo Rege, conspirantibusque hac persuasione Pharisæis cum Regis domesticis; conquisiuit infantes infra bimatum in territorio Bethleemitico, easque iugulauit, & quidem (si Christus 6. Ian. anno 41. vel 25. Decembr. anno 40. natus) eodem fortassis tempore Alexandrum & Aristobulum suos ex Mariamme Asmonea filios adiunxit infantibus comites, quod Macrobius innuit. Vel perpetrauerit Herodes hoc immane facinus in pueros innocentes paulo post necem filiorum, quando de quibusdam Pharisæis noua consilia agitantibus supplicium sumpsit.

Infanticidium hoc vel studio Romanorum velare, vel licentiam à præside Syriæ, aut ab ipso Augusto impetrare potuit, hoc prætextu, quod oraculum de rege Iudæorum vtique vanum quidem sit, non tamen contemnendum in vulgo tam mobili, in prouincia limitanea, tam firma Iudæorum persuasione, vt quorum doctissimi non vererentur hoc oraculum Regi ipsi reuelare; tanta sectæ, vel ipsis regibus formidolosæ authoritate apud vulgus; tanto consensu externæ famæ per Orientem cum domestica, *fore vt valesceret Oriens, & profecti Iudæa rerum potirentur*, ipsum scilicet Romanum imperium sibi subderent, tanto studio rerum Parthicarum, tot Myriadibus Iudæorum, trans Euphratem habitantibus, vnde veniisse Magi existimantur; cum hæreret in hominum memoria, quantis damnis ante annos triginta fuerit affecta Syria à Parthis, Antigonum in Iudæam restituentibus. Nec difficiles Romanos fuisse, par est credi, vt quibus more patrio licebat tollere, educare recens natos liberos, pro libitu; quique ante annos sexaginta circiter, Cicerone & Antonio Coss. ob causam plane eandem, *cum prodigium, authore Iulio Maratho, Romæ factum esset publice, quo denunciabatur, Regem populo Romano naturam parturire*, Senatusconsulto cauerant, *vt nemo, qui eo anno natus esset, educaretur, etsi paucorum, qui grauidas vxores habebant, intercessione factum*, ne id ratum haberetur.

Herodes cum filiis, ac forsan & Christo nato, annũ vnũ & paulo amplius superuixisset; anno 42. filium Antipatrum, cuius fratrum necis authorem, & instigatorem præcipuum, ideoque exosum omnibus, conuictum etiam coram Quintilio Varo destinati Parricidii, potestate animaduertendi ab Augusto impetrata, per Satellitem occidit, 14. diebus ante pascha, atq; (si anni 41. 25. Decembris

bris Christus natus.) eodem tempore & infantũ cædem adiicere potuit, quia Macrobius vnius tantum filii meminit eorum infantibus occisi.

Quinq; diebus post, circa 2. scilicet Aprilis, mortuus est Herodes Hierichunti: Cui' filii Archelaus, Herodes, & Philippus Romã nauigantes æstate sequente à Cæsare Augusto regnũ p se quisq; petebant, præsidente in iudicio, iussu Patris Augusti, C. Cæsare filio; erat enim ante bieñium *à patre in forum deductus, vt interesset consiliis publicis*, quod Augustus ipse prodidit, in lapide Ancyrano. Augustus auditis filiorum Herodis postulatis, mora nonnulla interposita, tandem Archelao dimidium ditionis Herodianæ sine regio titulo, Herodi Galilæam, Philippo Trachonitidem assignauit, itaque circa autumnum anni 42. in suam quisque ditionem concesserunt, easque excoluerunt. Tunc Iosephus diuinitus edoctus, puerum Iesum nondum bimum, adhuc recenti fama successionis filiorum Herodis, quam in Ægypto nondum acceperat, vel (vt Epiphanio quid tribuamus) biennio post, rebus iam firma pace compositis, fere quadrimum, ex Ægypto reduxit, concessurus in Iudæam, suam patriam. Sed cum Archelaum Patriæ suæ dominũ metueret, ne codicillos haberet à patre relictos, aut parentis consiliorum circa cædem infantum particeps, (vt quem Herodes successorem testamento instituerat) per emissarios admoneretur de reditu Iosephi Mariæ Iesu pueri fugitiuorum (quid enim si Herodes infantes conquisiturus tabulas census adiuit? quomodo tunc sperare potuit Iosephus suorum nomina fefellisse?) maluit in patria Mariæ Nazareth Galileæ, sub Herodis Tetrarchia considere. Christus officium inchoauit, accepto baptismate, anno 15. Tiberii, Iuliano 73. annos natus 32. vel paulo plus, itaq; quasi tricenarius communi formula loquendi. &c.

Desunt igitur nostræ æræ, qua hodie vtimur per Europam, annĩ minimum quatuor, & fortassis omnino quinque. Itaq; quem numeramus 1606. quo ista scribo, is est vel 1610. vel. 1611. Nemo tamen qui sapiat, propterea suaserit vsitatam tot sæculis æram deponere: sufficit, vt sciamus initium eius sumi ab anno quinto vel sexto ætatis Christi.

FINIS.

I. ADMONITIO AD LECTOREM.

CVM in superioribus ex Iosepho anxie conquisissem exempla, quibus probabatur, annos Regum & Imperatorum à Iosepho in spacia distingui per Romanos Consules, sic vt præter primum omnes anni à Cal. Ianuarii inchoentur, iamque exemplar libelli mei transmissum esset ad Typographum: accidit paulo post, vt inciderem in lectionem belli Iudaici, quod cepit anno 12. Neronis mense Maio. Lib. 11. C. 3, anno Iuliano 110. quia Pascha eius anni fuit 8. Aprilis. L. 7. cap. 12. & quia septima Septembris Sabbathum l. 11. c. 18. quod non potest esse nisi Iuliano 110. Quod exemplum adeo est clarum, vt faces accēdat in meridie, qui plura conquirit exempla. Nam Nero imperium iniit 13. Octobris anni Iuliani 99. vt consentiunt omnes. Ergo 13. Octobris huius anni 110. finiebatur demum vndecimus. At Maio præcedente numeratur iam duodecimus, quod non aliter verum, quam si 99. sit primus, mensium non plus duorum semis: cum 100. vero Iuliano simul incipiat secundus Neronis. Fitque hoc pacto, vt quamuis Nero non diutius 13. annis solidis & præterea mensibus octo imperauerit (vide Scal. lib. 5. & Iosephum Lib. 5. cap. 6.) tamen Iosephi numeratio ad vsque quindecimum perueniat; si quis numeros continuet.

Et quia Scaliger f. 439. turbatur huius axiomatis neglectu, & obscuritate textus Iosephi: simul Iosephum de eo excusat, cuius ille reus fieri non potuit; quasi pessum eunte Rep. Iudęorum, merito tūc demum scilicet à Iudaico computo defecerit: exhibeo igitur in tabella dispositionem historiæ Iosephi annorum quinque vltimorum.

Iulia-

Iuliano. Neronis

110. 12. —Pascha 8. Aprilis. Prodigia. Initium belli, cum Cæsarienses Iudæi causa cecidissent, mense Maio. Clades Cestii Nouembri.

111 13. Vespasianus in Syriam missus Galilæam per totum hunc annum multis laboribus subegit. Pascha 29. Martii, ex analogia.

112. 14. Cum Ierosolymitæ grauissimis seditionibus iactarentur: Romani toto hoc anno quieuerunt lib. 5. c. 2. Latrones igitur Massadenses Paschate (quod fuit 16. Aprilis ex analogia cæterorum annorum) occupantur Engaddi lib. 5. c. 3.

Iuliano Neronis

113. 15. —Pascha 4. Aprilis ex analogia. Suslyga ait traditum à Iosepho, quod inuenire non possum.

Vindex à Nerone defecit. Vespasianus quarto Martii Gadara lib. 5. c. 3. indeque cætera præsidia circa Ierosolymas occupat. Iulio mense audit, Neroni mortuo successisse Galbam. Primi ergo $5\frac{1}{2}$. menses huius anni reputantur pro 15. Neronis.

114.—1.—Ianuario Galbam de imperio deiicit Otho, Aprili Othonem Vitellius. Pascha 25. Martii, Iulio Vespasianus rapit imperium, bellumq; infert Vitellio. Hic ergo primus est annus Vespasiani, vsq; ad Cal. Ianuarias.

115.—2.—Ierosolyma expugnata, cum Pascha fuisset 14. Aprilis, Anno 2. Vespasiani.

Cum ergo videas Iuliano 110. numerari Maio mense, Neronis 12. ne putes, sequente 13. Octobris, qui Neroni fuit Regni natalis, nouum inire annum; ecce sequenti Nouembri adhuc 12. Neronis: lib. 11. c. 24. Ac rursum ne putes

tes supra mense Maio vitiose 12. scriptum pro 11. Ecce Iulio sequentis anni 111. Iuliani, iam Neronis 13. lib. 111. c. 13. Certissima igitur hæc ratio computi.

II. Admonitio.

Iamq; non tantum exemplar, sed hæc ipsa quoque præmissa admonitio erat perscripta: cũ ecce ocio dato in partem secundam libelli Laurentii Suslygæ incido; ibiq; pag. 28. Annotatione 14. non tantum hoc ipsum Axioma, quod tot exemplis defendo, sed & hocipsum exemplum de anno 12. Neronis inuenio. Ait probari regulam hanc ex Triumphalibus Tabulis Capitolinis, Diodoro Siculo, Dionysio Halicarnasseo, S. Ieronymo, Eusebio, deniq; omnib. historicis. Si vel ego hæc ante legissem, lectaq; tenuissem; vel Suslyga ipse regula hac sua in annis Herodis fuisset vsus, fieri potuisset operæ compendium. Nunc quid restat, nisi vt & ego suspicionem fraudis deprecer, potiusq; pulchrum illud inculcem, diuersis eodem conuenire viis: & vt Laurentius Suslyga suismet regulis seipsum edoceat, Herodẽ mortuum non 43. sed 42. Iuliano: itaque de die Natalitio Christi de nouo deliberet: quem equidem ille à Iosepho Scaligero productus ἐνδεκάτῃ, anno 40. Iuliano in Iunium vel Decembrem, anno vero 41. in Aprilem vel Octobr. refert ab Encæniis Macchabæi accersitus: ab anno vero 2. Monarchiæ Cyri, tantum 5. diebus aliter.

FINIS.

UB WIEN
+AM243623009